


A
A
0
0
0
4
0
4
8
0
1
3



REESE LIBRARY

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Recd. Mar. 27 1963

Accession No. 50646

PA
6105
V24
v.19 Valpy -
Delphin classics.

**Southern Branch
of the
University of California
Los Angeles**

Form L 1

PA
6105
V24
v.19

This book is DUE on the last date stamped below

Form L-9-15m-8,'26





THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

C. VALERII CATULLI

OPERA OMNIA.

VOL. II.

Digitized by the Internet Archive
in 2008 with funding from
Microsoft Corporation

C. VALERII CATULLI

OPERA OMNIA

EX EDITIONE F. G. DOERINGII

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

75340


VOLUMEN SECUNDUM.

F

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1822.



NOV 20 1950

50196

tum poëtis perfamiliares. Virgil. 'Pone merum, et talos: pereat, qui crastina curat. Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.' Tibull. 'Interea, dum fata sinunt, jungamus amores: Jam veniet tenebris mors adoperta caput.' Propert. 'Dum nos fata sinunt, oculos satiamus amore. Nox tibi longa venit, nec reditura dies.' Martial. 'Vivamus: mortem fallere nemo potest.' Idem, 'Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo: Ipse jubet mortiste meminisse deus.' Actius Sincerus, 'Ali genus imprudens hominum, quid gaudia differs? Falle diem: mediis mors venit atra jocis.' Horat. autem ea in re pene immodicus est: sed et scite admodum Bacchis Plautina hoc ipso argumento ad senem utitur: 'Non tibi venit in mentem, amabo, si, dum vivas, tibi benefacias, Jam pol id quidem esse haud perlonginquum? neque, si hoc hodie amiseris, Post mortem id eventurum esse nunquam?' Porro hunc sermonem inter pocula usitatum fuisse, indicat Lucret. his versibus, 'Hoc etiam faciunt, ubi discubere, tenentque Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coronis: Ex animo ut dicant, brevis est hic fructus humulilis. Jam fuerit: neque post nunquam revocare licebit.'

Vivamus] Vivere sæpe dicunt poëtæ pro eo quod est, genialiter vivere; et vitam eam denum vocant, quæ voluptaria est. Martial. 'Non est, crede mihi, sapienter dicere, vivam: Sera nimis vita est crastina: vive hodie.' Idem, 'Non impudenter vita, quod reliquum est, petit, Cum fama, quod satis est, habet.' Cæcilius Hymnide, 'Sex menses mihi sati sunt vitæ: septimum Orco spondeo.' Lucill. 'Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.' Varro *περὶ φιλονεικίας*, 'Properate vivere puercæ, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, et Veneris tenere bigas.'

Delph. et Var. Clas.

Catull.

Soles occidere] Argumentum a dissimili, non ut Soli, ita et homini fas est, ubi semel occidit, in vitam redire. Lucretius, 'nec quisquam expergitus extat, Frigida quem semel est vitæ pausa secuta.'

5 *Lux*] Vita. Virgil. 'qua lucis miseris tam dira cupido?' hinc 'carentes luce,' et 'cassos lumine,' pro mortuis Poëtæ dicunt: et 'lumina,' aut 'lucem relinquere,' mori. Virgil. 'Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat.' Ennius, 'Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit: quem versum pene totum usurpavit Lucretius inquis, 'Lumina sic etiam solis bonus Ancu' reliquit.' Novius, 'ubi bipedes volucres lino linquant lumina.'

6 *Nox*] Mortem indicat, quam et Græci Poëtæ *νύκτα* interdum vocant, et *χάλκειον ὕπνον* est enim, ut docent Homer. et Virgil. 'consanguineus Lethi Sopor:' sed et Orpheus ad Somnum, *Αὐτοκασιγητῆρος γὰρ ἔφους Ἀθήης Θεοῦ τε*. Virgil. 'Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.' Lucret. 'unus Homerus, Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete est.' Horat. 'Ergo Quintilium perpetuus sopor urget?' Propert. 'Nox tibi longa venit, nec reditura dies.' Quæ omnia loquendi genera fluxere a falsa illa opinione, qua imbuti erant multorum animi, eadem nos in causa mortuos fore, qua dormientes sumus. Lucret. 'Tu quidem ut es lecto sopitus, sic eris, ævi Quod superest, cunctis privatu' doloribus ægris.' Anaxagoras dicebat, duarum rerum cogitatione posse nos intelligere, quales post mortem futuri essemus: somni, et ejus temporis, quod nostrum cujusque ortum antecessit. In divinis quoque literis, sed longe alia de causa, mors sæpe somni ac quietis nomine afficitur: unde et a nostræ religionis hominibus

2 F

sepulcreta Græco vocabulo, quod a dormiendo inflexum est, κοιμητήρια nominantur.

11 *Ne sciamus, Aut ne quis malus*] Putabatur enim fascinatio eis rebus nocere non posse, quarum vel nomen vel numerus ignoraretur. Nostrates quidem rustici, poma in novellis arboribus crescentia numerare, hodieque religioni habent.

CARMEN VI.

1 *Flavi*] Ex eo quod Flavius amores suos detegere nolebat, colligit eum laborare in vili aliqua morbosaque meretrice; tamenque ad id, quidquid est, libere detegendum invitat.

6 *Non viduas*] Non expertes Venereorum lusuum. Ovid. 'Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?' Veteres sæpe nuptialibus vocabulis ad omne libidinis genus abutebantur. Martial. 'Nolito fronti credere: nupsit heri.' Idem, 'ne Talassionem Indicas manibus libidinis: Et fias sine femina maritus.' Plautus, 'hæc quidem æcastor quotidie viro Nubit, nupsitque hodie, nubet mox noctu, nunquam ego hanc Viduam cubare sivi. nam si hæc non nubat, lugubre Fame familia percat.' Demosthenes quoque Æschinis matrem meretricem fuisse indicans, dicit eam solitam χρῆσθαι τοῖς μεθημερνοῖς γάμοις.

7 *Nequicquam tacitum cubile clamat*] Ὀξύωρον, quale illud Cic. in Verrem, 'Si tacent, satis clamant:' et in Catilinam, 'Cum tacent, clamant.' Frustra, inquit, cubile tuum tacitum est, utpote inanimum; ipsum enim, quamvis tacitum, clamat; id est, multis indicis patefacit, te non pernocitare solum. Quæ autem ea indicia sint, statim aperit.

8 *Sertis, ac Syrio fragrans olivæ*] Nam in hac quoque palæstra lucturi, prius odorato aliquo oleo corpora perungere solebant, ut hac ratione et libidinis excitaretur ardor,

et teter ille sudantium membrorum halitus depelleretur. Horat. 'Quis multa gracilis te puer in rosa Perfusus liquidis urget odoribus, Grato Pyrrha sub antro?'

Syrio] E Syria præcipui odores afferbantur. Infra, 'Fragrantem Assyrio venit odore domum.' Tibull. 'Non soror Assyrios cieri quæ dedit odores.'

11 *Argutatio*] Creber ille successi et identidem velut ingemiscantis lectuli sonus: nam argutare est tenui quodam sono aurem ferire. Propert. 'Illa mihi totis argutat noctibus ignes:' et ab ejusmodi sono argutam ilicem vocavit Maro, id est, ἡδὺν καὶ λεπτόν τι ψιθυρίζουσαν.

12 *Nam, ni prævalet ista*] Locum hunc integrum non esse constat; et video fuisse, qui ex ingenio emendare conati sint: quos, quia neque quidquam adferunt magnopere probandum, et valde ab usitata scriptura recedunt, non sequor. Quid, si quis ex tribus versiculis faciat duos, hoc modo, *Nam cur tam latera exfututa pandus, Ni tu quid facias ineptiarum?* exhausti enim nimia Venere, crebro, ut Plantino verbo utar, 'pandiculari' solent: in hoc autem libro tam multa impressa sunt alienæ audaciæ vestigia, ut versus unus facile additus esse possit; quod tamen, ut in re dubia, propositum a me, non etiam affirmatum velim: liber calamo exaratus, qui pence me est, habet, *Nam in ista prævalet mihi tacere*: unde erant ex amicis meis, qui conjicerent legendum, *Nam ista in parte valet nihil tacere*.

13 *Lateræ*] Ea enim pars immoderato coitu insigniter læditur: unde est illud in Priapeis, 'Defecit latus, et periculosam Cum tussi miser expno salivam.' Et alibi, 'usque dum mihi Venus jocosa molle ruperit latus.' Martial. 'Tu tenebris gaudes;' me ludere teste lucerna, Et juvat

admissa rumpere luce latus.' Juvenal. 'nec queritur, quod Et lateri parcas, nec quantum jussit, anheles.'

17 *Ad cælum vocare*] Antiqua locutio. Cicero in iis legibus, quas ipse seiscit lib. II. de legibus, 'Et ollos, quos endo cælo merita vocaverint.' Ita enim et in quibusdam libris legitur, et ego legendum puto.

CARMEN VII.

1 *Quæris*] Infinitatem quandam basiornm a Lesbia petit.

Basiationes] Sic infra 'osculationem' dixit: talia sunt apud Plautum, 'amatio,' 'tactio;' apud Cic. 'debitio,' aliaque id genus.

3 *Libyssæ*] Talia sunt illa Virgil. 'vel qualis equos Threissa fatigat Harpalice:' et, 'Inter quos Phenissa recens a vulnere Dido.' Idem etiam a nomine Libys, inflexit Libystida, 'Horridus in jaculis et pelle Libystidis ursæ.'

4 *Laserpitiferis*] Cyrenaicus ager herba Laserpitio abundat. Vide Plin. lib. XIX.

5 *Joris æstuosi*] Ammonis, cujus templum æstuosis admodum arenosisque extractum est locis. Vide Lucan. lib. IX. Q. Curtium lib. IV. Herod. lib. II.

6 *Et Batti*] Qui Cyrenen condidit.

7 *Cum tacet nox*] Ude et conticinium dicitur.

8 *Furtivos*] Occultos: furtum vocabant, quidquid occulte fieret. Tibull. 'Veneris per dulcia furta.' Virgil. 'neque ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam.' Idem, 'hic furto fervidus instat:' cum de cæde, et strage nocturna loquatur.

Vident] Nam et cæli oculos pro sideribus dicimus: unde est mellitissimum illud Platonis poemata, quo, cum pnerum suum, cui nomen erat Stella, de nocte in cælum suspicientem videret, ipse cælum fieri optat, ut pluribus eum oculis obtneri queat. Versus quoque, propter singularem

ipsorum mollitiem, adscribam. Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμὸς: εἶθε γενοίμην Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὕμμασιν εἰς σὲ βλέπω: id est, *Stella meus, stellas dum suspicis, ipse utinam sim Cælum, oculis ut te pluribus aspiciam.* Eleganter quoque Papinius, cum Achilles, puellæ in modum ornatus, noctu in agris Deidamiæ pudicitiam eriperet, ita jucundum ait fuisse hoc spectaculum sideribus, ut etiam riserint, 'risit chorus omnis ab alto Astrorum, et tenera ruberunt cornua lunæ.'

11 *Curiosi*] Verbum hoc fere semper in reprehensione ponebant. Cic. 'Nam ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique: sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis injucundus labor.' Plaut. Stich. 'Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus.'

12 *Nec mala*] De hoc aliquid supra tetigimus. Malam autem linguam eodem sensu dixit et Virgil. 'baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro:' et hic Noster supra, 'Aut ne quis malus invidere possit.'

CARMEN VIII.

1 *Miser Catulle*] A Lesbia sperni se videns, se ipsum ad eam vicissim spernendam cohortatur.

15 *Scelestā, te ne? quæ tibi manet vita*] Habui puer librum veterem, in quo memini versum hunc ita scriptum esse: *Scelestā, quæ nunc, quæ tibi manet vita?* neque tamen illam alteram scripturam improbandam puto.

18 *Cui labella mordebis*] In Veneris deliciis, illud quoque numeratur, labella, inter basiandum, teneris morsiuuculis leniter stringere. Itaque Flora meretrix, cui cum Cn. Pompeio stupri consuetudo fuerat, ita eum commendabat, quod nunquam ab eo potuisset non morsa discedere. Plutarchus. Φλῶραν δὲ τὴν ἐταῖραν ἐφασαν, ἥδη πρεσβύτεραν ὕσαν, ἐπεικῶς

ἀεὶ μνημονεύειν τῆς γενομένης αὐτῆ πρὸς τὸν Πομπήϊον ἑμιλίας, λέγουσαν, ὡς οὐκ ἦν, ἐκείνῃ συναπαυσαμένην, ἀδίκτως ἀπελθεῖν. Plaut. Pseudolo, 'Jocu', ludus, sermo suavis, saviatio, Compressiones arcæ amantium compares, Teneris labellis molles morsiunculæ, Papillarum horridularum oppressiunculæ.' Horat. 'sive puer furens Impressit memorem dente labris notam.'

CARMEN IX.

1 *Veranii*] De Veranii ex Hispania reditu et sibi et ipsi gratulatur.

2 *Antistes*] Qui alios omnes antecedit: videtur ductum a militia; ut sit quasi προστάτης, aut πρωτοστάτης.

Milibus trecentis] Longissimo intervallo, et venuste; quasi de itinere aliquo sermo esset. Trecenta autem dicebant pro quamlibet multis. Sic infra, 'Quare aut Hendecasyllabos trecentos Expecta:' et, 'Quos simul complexa tenet trecentos.'

8 *Applicansque collum*] Id est, collum ad te molliter plicans et inflectens. Hunc gestum ita expressit Horat. 'Cum fragrantia detorquet ad oscula Cervicem.' Mos hodieque in Italia viget, abeuntes ac redeuntes amicos exosculari. Oculos autem præcipue petebant osculo; quod ii sunt, ut ait Cicero, 'quasi fenestræ quædam animi: eosque' (ait Plinius) 'cum osculamur, animum ipsum videmur attingere.' Horat. 'Qui nunc Hesperia sospes ab ultima Caris multa sodalibus, Nulli plura tamen dividit oscula, Quam dulci Lamia.' Q. Cic. Tironi, 'Ego vos ad III. Cal. videbo; tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dis-suaviabor.'

CARMEN X.

1 *Varus*] Quinctilium Varum Cremenensem dicit, hominem belli pacisque artibus clarissimum, qui postea in Germania cum tribus legionibus

cæsus est.

3 *Ut mihi tum repente risum est*] Quantum ego ex primo illo aspectu judicare potui.

7 *Bithynia*] Ex qua ego hand ita pridem redieram, cum prætore Memmio illuc profectus.

10 *Nec prætoribus*] Puto locum hunc non vacare mendo; neque enim plures prætores in unam provinciam mittebantur. fortasse legendum sit, *quæstoribus*.

11 *Cur quisquam caput unctius referret*] Cur quisquam, propter luernum in provincia factum, quidquam adjiceret ad solitum victus cultusque splendorem. Olim elegantiores homines odoratis unguentis caput perfunderi solebant. Horat. 'coronatus nitentes Malobatro Syrio capillos.' Martial. 'Si sapis, Assyrio semper tibi criuis amomo Splendeat.' Plaut. Casina, 'unde hic, amabo, unguenta olent? St. oh, peri. Manifesto miser teneor. cesso caput pallio obtegere?'

13 *Prætor*] C. Memmius Gemellus.

14 *Quod illic Natum dicitur ære*] Pecunia, quam in provincia quæsiisse diceris. Eadem autem figura dixit, æs natum, qua, 'parere pecuniam,' aut 'parere divitias,' dicimus.

16 *Homines*] Id est, servos: ita enim nonnunquam eos peculiariter nominabant, quodque nos vulgari lingua utentes, hujus aut illius hominem dicimus, cum servum, aut certe famulum indicamus, id Latine quoque probe admodum dicitur. Cic. 'Hominem P. Quintii deprehendis in publico: conaris abducere: non patitur Alpheus.'

17 *Beatiorum*] Divitiorum: beatos enim vocabant, qui abundarent opibus. Plaut. Pænulo: 'Aurum in fortuna invenitur: natura ingenium bonum. Bonam, ego, quam beatam, me esse, nimio dici mavolo.' Sic et Græci nonnunquam homines copiosos εὐδαίμονας vocant. Eurip. Πλοῦτου δ' ἀπορβύεντος ἀσθενεὶς γάμοι. Τὴν μὲν γὰρ εὐ-

γενεϊαν αἰρουσι βροτοι, μάλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσι.

20 *Non posse*] Ex pecunia, quam in provincia collegissem.

Parare] Emere. Cic. ad Att. 'Cogito trans Tiberim hortos aliquos parare.' Atque inde intelligendum est illud Terentii, non satis a quocumque adhuc, quod sciam, animadversum, 'Vali? quinquam ne hominem posse in animo instituere, aut Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?' In adoptione enim, de qua ibi sermo est, genus quoddam emptionis intercedebat. Inde et, reparare: quod est, nummis ex venditione conflatis aliquid aliud emere. Horat. 'Vina Syra reparata merce.' quo modo hoc verbum sæpe a jurisconsultis accipi, primus docuit Fr. Duarens Annivers. lib. 1.

24 *Cinædiorem*] Molliorem, et improbiorem.

26 *Serapin*] Hic Ægyptius Deus etiam Romæ templum habebat. In quibusdam est, *Ad Serapis*; quod non displicet: ita enim dicebant, ad Cereris, ad Dianæ, et similia; cum subintelligerent, templum.

27 *Mane mane*] Prius adverbium est, posterius verbum. Est autem admodum jucunda *παρήχησις*.

28 *Istud, quod modo dixeram*] Id est, quantum attinet ad istud, quod modo dixeram.

29 *Fugit me ratio*] Hæc locutio est ejus, qui aliud dixit, aliud dicere voluit. Plautus Amphitr. 'MER. Amphitruonis te esse ciebas Sosiam. Sos. Peccaveram. Nam Amphitruonis socium næ me volui esse dicere. MER. Sciebam equidem nullum esse nobis, nisi me, servom Sosiam. Fugit te ratio. Sos. Utinam istuc pugni fecissent tui.'

30 *Cinna*] Is est, qui Smyrnam, de qua infra agetur, novem annis elaboravit. eundemque puto esse, cujus Epigrammata citantur a Nonio; quæ

quidam apud Gellium, ut illepada, calumniatur.

32 *Quam mihi pararim*] Quam si ipse mea eos pecunia emerim.

CARMEN XI.

1 *Furi, et Aureli*] Per Furium et Aurelium, quasi nuncium remittit Lesbæ.

Comites Catulli] Significat se ab eis valde amari: est enim magni amoris indicium, velle cum aliquo longum ac periculosum iter, ipsius causa, suscipere. Sic Horat. 'Septimi, Gades aditure necum, et Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et Barbaras Syrtes, ubi Mauræ semper Æstuat unda.' Cum horum tamen utroque graves postea inimicitias gessit, eosque acerbissimis versibus insectatus est, tum quod ipsum mollem notasset: tum quod puerum ipsi eorum Aurelius quidem tentasset, Furius vero etiam constuprasset.

2 *In extremos Indos*] In extremas Indiæ oras. Sic et apud Horat. 'Impiger extremos curris mercator ad Indos.'

3 *Littus ut longe*] Ita est in libris Aldinis, melius, puto, quam in aliis, *Longe ubi littus*: nam particula *ut*, in Epigrammate quoque ad Coloniam, eodem modo usus est.

Longe resonante] Πολυφλοσβφ.

6 *Sagittiferosque Parthos*] Annolandus est Chorea in secunda sede Sapphici, ut et paulo post, 'Panca nunciate meæ puellæ:' et alibi, 'Ocium Catulle tibi molestum est.' id ex posterioribus solus, quod sciam, imitari ausus est divinus poëta, Michaël Marullus. Sappho autem, quæ nomen huic generi versuum dedit, sæpe admodum id fecerat.

7 *Septemgeminus*] Qui septem ostiis exit in mare. Virgil. 'Et septemgemi turbant trepida ostia Nili.' Sic idem 'centumgeminum Briarea' a centum manibus, et 'tergeminum

canem,' Cerebrum dixit.

Colorat] Limo, cujus magnam copiam secum trahit.

10 *Monimenta*] Trophæa.

11 *Gallicum Rhenum*] Epitheton addit, ad discrimen Rheni Bono-niensi.

Horribiles] 'Hospitibus feros,' ut eos Horat. vocat. *ultimos* autem, 'divisos toto orbe,' ut Virgilius loquitur: infra quoque, 'ultimam Britanniam' vocat. Horat. 'Serves iturum Cæsarem in ultimos Orbis Britannos.'

18 *Trecentos*] Hyperbole.

22 *Velut prati Ultimus flos*] Ultimos pratiflores vocamus, qui sunt proxime viam: ii autem fere aut vitorum pedibus, aut currum prætereuntium rotis obteri solent. Respicit autem Catullus ad vetus proverbium, quo, cum, aliquid plane periisse, indicare volebant, dicebant, 'Tam periisse, quam extremam fabam.' Vide Festum.

CARMEN XII.

1 *Marrucine Asini*] Cum in veteribus libris aperte legeretur, *Marrucine Asini*: nescio, qua ratione moti eruditi quidam, illius loco substituerunt, *Inter cœnam Asini*: ut ex Palladii interpretatione cognoscitur: qui etiam hoc ipsum sibi valde placere ait. Mihi quidem, ne quid dissimulem, non placet, tum aliis de caussis, tum quia poëta ipse indicat furta hæc non tam inter cœnam fieri solita esse, quo tempore, vix est, ut quisquam patiatur sibi linteum suum eripi, quam peracta jam cœna, cum, sublatis epulis, jocari convivæ inter se, et majoribus poculis poscere consueverant: id enim tempus non obscure innuit, cum ait, 'In joco atque vino:' ut et infra, 'Reddens mutua per jocum atque vinum.' Marrucinos quidem populos Italiæ esse constat; atque nihil video, cur veterem scripturam mutare oporteat: non enim, si de hoc Asinio, qui Marrucinus fuerit, nihil alibi proditum est, idecirco a veterum librorum

fide recedi par est.

4 *Salsum*] Urbanum.

Fugit te] Erras.

5 *Quamvis sordida*] Id est, admodum sordida. Sic Plant. Menæchmis, 'Solet jocari sæpe mecum illo modo: Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest:' id est, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem potest. Quo autem vitio notatur hic Asinius, eodem Martialis Hermogenem quendam notat, de quo ita scribit, 'Ad cœnam Hermogenes nappam non attulit unquam: A cœna semper rettulit Hermogenes.'

8 *Mutari*] Id est, qui ait cupere se furta tua vel talento redimere. Mutare autem, pro eo quod est emere, aut vendere, antiqui sæpe dicebant. Columella, 'Porcus lactens are mutandus est.' Idque Græcorum exemplo, apud quos sæpe hoc ipso modo ponitur verbum ἀλλάττεισθαι eo autem id fit, quia antiquissima ratio contrahendi, ut Aristoteles et Jurisconsulti docent, permutatio est: quin ipsum permutationis nomen commune est omnibus, ut prudentes loquuntur, contractibus; tantum enim valet Latine permutatio, quantum Aristoteli συνδλλαγμα: ideoque numeratur inter eos contractus, quibus proprium nomen inditum non est. Sed iis de rebus a nobis et magis suo loco, et copiosius, disputatum est in commentariis, quos in quintum Ethicorum scripsimus.

9 *Disertus puer*] In aliis, *Disertus pater*: mihi, etsi non sum nescius, 'patrem leporum ac facetiarum' Latine admodum dici, et nomen, 'disertus,' cum generandi casu, ita rarum esse, ut fortasse vix usquam alibi legatur, tamen nescio quo modo prius illud venustius videtur.

14 *Sudaria Setaba*] Ex lino Setabo, quod optimum in Hispania crescit ad fluvium Tarraconem.

CARMEN XIII.

1 *Cenabis*] Fabullum ad cenam invitavit, ea lege, ut Fabullus quidem

ceum secum afferat, ipse autem nihil suppeditet præter unguentum. Sciendum autem est, veteres floribus redimitos, unguentisque delibutos cenitasse, ubi se liberalius invitare decreverant: tum voluptatis causa, tum quod crederent odorem ebrietatem impediri. Nonnunquam etiam, ut est apud Festum, aviculas quasdam corollis suis alligabant; quarum et cantu assiduo, et crebris rostri unguis puncturis efficeretur, ne ipsi inter potandum obdormiscent. Horat. 'Cur non sub alta vel platano, vel hac Pinnu, jacentes sic temere, et rosa Canos odorati capillos Potamus uncti?' Idem, 'Huc vina, et unguenta, et nimum breves Flores amœnæ ferre jube rosæ.' Ceterum hujusmodi convivatorem, qui unguentum modo præberet, alicubi irridet Martialis, hoc versu, 'Unguentum, fateor, bonum dedisti Convivis here, sed nihil scidisti. Res salsa est, bene olere, et esurire. Qui non cenat, et ungitur, Fabulle, Hic vero mihi mortuus videtur.'

2 *Paucis diebus*] Intra paucos dies. Hoc modo etiam Propert. locutus est, 'Tu quoties aliquid conabere, vita, memento Venturum paucis me tibi luciferis.'

5 *Sale*] Facetiis.

8 *Plenus sacculus est araneorum*] Id est, pridem inanis est. Afranius apud Festum, 'Tam ne arecula tua plena est araneorum?' Plaut. Aulularia, 'an ne quis aedes auferat? Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus: Ita inaniis sunt oppletæ atque araneis.'

9 *Meros amores*] Ita lego, non, ut alii, *meos amores*: et de ipso unguento hoc dictum accipio.

CARMEN XIV.

1 *Ni te plus oculis*] Non est, cur ambigatur, ad Poëtam Calvum, an ad Oratorem scriptum fuerit hoc carmen: idem enim C. Licinius Calvus C. Licinii Macri filius, et Poëta, et Orator

clarus fuit; ex quo imperiti duos, unum Poëtam, et alterum Oratorem, faciunt.

3 *Odio Vatiniano*] Macrobi. lib. ii. 'Lapidatus a populo Vatinium, cum gladiatorum munus ederet, obtinuerat, ut adiles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum, misisse vellet. Forte iis diebus Casellius Jurisconsultus, consultus a quodam, num nux pinea pomum esset, Si in Vatinium missurus es, inquit, pomum est.' Cicero Interrogatione in Vatinium. 'Odio enim tui, in quo etsi omnes, propter tuum in me scelus, superare debeo, tamen ab omnibus pene vincor,' &c. Hinc intelligi potest, cur dicat Poëta odium Vatinianum: eo autem libentius id facit, quod Vatinium Calvus ipse acerbissimis Orationibus insectatus erat: qua de infra quoque agetur.

9 *Munus*] Fortasse, quod ipsum in causa aliqua defenderis.

Sylla] De Sylla Grammatico nihil alibi legere memini: tantum reperio fuisse Cornelium quendam Epicadum, Syllæ libertum; qui, fieri potest, ut, cum sibi de more patroni nomen assumpsisset, etiam ipso ejusdem cognomine a populo afficeretur.

Literator] Ita vocabant Grammaticos, id est, Poëtarum Interpretes. Alii distinguebant ita, ut dicerent tantum interesse inter Literatum, et Literatorem, quantum inter Grammaticum, et Grammatistam. Vide Sueton. de Claris Gramm.

10 *Non est mi male, sed bene ac beate*] Gaudio enim, quod labores tuos tam bellis muneribus pensari videam. Ironia est.

12 *Sacrum*] Festus, 'Homo sacer is est, quem populus judicavit ob maleficium: neque fas est eum immolari: sed, qui occidit, parricidii non damnatur; nam lege tribunicia prima cavetur: si quis eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit: ex quo quivis homo malus atque im-

probus sacer appellari solet.' Afranius Fratribus, 'o sacrum scurram, et malum.' Turpilium, Demetrio, 'Etiam ne irrides pessime, et sacerrime?' Plant. Pœnulo, 'Venditque has omnes, et nutricem et virgines, Præsenti argento, homini (si modo læno est homo) Quantum hominem terra sustinet, sacerrumo.' Sic igitur dixit *sacrum libellum*; ut Virgil. 'sacram auri famem,' et, 'sacras depellere tedas.'

15 *Saturnalibus, optimo dierum*] Nul- lum enim alium diem veteres tanta hilaritate celebrabant: is dies erat xiv. Cal. Jan. Vide Macro- bium.

16 *Non, non hoc tibi*] Jocose se Calvo par pro pari rediturum, et vicissim quasi struem quandam pessimorum Poëtarum ipsi missurum mi- natur.

Non, non] Eleganter geminata negatio. Sic Propert. 'Non, non humani sunt partus talia dona.' Interdum etiam aliquid interponebant: Cic. ad Att. lib. x. 'Non sunt ab obsequio nostro, non: habent suas radices.' Ita enim erudite hunc locum emendat Manutius, qui etiam in eo expli- cando multa similia exempla colligit.

Salse] Derisor.

Sic] Impune.

17 *Nam si luxerit*] Id est, ubi pri- mum dies apparere cœperit. Particula *si*, hoc loco non conditionem, sed tem- pus indicat. Sic Virgil. 'Hen quan- tum inter se bellum, si lumina vitæ Attigerint, quantas acies stragesque ciebunt.' Idem, 'Præterea si nona diem mortalibus alnum Aurora extu- lerit, radiisque retexerit orbem, Pri- ma citæ Teucris ponam certamina classis.' 'Lucere' autem valet, diem esse. Cic. ad Att. 'Catilina, si judi- catum erit meridie non lucere, certus erit competitor.' Idem pro Sex. Ros- cio, 'Occisus est a cena rediens. non- dum lucebat; cum Ameriæ scitum est.' Pro Cluentio, 'Ante noctem

mortuus, et postridie, antequam læ- ceret, combustus est.' Plant. Milite, 'Priusquam lucet, assunt, rogitant, noctu an somnum ceperim.' Nonnun- quam etiam dicebant, 'lucet hoc,' aut 'lucescit hoc,' cum videlicet cælum, aut inane illud spatium intelligerent. Plant. Amphitr. 'Eamus Amphitruo: lucescit hoc jam.' Idem Curcul. 'Quid tu, Venerin' pervigilare te no- visti Phædrome? Nam hoc quidem æpol haud multo post luce lucebit.' Idem Milite, 'Vigila, expergiscere, inquam: lucet hoc inquam.' Terent. Heaut. 'Lucescit hoc jam: cesso pul- sare ostium Vicini,' &c. Hunc autem postremum locum ita interpungen- dum esse, primus me, ante hoc bien- nium, admonuit vir omni elegantis doctrinæ genere politissimus, Adria- nus Turnebus, regius Lutetiæ Græ- carum literarum professor.

18 *Cæsios, Aquinos, Suffenum*] De Cæsio nihil memini legere. Aquinum quidem M. Tullius in Tusculanis no- minat, ut Poëtam insigniter malum: de Suffeno inferius agetur.

CARMEN XV.

1 *Commendo*] Hunc puerum postea Aurelius corrumpere conatus est; un- de graves inter eum et Catullum ini- micitia extiterunt.

8 *Occupati*] Ociosorum enim ho- minum hic morbus est.

10 *Bonis, malisque*] Et formosis, et deformibus.

18 *Attractis pedibus*] Diductis, di- varicatis.

Patente porta] Τῇ πύλῳ. Portam autem dicit, ut indicet pathicum fuisse Aurelium, et, ut Aristoph. loquitur, εὐρύπυκτον. In Priapeiis, 'Jam pri- mum stator hic libidinosus, Alternis et enndo et exeundo, Porta te faciet patientiorem.'

19 *Percurrent raphanique, mugiles- que*] Alludit ad supplicium, quo olim Athenienses afficiebant pauperes in adulterio deprehensos: eis enim de-

pilabant nates cinere calido, deinde etiam raphanos prægrandes in podicem immittebant. Hanc pœnam vocabant *παταλιμνὸν, καὶ βαφανίδωσιν*. Mugiles autem etiam interdum ad hanc rem adhiberi solitos, indicat Juvenal. 'quosdam mæchos et mugilis intrat.' atque ita hunc locum recte ex Interprete Aristophanis interpretatus est Parthenius.

CARMEN XVI.

1 *Pædicabo*] Furius et Aurelius de Catullo, tanquam effeminato, et impudico, ob mollitiem carminum, senserant: id nunc eis irascitur, negatque poëtarum mores e scriptis spectari oportere. Eadem excusatione utitur Ovid. 'Crede mihi, distant mores a carmine nostri, Vita verecunda est, musa jocosa mihi.' et Martial. 'Las-civa est nobis pagina, vita proba est.' Et notum est illud in Voconium, 'Las-civus versu, mente pudicus eras.'

13 *Male marem*] Mollem et effeminatum: mares enim vocabant fortes. Horat. 'Et maribus Curiis, et decantata Camillis.'

CARMEN XVII.

1 *O Colonia*] De genere ipso Carminis ad finem disputabimus: valde enim inepta sunt, quæ hoc loco a ceteris afferuntur: nunc quidem argumentum Epigrammatis, quantum in nobis erit, conjectura comprehendere studeamus. Coloniam (fortasse oppidum haud procul Verona, quod hodieque nomen illud retinet) alloquitur: et, ut mihi videtur, de duobus agit: quorum alterum ipsi Coloniam subodiosum fuisse significat, cum ait, 'quem cupis,' &c. neque tamen ita infensum, ut eum vellent cives insigniter lædere; idque ex eo intelligitur, quod vereri eos ait, ne ille, quisquis erat, irredivivus in palude recumberet; atque eum quidem videtur præsentem sistere, quasque objicere, ut de ponte præceps agatur; cum ait, 'En salire paratum habes.' Agi autem postea,

non de eodem, sed de alio quopiam, vel id satis argumento est, quod, quasi novam quandam narrationem exorsus, ait, 'Quendam municipem meum,' &c. absurda enim plane fuerint hæc, si ad eum referantur, de quo paulo ante, et quasi ipsi Coloniae noto, dixerat, 'quem cupis;' et quasi præsentem, 'En salire paratum habes.' Agit igitur de alio quodam, eoque Veronensi: quem cupere se ait de ponte deturbari: idque, magni muneris loco, sibi a Colonia concedi petit: quod certe non faceret, si de eo ageret, quem ipsa suapte sponte Colonia, ut initio dictum est, deicere cupiebat.

Ludere] Ita est in quibusdam libris; egoque ita malo, quam, ut in aliis, *lædere*: ludibrii enim potius, quam atrocis contumeliæ causa, comparatum hoc fuisse, indicant illa, 'salire;' et, 'sed vereris inepta;' et, 'Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.'

3 *Crura*] Sublicas dicit, sive columellas ligueas, quibus pous fulciebatur.

Ponticuli] Quo modo ponticulum vocat, quem antea pontem longum dixerat? an quod parum latus esset, an quod infirmitus?

Totus irredivivus] Ita ut extrahi postea non queat.

5 *Sic tibi*] Ejusmodi obsecrationibus uti solemus, ubi aliquid petituri simus.

Ex tua libidine] Arbitratu tuo.

In quo vel Salisubsuli] Ita latus, firmusque, ut etiam possit Martis sacra peragentes Salios sustinere. Salisubulum vocat Martem Pacuvius, 'Pro imperio sic Salisubsulus ostro excubet.'

8 *Municipem meum*] Veronensem.

10 *Ut*] Qua parte.

15 *Ut puella*] Delicatiores tenello hædo: quantum tanta teneritas potest in puellam convenire. Significat enim ita delicatam esse, ut tamen sit in ea roboris ad rem gerendam, quantum in puella est satis.

18 *Nec se subleuat ex sua parte*] Assentior iis, qui hoc ad Venereos lusus referendum putant.

19 *In fossa Ligeris*] Fossam vocare videtur ipsum alveum fluminis. Ligeris autem, fluvius Galliae. Alii legunt, *In fossa Liguri*, aut *Liguris*: amplius igitur quaerendum est.

Separata] Excisa. Politianus legebat, *expernata*, aut, quod magis suspicor, *supernata*: ut esset metaphora ducta ab iis, quibus, in morem pernarum suillarum, femina excisa sunt. Marullus autem, qui, quasi dedita opera, omnes Politiani emendationes irridebat, hanc exagitavit hoc Epigrammate, 'Quid separatam, insane, supernas, rogo, Alnum Catulli nobilem? Plebi ociosae scilicet risum parans, Oblitus, ut soles, pedis.' Non putavit igitur Marullus, in hoc versu, quarto loco spondæum recipi posse: in quo falsus est, ut infra docebimus. usitatum tamen lectionem sequendam puto.

24 *Si pote stolidum*] Recte emendavit Victorius hunc locum, cum antea legeretur, *Si potest olidum*; magnumque putarent fecisse se, qui causas exquirebant, cur Catullus olidum veterum nominasset.

25 *Supinum animum*] Stuporem illum, torporemque animi.

Nunc, uti recepimus, de genere ipso carminis disseremus. Est igitur genus quoddam Hexametri, ex heroico effictum; sed molle, enervatumque, describendisque rebus tantum ludicris, non etiam seriis et gravibus aptum. Priapeium Censorinus vocat: ponitque hoc exemplum, 'Hunc lucum tibi dedico, consecroque Priape.' et addit, tertium pedem pro Dactylo creticum esse debere: alioqui enim Hexametrum Heroicum fore. Quod tamen non perpetuo verum est. Diomedes vocat Angelicum, a Terpsichoro repertum, additque exemplum, 'Incidit patulum in specum, procumbente Priapo.' Terentianus autem Maurus, qui asperitatem Grammati-

carum præceptionum inusitata quadam numerorum suavitate condidit, ita de hoc genere versus disputat: 'Hexametrum pedibus cernes constare receptis, Qui tamen heroum factis indignus habetur. Namque tome media est versu non apta severo: Fitque soluta magis, quoties spondæus inest pes Tertius et quartus: non hunc * incolumentum ergo, Sed de commatibus tradunt constare duobus. Ipse enim sonus indicat esse hoc lusbibus aptum. Et ferme modus hic datur a plerisque Priapo, Inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus, Hunc lucum tibi dedico, consecroque Priape,* quaque Priape. Nam te præcipue in suis urbibus colit ora Hellepontia, ceteris ostreosior oris.' Et similes plures sic conscripsisse Catullum Scimus.' Hæc verba optimi ac festivissimi Grammatici apposimus, ut ex eis intelligeretur, quanta esset huius versus cum Heroico affinitas: tanta ea quidem, ut Virgilius quoque in hoc genus interdum incidat, non in Bucolicis modo, 'Quod nunquam veriti sumus, ut possessor Agelli;' aut Georg. 'Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?' sed in ea etiam, quæ una Græciæ fastum retundit, Æneide, 'Troas, reliquias Danaum, atque immitis Achilli.' Ut tamen versus hic insigni aliqua nota ab Heroico distingueretur, receptum est, ut primo quartoque loco, pro Spondæo Choreus, Iambusve, tertio Creticus pro Dactylo, poneretur. Quoniam autem Terentianus admonet, Hortorum Deo cecinisse Catullum huius generis versus; extantque inter Virgilianos lusus nonnulli, quos eruditi homines Catullo tribuunt, et nos quoque nunquam aliter credidimus; ascribemus eos [de Carm. XIX. loquitur, quod vide supra p. 80.], tum ut, quasi postliminio, ad auctorem redeant sum; tum ut cursim a nobis non nulla in eis, quæ ceteros fugere, annotentur.

CARMEN XIX.

1 *Hunc ego]* Putabatur hic Deus, quibus in agris statueretur, colereturque, eis fecunditatem afferre. Hoc igitur se facere prædicat, additque causam, nempe quod ab agelli dominis diligenter ac religiose colatur. Ad postremum admonet pueros, ne quid ex eo agro furentur, cui sit et dominus pauper, et ipse diligens additus custos: indicatque eis agrum vicinum, unde commodius eripere aliquid possint; quod et dominum divitem habeat, et negligentem Priapum. Porro Priapum Orpheus deorum antiquissimum esse dicit: videturque eundem cum Sole, ac Baccho facere. Dicitur est autem Πρήπιος vel quasi Βρήπιος, id est, *clamosus*, propter clamores, qui in Bacchi sacris excitantur; vel quasi προϊήμενος τὸ σπέρμα, ut annotat Interpres Theocriti.

4 *Magis, et magis ut beatæ quotannis]* Ita ut assidue posterior annus prioris fertilitatem vinceret.

11 *Primitu]* Antiquum adverbium, quale apud Plaut. 'simitu.' Qui autem vocem hanc, ut insolentem, aspernati ejus loco substituerunt *Primitiæ*, depravarunt versus.

15 *Sanguine hanc aram]* In aliis, *Sanguinea hæc aram*, contra metri legem. Hunc autem locum ex ingenio emendavimus: neque sane dubitavimus, quin omnes intelligentes homines nobis sint assensuri. Sic et Græci αἰμάσσειν βωμῶνς dicunt ἀπὸ τοῦ λεπτοῦν.

Sed tacebitis] Hoc inserit, quia legibus XII. sacra facere peregrinis Diis, nisi qui publice asciti essent, non licebat.

17 *Hæc necesse]* In aliis, *hoc necesse*, contra Grammatices regulas. Addeamus et aliud, [i. e. Carm. xx. quod vide supra p. 82.] ejusdem argumenti: quod ipsum quoque Catulli esse, eruditus hominibus ita judicantibus assentimur.

CARMEN XX.

3 *Sinistru]* E regione agelli ad si-

nistram sita.

5 *Tuor]* Antiquæ, pro *tuor*.

Malas manus] Sic Tibull. 'Quid fraudare juvat vitem crescentibus visis, Et modo nata mala vellere poema manu?'

Mihique glauca] In aliis, *Mihi glauca dura cocta olira frigore* in Aldinis, *Mihi glauca duro cocta olira frigore*: in quibusdam veteribus; *Mihi glauca duro olira frigore*. Unde apparet vocem *cocta*, additam ab aliquo, qui versus mutilum perficere vellet: sed, cum e meris Iambis carmen hoc sit, præstare opinor, ut legamus, *Mihique glauca*, et illud *cocta* repudicemus.

11 *Adulta]* Distenta.

12 *Agnus ex ovilibus]* Virgil. 'ab ovilibus imbuet agnus.'

13 *Gravem domum remittit ære dexteram]* Virgil. 'Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.'

14 *Tenerque]* Ita legendum, non, ut in aliis, *Teneraque*: carmen enim, ut ante dixi, est ex solis Iambis. Neque est, quod cuiquam perturbata generibus videri debeat oratio, qui meminerit, unum ovem, non unam ovem, veteres protulisse. Præterea nomina, quæ ex syllaba finiuntur, veteribus, maximam partem, communia fuerunt: non ea tantum, quæ generibus variari non possunt, 'uber,' 'celer,' et similia, sed alia quoque: 'pauperem feminam' dicimus, cum tamen 'pauperam' dicere liceat. Terent. 'Quæ sese inhoneste optavit parere hic ditias Potius, quam in patria honeste paupera vivere.' Ita enim locus ille legendus est, ex veteribus libris, et ex Prisciano. Cato Orig. lib. II. 'Itaque res uber fuit, antequam vastassent regiones.' Nævius de bello Punico, 'Fames acer augecit hostibus.' Ennius, 'Æstatem autumnus sequitur, post acer hiems hunc.' At utrobique 'acris' dici poterat. 'Pueram' nonnunquam dicebant. Livius Odyssea, 'Mea

puera, quid verbi ex tuo ore profluit?' quo versu interpretatus est illum Homericum, Τέκνον ἔμδν, ποῖδν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; At 'puerum' tamen utraque genere efferebant. Nævius secundo belli Punicī, 'Prima incedit Cereris Proserpina puer.'

17 *Scorsum habebis*] Continebis, ne quid præripias. In *scorsum* autem est synæresis, qualis in illo Virgil. 'Una eademque via sanguisque animusque sequuntur.' et in illo Propert. 'Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.'

18 *Sine arte mentula*] In veteribus, *Parata nanque crux arte mentula*: itaque alii fecerunt, *Parata nanque crux et arte mentula*: in quo illud, *et*, redundare, nemo non videt: alii, *Parata nanque crux est arte mentula*; sed hos ipsa versus ratio coarguit: nos, quod reposuimus, verum esse arbitramur.

19 *At pol*] Repetitio ejusdem verbi valde irrisioni conveniens. Est autem jocus elegans, sed obscævus: cum enim diceret viator, se nihil metuere, aut appetere etiam usitatum illud supplicium, illudens Deus, longe alio eum, quam putabat, modo acceptum iri respondet.

CARMEN XXI.

1 *Aureli*] Irascitur Aurelio, quod puerum, quem, ut ex superioribus intelligitur, ipse ejus fidei commiserat, corrumpere molitur.

Pater esuritionum] Significat eum sordide et tenuiter convivari, ita ut cenæ ipsius non cenæ vocandæ sint, sed esuritiones. Cenæ patrem vocabant τὸν ἐστιάτορα, quem etiam Cicero dominum epuli vocat. Horat. 'In primis Lucanus aper leni fuit austro Captus, ut aiebat cenæ pater.' Nonius eum et dominum convivii, et dominum, sine ulla additione, vocari solitum admonet.

2 *Non harum modo*] Hæc gradatio familiaris est huic Poëtæ. Sic infra,

'O, qui flosculus es Juventiorum, Non horum modo, sed quot aut fuerunt, Aut posthac aliis erunt in annis.' Et, 'Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli, Quotque post aliis erunt in annis.'

6 *Experiris*] In antiquis codicibus *experibis*, quod non temere rejiciendum est: ita enim multa veteres dicere agendi voce, quæ nunc tantum ea quæ patiendi est efferuntur: et contra. Quin hoc quoque ipso alicubi utitur Plant.

8 *Tangam te prius*] Est genus figuræ, quod Græci μελώσω, Latini Imminutionem aut Extemnationem vocant: eo qui uti volunt, ubi quis alium percusserit, pupugeritve, aut insigniter etiam læserit, tetigisse dicunt. ea causa est, cur nonnumquam ipsum *tangendi* verbum idem valeat, quod percutere, pungere, lædere. Terent. Eunuchō, 'Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio?' id est, acerbo aculeatoque dicto quasi pupugerim. Propert. 'Quem tetigit jactu certus ad ossa dens.' Ubi etiam videtur ducta tralatio a sagittariis, qui tangere dicuntur, ἔταν τοῦ σκοποῦ ἐπιτυγχάνωσι. Plant. Pseudolo, 'Si nainem alium potero, tuum tangam patrem.' Id est, eum multabo hoc damno, emungam eum hac pecunia. idem Pænulo, 'Quia cernit amare, hominem volt leno tangere.' Catullus supra, 'velut prati Ultimus flos, prætereunte postquam Tactus aratro est.' Græci quoque ἀφάμενον γυναῖκας dicunt eum, qui mulierem quampiam depereat: quo modo et Latini dicunt amore percussum. Virgil. 'Quarum sacra fero ingenti percussus amore.' Lucret. 'Percussit thyrso laudis spes magna memm cor.'

9 *Si id faceres satur*] Sic Martial. 'Denique pædica Mamuriane satur.' Etenim, cum saturi, et deliciis affluentibus homines ista conquirunt, minime mirum est: at, si idem faciant

inopes, et famelici, id vero indomitæ libidinis signum est.

12 *Dum licet pudico*] Impudicos vocabant, qui parte aliqua corporis sui alienam libidinem exceperissent; pudicos, qui nihil tale perpessi essent. In Priapeis, 'Prædictum tibi ne negare possis, Si fur veneris, impudicus ibis.' Plaut. Amphitr. 'Ego tibi istam hodie sceleste comprimam linguam. S. haud potes. Bene pudiceque asservatur.' Et pudicas virgines vocabant, quarum nemo pudicitiam delibasset. Plaut. Curculione, 'jam ne ea fert jugum? Tam a me pudica est, quasi soror mea sit:' et paulo post, 'At illa est pudica, neque dum cubitat cum viris.'

CARMEN XXII.

1 *Suffenus*] Vereor, ne *Fufenum* hoc loco, non *Suffenum*, legere oporteat: sic enim et apud Livium pro *Fufetio* vulgo legitur *Suffetius*.

2 *Urbanus*] Urbani non nunquam dicuntur, qui doctis dictis victum aucupantur, quos et ab assectandis divitibus scurras vocabant: itaque urbani nomen sæpe idem, quod ridiculum, valet. Horat. 'Menius, ut, rebus maternis atque paternis Fortiter assumptis, urbanus cæpit haberi, Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret.' Plaut. Trinummo, 'Nihil est profecto stultius, nec stolidius, Neque mendaciloquius, neque argutum magis, Neque confidentiloquius, neque perjurius, Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.' Cic. in Bruto: 'Tu elegans, tu solus urbanus.'

3 *Idemque longe plurimos facit versus*] Propria, ac pene perpetua malorum poetarum nota.

5 *Sic*] Negligenter.

Ut fit] Ut fieri solet.

In palimpsesto] In charta deleticia, id est, ex qua deletum est aliquid, ut aliud denno scriberetur. Cic. Trebatio, 'Nam quod in palimpsesto,

laudo equidem parsimoniam: sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris: nisi forte tuas formulas: non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas.' Locus autem ille Ciceronis in vulgaribus libris, vocularum aliquot interpositis, depravatus est.

9 *Hæc cum legas*] Ubi carmina illa tam diligenter, tamque eleganter ornata legere incipias.

Tum bellus ille, et urbanus Suffenus] Tum Suffenus ille, qui antea tam bellus, tamque urbanus videbatur.

10 *Unus caprinulgus, aut fossor Rursus videtur*] Ita inelegantes, et illepidos versus facit.

13 *Aut si quid hæc re*] Facete adhibet rei nomen, quasi scurras hominum nomine satis dignos non putet. Sic Cicero Verrem 'importunum animal' vocat.

Tritius] Insulse legunt alii *tristius*: in quo risi equidem non medioeriter et Parthenium, et Guarinum: qui cum viderent in scurras, homines ad risum factos, nullo modo tristitiam convenire, tristesque homines vulgari Italorum lingua vocari scirent homines nequam, ac nullius bonæ frugi, hoc loco, *tristius*, idem quod pejus valere dixerunt. *Tritius*, legendum est; scurrarum enim est, tritos esse atque exercitatos in omni genere rerum agendarum, omninoque minime fatuos, ut qui et sibi ex aliena fatuitate victum colligant, et omnibus se omnium negociis immisceant: ut præclare describit Plautus eo ipso, quem paulo ante citavimus, loco.

15 *Neque idem unquam*] Beati sunt, qui suo contenti sunt. Quod igitur ait, nunquam æque esse beatum Suffenum, atque cum versus facit, significat videlicet, eum nunquam sibi magis placere, nunquam sibi magis satisfacere. Porro cum omnibus in rebus verum illud est, suum cuique opus placere; tum nusquam verius,

quam in ratione scribendorum carminum: id et hoc tempore experimur; quo se homines ita imperiti, ut in ipsa syllabarum ratione sæpe peccent, non poëtas modo tamen, sed etiam illustres poëtas inscribere audent: et celeberrimi olim scriptores memoriæ prodiderunt: nam et apud Platonem Socrates, cum admirari se dixisset, quod Cephalus, qui opes suo ipse sibi labore pepererat, immodice eas tamen non amaret, hac comparatione usus est, Ὡσπερ γὰρ οἱ ποιηταὶ τὰ αὐτῶν ποιήματα, καὶ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας ἀγαπῶσι, ταύτη τε δὴ καὶ οἱ χρηματιστάμενοι περὶ τὰ χρήματα σπουδάζουσιν, ὡς ἔργον ἑαυτῶν: quem locum Aristoteles in quartum de moribus ad Nicomachum transtulit: qui cum dixisset eo propensiores esse ad liberalitatem eos, qui opes a parentibus accepissent, quam qui eas industria quæsisset sua, quod illi inopiam nunquam experti essent; addit statim aliam causam, inquiring, Καὶ πάντες ἀγαπῶσι μᾶλλον τὰ ἔργα αὐτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς, καὶ οἱ ποιηταί. Idemque hoc etiam apertius ponit nono eorundem librorum, his verbis, Πᾶς γὰρ τὸ οἰκεῖον ἔργον ἀγαπᾷ μᾶλλον, ἢ ἀγαπηθεῖν ἐν ἑπὶ τοῦ ἔργου ἐμφύχου γενομένου μάλιστα δ' ἴσως τοῦτο περὶ τοὺς ποιητὰς συμβαίνει: ὑπεραγαπῶσι γὰρ οὗτοι τὰ οἰκεῖα ποιήματα, στέρνοντες, ὥσπερ τέκνα. Sed et M. Tullius Tusculanarum Disp. lib. v. cum de Dionysio tyranno loqueretur, 'Musicorum vero,' inquit, 'perstudiosum acceperimus: poëtam etiam tragicum, quam bonam, nihil ad rem: in hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poëtam (et mihi fuit cum Aquino amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic si res habet: te tua, me delectant mea.' Et lib. secundo ad Q. Fratrem: 'Non mehercule quisquam μουσοπάτακτος libentius sua recentia poëmata legit, quam ego te audio.'

18 *Nimirum idem omnes fallimur*] Gravis sententia, et ab optimis quibusque auctoribus maximopere celebrata.

Idem fallimur] Eadem in re fallimur. Horat. 'Ut scriptor si peccat idem librarius.'

19 *Suffenium*] Suffeni similem, ad sua vitia conniventem, nimium amantem sui. Quo modo autem quisque se ipsum amare debeat, præclare disputat Aristoteles de Moribus, lib. ix.

21 *Sed non videmus*] Respicit ad Fabulam Æsopicam, quæ his verbis apud Stobæum explicata legitur, Ἀἰσωπος ἔφη, διὸ πῆρας ἕκαστον ἡμῶν φέρειν, τὴν μὲν ἐμπροσθεν, τὴν δὲ ὑπισθεν: καὶ εἰς μὲν τὴν ἐμπροσθεν ἀποτιθένας τὰ τῶν ἄλλων ἀμαρτήματα, εἰς δὲ τὴν ὑπισθεν τὰ ἑαυτοῦ διδὸν οὐδὲ καθορῶμεν αὐτά.

CARMEN XXIII.

1 *Furi, cui neque*] Iratus Furio Pisarense, quod is Juventio puero, quem ipse diligebat, stuprum obtulisset, paupertatem illius salissimum juvenidissimoque versu insectatur.

Neque servus] Talem quempiam describit Lucillius his versibus, qui sunt apud Nonium: 'Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus. Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse: Cum bulga cenat, dormit, lavit: omnis in una Spes hominis bulga: hac devincta est cetera vita.'

2 *Nec cimex, nec araneus*] Facete, ut omnia deesse dicat, ea quoque deesse dicit, quæ usum nullum habent, quæque non habere potius quilibet, quam habere, præoptet sibi.

Nec ignis] Summam paupertatem notat: quippe Tibullus, cum paupertatem a se non deprecetur, hanc tamen exceptionem adhibet, ut sibi focus perpetuo luceat: 'Me,' inquit, 'mea paupertas vitæ traducit inertis; Dum meus assiduo luceat igne focus.' In ædibus quoque senis illius Plauti-

ni, qui in summis opibus summa inopia laborabat, tamen ignis fuisse dicitur, sed quem ipse abiens extinguere imperat. Et vero quoniam locus ipse Plauti, ubi hoc agitur, depravatus est, neque adhuc a quoquam, quod sciam, animadversus; dabunt mihi, opinor, lectores hanc veniam, ut, paulisper digrediens a re proposita, auctori optimo opis aliquid afferam. Locus igitur in impressis libris sic habet: 'Cave quenquam alienum in ædibus introniseris. St. Quid si quisquam ignem quærit? Eu. extinguere volo; Ne causæ quid sit, quo te quisquam quæritet. Nam, si ignis vivet, tu extinguere extemplo.' At in calamo notatis hæc omnia continenter ab Euclione dicuntur, multo sane rectius: 'Cave quenquam alienum in ædibus introniseris. Quod quisquam ignem quærat; extinguere volo, Ne causæ quid sit, cur te quisquam quæritet. Nam, si ignis vivet, tu extinguere extemplo.' Occasionem vere præfidentibus hominibus depravandi loci dedit ignorata vis particula: 'Quod;' qua hic senex indicat, si quis, ut inter vicinos assolet, ignem quærere se dicat, nihilo magis ea de causa velle ipsum intronitti, immo velle etiam ignem extinguere, ut omnis ejusmodi tollatur occasio. Atque hoc non tam verbis exprimi, quam prolatis exemplis patefieri potest. Plaut. ipse Asinaria: 'Alienum hominem intronittat ad se neminem. Quod illa aut amicum eum, aut patronum nomet, Aut quod illa amicæ amatorem esse prædicet, Fores oclusæ sint omnibus, nisi tibi.' Et uno versu interjecto: 'Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam, Ne epistula quidem sit ulla in ædibus.' Idem Milite, qui etiam locus in impressis depravatus est: 'Quemque a milite hic videritis hominem in nostris tegulis, Extra unum Palæstrionem hunc deturbatote in viam. Quod ille gallinam aut columbam se sectari, aut simiam Dicat,

periistis, nisi usque ad mortem multatis male.' Ovid. quoque eodem modo locutus videtur: 'Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit, Multa dedit multis vulnera, multa dabit.' Et quidam in Priapeis: 'Quod sim ligneus, ut vides, Priapus, Et falx lignea, ligneusque penis, Prendam te tamen, et tenebo prensam;' ita enim et in veteribus et in Gryphianis legitur.

5 *Est pulchre tibi*] Pulchrum non nunquam valet beatum. Cic. pro Murena: 'Prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret.' Idem, de Nat. Deor. 'Propone ante oculos Deum nihil aliud in omni æternitate cogitantem, nisi, mihi pulchre est, et, ego sum beatus,' &c.

14 *Sole, et frigore, et esuritione*] Sol exsiccet, frigus contrahit, esuritio extenuat.

17 *Pituita*] Diæresis, ut cum siluam tribus syllabis dicimus: nam pituita naturaliter trisyllabum est. Horat. 'Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.'

19 *Purior salillo*] Summam veteres puritatem tribuebant sali. Ovid. 'Mica salis puri pacificabat heros.' Idem: 'Far erat, et puri lucida mica salis.' Horat. 'purum et sine labe salinum.' Idem: 'cui paternum Splendet in mensa tenni salinum.'

26 *Et sestertia*] Scio Budæum reprehensum esse a multis, quod sestertia et sestertios distinxisset, tradidissetque singula sestertia valere mille sestertiis nummis: at ego eos, qui sestertia et sestertios pro eodem accipiunt, longe ipsos errare arbitror; nam quis tandem credat, Furium hunc non plus sibi optare solitum a diis, quam centum sestertios? multo vero divitior fuisset, si monetæ nostræ tres aureos nummos, aut paulo amplius habuisset: infra quoque, in Epigrammate, 'Aut sodes mihi redde decem sestertia. Silo;' credimus, Pœtam, si decem modo ei ses-

tertios, id est, aurei nummi minus tertiam partem, dedisset, tantillæ pecuniæ rationem habiturum fuisse? quid apud Horat. ubi Philippus Vulteio, 'Dum septem donat sestertia, mutua septem Promittit, persuadet, uti mercetur agellum:' qualem tandem illum agellum fuisse dicemus? nempe minorem eo, de quo est apud Martial. 'Donasti Lupe rus sub urbe nobis: Sed rus est mihi majus in fenestra:' et eo, de quo Cic. 'Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda: Ni tamen exciderit, qua cava funda patet:' certe enim talem fuisse oportet, cujus pretium essent quatuordecim sestertii.

CARMEN XXIV.

1 *O qui flosculus*] Conqueritur cum Juventio, quod Furium, mendicium pene hominem, potissimum elegerit, cui se attractandum, floremque ætatis suæ fruendum daret. Item argumentum est Epigrammatis alternis imparibus numeris facti, cujus principium est, 'Nemone in tanto potuit populo esse Juventi?' Porro hoc commune vitium esse puerorum omnium, qui sibi conscii sunt alicujus elegantiae, ut ex amatoribus suis vilissimum fere quemque et abjectissimum amplexentur, ex Aristophanis equitibus annotat amœnissimi homo ingenii eruditionisque summæ, Petrus Victorius Var. lect. lib. xxii. cap. 11. ubi multa disserit, quæ valde pertinent ad percipiendam hujus Carminis venustatem.

Flosculus] Præcipuum Juventiæ familiæ ornamentum. Quod in quaque re pulcherrimum purissimumque est, id floris nomine indicatur: sic Theocritus Hyla, Argonautas vocavit *divinum heroum florem*: sic honestissimus ille adolescens, qui amatoris diviui Platonis versus divine interpretatus est, puriorem illam animæ partem, quæ basiando attrahitur, florem spiritus nominat: 'Dum semi-

hulco suavio Meum puellum suavior, Dulcemque florem spiritus Duco ex aperto tramite.' Sic Plantina quædam vetula generosum vinum, florem Liberi vocat: sic ab Ennio Cethegus elegantissime dictus est 'Flos inlibatus populi, suadæque medulla.' Simonides in epigrammate, quo Sophoclem laudat, 'Εσβέσθης γηραιὸς Σοφοκλέης, ἄνθος αἰδῶν. Plant. Casina, 'Ea tempestate flos poetarum fuit.' Lucan. 'Tunc flos Hesperiae, Latii tum sola juvenus Concidit.' Catullus infra, 'Ego Gymnasi fui flos, ego eram decus olei.' Et alibi, 'Flos Veronensium deperent juvenum.' Sed et apud Cic. sæpissime.

4 *Mallem delicias mihi dedisses, Quam isti*] Hoc vel injurato facile credi potest. Terent. 'Verum illud verbum est, volgo quod dici solet, Omnes sibi melius malle esse, quam alteri.'

CARMEN XXV.

1 *Cinæde Thalle*] Rationem horum versuum Diomedis verbis explicabo. 'Septenarium,' ait ille, 'versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad Iambum Trimeterum syllaba, et pes additur, fit tale, Quid immerentibus nocet? quid invidet amicis?' Similis in Terentio, 'Nam si remittant quippiam Philuminæ dolores,' et in Plauto sæpius tales reperiuntur. Sed et apud Græcos, ut 'Ὄς ἤδομαι, καὶ τέρομαι, καὶ βούλομαι χορεύσαι.' Citat et tales Nonius ex Varronis Satyra, quæ inscribitur, ὄνος πρὸς λύραν.

Cinæde Thalle] Rapacitatem, commune τῶν πόρων vitium, in Thallo quodam exagitat.

2 *Vel anseris medullula*] Imitatus est hoc nescio quis in Priapeis, 'Quidam mollior anseris medulla Furatum venit hic amore pœnæ.'

Vel hinnula tenella] Sic supra, 'tenellulo hædo delicatiorem' puellam dixit.

5 *Cum dia mater*] Tethys videlicet,

quæ eadem est cum mari. Mater autem dicitur, quod, ex Thaletis Milesii sententia, principium ceterarum omnium rerum aqua sit. Notum vero est, Platoni quoque primam illam rerum materiam, matrem vocari. Sed et Homer. Ὀκέανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθών. Et eadem de causa cecinisse creditur Pindarus, Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Alites] Fulices intelligit, quæ fugientes e mari, cantu suo tempestatem jam janque imminere indicant. Cic. Prognost. 'Cana fulix itidem, fugiens e gurgite ponti, Nunciat horribiles clamans iustare procellas, Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.'

7 Catagraphonque linum] Linteum variis figuris notatum et depictum.

8 Reglutina] Facete: siquidem etiam vulgari joco furum manus visco esse illitas dicimus.

11 Conscribillent] Aptum omnino est hoc verbum ad sententiam: nam et Plautus 'virgis dorsum scribere' eodem modo dixit: et ipsum sive conscribillandi, sive conscrihellandi verbum, utroque enim modo legitur, antiquum, et Varroni quoque usitatum esse, ex Nonio constat: sed repugnare videtur syllabæ modus. Itaque alii hoc loco legunt, *consigillent*. Ego interponere me in istam dissensionem non audeo, donec veterem aliquem librum, qui me adjuvet, viderim.

12 Insolenter] Insolens enim, et inusitatum erit tibi, tam tenero tamque delicato, verberibus cædi.

Æstues] Æstuarum dicuntur, qui in aliquam difficultatem adducti, neque quid agant, neque quid consilii capiant, sciunt. æstuarum etiam est, fluctuum in morem, modo huc, modo illuc agi. Horat. 'Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto.' Et 'æstuarum,' calere. Plant. 'nunc dnm scriblitæ æstnant.'

Delph. et Var. Clas.

CARMEN XXVI.

1 Furi] Urget adhuc Furii paupertatem, cuius villulam, quæ ei, ut verisimile est, unica erat, dicit non eo incommodam esse, quod ad hujus aut illius venti flatum opposita sit, sed, quod omni vento deterius est, quod opposita sit pignori pro tanta pecunia, ut nihil jam sit, cur eam Furius suam dicere debeat. Jocatur autem in ambiguitate vocabuli, *opposita*.

Villula nostra] Aut legendum *resta*, aut ex sua persona dicit quod tamen de Furio intelligi cupit.

4 Ad millia quindecim et ducenta] Subaudiendum, H-S.

CARMEN XXVII.

1 Minister vetuli puer Falerni] Hic una voce a Græcis οἰνοχόος, a Latinis 'pocillator' dicitur, aut, ut hic, *Minister*. nam et in hac re ministrandi verbum proprie admodum ponitur. Cic. Frumentaria, 'Cum in eis convivii symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur.'

2 Ingere mi] Aut notandus est Dactylus in prima sede, aut pro *Ingere*, legendum, *Inger*.

Calices amariore] Meraciores, et vetustioris vini, in quo sentitur amarus quidam sapor. Erat autem hæc a Græcis ducta consuetudo, procedente convivio, poscendi majoribus assidue, et meracioribus poculis: cuius consuetudinis sive Alexander Aphrodisiensis, sive quis alius auctor est eorum Problematum, quæ sub ipsius nomine circumferuntur, et meminit Probl. lxxx. et causas quasdam probabiles reddit.

3 Ut lex Postumia jubet magistræ] In convivio olim mos erat, talorum jactu nnum aliquem creare, qui præscriberet, quantum quisque, et quo modo temperatum biberet: eum Græci συμποσίταρχον, aut etiam βασιλέα, rem vero, id est, potestatem ipsam, ἀρχιποσίαν vocabant. Horatius 'reg-

Catul.

2 G

num vini,' et 'bibendi arbitrum' dicit: 'Nec regna vini sortiere talis.' Et alibi, 'Quem Venus arbitrum Daret bibendi?' Varro 'modiperatorem.' 'Magistros' etiam eos, et hanc ludicram dignitatem 'magisterium' nominabant. Cic. de Senec. 'Me vero et magisteria delectant a majoribus instituta, et issermo, qui more majorum a summo adhibetur magistro in poculo.' Postumiam igitur eodem sensu magistram vocari intelligo.

4 *Ebriosa acino*] De hoc loco vide Gellium lib. VII. c. 20.

7 *Thyonianus*] Nomen Liberi patris, a Thyone matre ipsius; quæ et Semele dicitur.

CARMEN XXVIII.

1 *Pisonis comites*] Jocatur cum Verranio et Fabullo; indicatque ipsos, Pisonem in Hispaniam secutos, nihilo plus lucri fecisse, quam ipse lucri fecerat, Memmium in Bithyniam secutus.

5 *Vappa*] Homine nihili.

6 *Patet*] Verbum valde proprium in hac ratione tabularum, ut et verbum referendi, quo statim utitur. Cic. pro Roscio Comædo: 'Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit.'

7 *Expensum*] Jucunde, et *παρὰ προσδοκίαν* id enim, quod expensum est, non in lucro, sed in damno potius ponitur; sed videlicet indicat in eorum tabulis nihil patere præter expensum; lucri eos nihil omnino fecisse.

8 *Refero datum lucello*] Significat se quoque nihil lucri fecisse; itaque in tabulis suis nihil patere, præter ea quæ ipse Memmio prætori dederat; eaque lucri locum occupare.

9 *O Memmi*] Nisi me valde animus fallit, Poëta hic non ex persona loquitur, sed imitatur vocem alicujus, qui a Memmio prætoris turpitudinem

hanc passus fuerat; nam neque credendum est, generosæ hominem indolis tantam suo corpore spurcitiem pertulisse; neque, si eo usque processisset impudentiæ, tamen fuisse tam prodigiose stultum, ut eam notam sibi ipse versibus suis inurere voluerit.

10 *Trabe*] Quam trabem dicat, notum est: eandem et columnam, et pyramidem vocabant, Priapeis, 'Nimirum tibi salsa res videtur Astans inguinibus columna nostris:' et alibi, 'Accedit istis impudentiæ signum, Libidinoso tenta pyramis nervo.' et 'palum' Horat. 'Obscænoque ruber porrectus ab inguine palus.'

12 *Nam nihilo minore verpa Es furtus*] Significat, Memmium quoque eodem modo acceptum ab alio quopiam æque bene, atque ipse erat, pecculato. Verpam autem vocabant eam partem a verrendo. In Priapeis, 'Quæ quot nocte viros peregit una, Tot verpas dedicat salignas.'

13 *Pete nobiles amicos*] Hactenus ex aliena, nunc ex sua persona loquitur. I nunc, inquit, quisquis es, et te ad nobiles amicos applicato, a quibus tam pulchra facinora edi videas.

14 *At vobis mala multa di deaque Dent*] Contra Plant. Pœnulo, 'o, multa Di tibi dent bona, Quom hoc mi obtulisti tam lepidum spectaculum:' et in eadem Fabula, 'Di deaque vobis multa bona dent cum mihi Et bene præcipitis, et bonam prædam datis:' et rursum, 'Multa tibi Di dent bona, cum me salvum esse vis.'

15 *Opprobra Romuli Remique*] Ita eos vocat, quod factorum suorum turpitudine veteribus Romanis, ipsisque adeo urbis fundatoribus, dedecori esse viderentur.

CARMEN XXIX.

1 *Quis hoc potest videre*] Indignatur, Mamurram Formianum stulta Cæsa-

ris, cum quo stupri consuetudinem habebat, liberalitate ad tantas pecunias venisse, ut solus aliquot provinciarum opes possidere videretur. De hujus opibus et luxuria vide Plia. lib. xxxvi. Est autem memorabile, quod narrat Tranquillus, ita leni Cæsarem fuisse ingenio, ut, cum sibi perpetua his versibus imposita esse stigmata intelligeret, tamen Catullum satisfacientem sibi, (id est, testibus præsentibus affirmantem, prænitere se, quod ea scripsisset; hanc enim esse vim in his rebus verbi, 'satisfacio,' satis ex Amphitruone Planti, et Terentii Adelphis, et Cicerone pro Roscio Comædo intelligi potest,) eadem die adhibuerit cœna, hospitioque patris ipsius, sicuti consueverat, uti perseveraverit.

3 *Comata Gallia*] Ita omnem transalpinam Galliam nominabant.

5 *Cinæde*] Notum est illud, 'Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias. Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.'

Romule] Hoc nomine sæpe utebantur in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli, multumque ab illius præstanti virtute abesse: auctor Declamationis illius in Ciceronem, quæ tribuitur Sallustio, 'Oro te Romule Arpinas.' Persius, 'num Romule cæves?'

7 *Superfluens*] Ita vocantur, qui, ut vulgo loquimur, continere se in sua pelle, præsuperbia non queunt: atque hoc vitium in juvenibus notatum puto ab Homero, cum eos dixit esse *ὑπερφύλους*: etsi non sum nescius, Græcos Grammaticos longe aliter hanc vocem interpretari: sed de hoc alias. Metaphora est a vasis nimium plenis.

9 *Dionæus*] Venerius. Detrita autem est una litera e diphthongo, propter metrum: rectum enim erat, Dionæus. Virgil. 'Sacra Dionææ matri divisque ferebam.'

15 *Ducenties, aut trecenties*] Id est, ducenties, aut trecenties centena

millia H.S. ducenties autem efficiunt monetae Venetae aureos nummos 588235, et præterea marculos quadraginta: trecenties, 882353 aureos nummos, octo marculis minus; ea ratione, ut sestertios quidem singulos quaternis marculis, aureos autem singulos tricenis quaternis grossulis aestimemus.

16 *Sinistra*] Stulta, et præpostera; nam et Græci sæpe *σκαδον* pro stulto dicunt: sic et Horat. 'o ego lævus, Qui purgor bilem verni sub temporis horam.'

17 *Expatriavit*] Libidinibus absumsit. 'Patrare,' honestum olim verbum, postea ad obscenitatem tralatum fuisse, indicat Fabius libro octavo. Quo autem sensu, ex Boëtio de definitione intelligitur; qui patratiorem esse ait fractae Veneris lacrymas: itaque Persius oculum molliter ac libidinosè natantem, patrantem vocavit: 'patraui fractus oculo:' quod id videlicet, in re Venerea, perficientibus eveniat. Juvenal. 'oculosque in fine trementes.'

Helluatus est] De Cæsare ipso loquitur.

19 *Præda Pontica*] Superato Pharnace Mithradatis, aut, ut ego in tribus perveteribus æreis nomismatis Græce insculptum animadverti, *Mithradatis* filio: de quo notum est illud Cæsaris, 'Veni, vidi, vici.'

20 *Ibera*] Superatis in Hispania Petreio et Afranio. Historia satis nota est.

21 *Hunc*] *Ἐρωτηματικῶς*, et cum indignatione legendum est. Hunc enim, tantum helluonem, Galliae et Britannia timent?

22 *Quid hunc (malum) foretis*] Aproprophe ad populum Romanum.

23 *Uncta*] Pingua, opulenta, et copiosa.

CARMEN XXX.

1 *Alphene*] Alphennum, (nescio an Jurisconsultum, illum Ser. Sulpicii

discipulum, cujus frequens et in Pandectis et in aliis scriptis veterum mentio est,) ut in ratione colendæ amicitiae perfidiosum, accusat; minaturque fore, ut Dii tandem meritas ab eo violatæ fidei pœnas exigant. Facile autem crediderim, etiam Carmen infra positum, cujus principium est, 'Desine de quoquam,' ad hunc ipsum Alphenum pertinere.

4 *Nec facta impia*] Expressisse videtur versum Homeri, *Ὁ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν.*

7 *Tute jubebas animam tradere*] Tu ipse jubebas, ut tibi animam traderem, id est, ut me totum ad te amandum darem.

11 *At Di meminerunt*] In meo illo libro, cujus bonitatem nunquam tantopere perspexi, quam cum hæc scriberem (eo autem magis meminî, quod eo utens, totum Catullum, etiam tum puerulus, sæpe relegendo edidiceram) in eo igitur versus hic ita scriptus erat, *Si tu oblitus es, at di meminere, at meminit Fides:* quæ lectio quanto sit elegantior, nemo non videt.

Fides] Hanc quoque inter Deos numeratam fuisse, omnes jam sciunt.

CARMEN XXXI.

1 *Peninsularum*] Gandet, gratulaturque sibi, e Bithynia in insulam Sirmionem reversus. Sirmio autem putatur esse in agro Veronensi, quem hodie Gardæ lacum vocant. Ibi possessiones habuit Catullus.

2 *Ocelle*] Locum hunc summa elegantia tractat Petrus Victorius, Var. Lect. lib. IX. cap. 9. eodem autem modo Cytheronem montem in Phœnissis Euripides 'Dianæ oculum' vocat; et apud eundem Andromacha filium, quem e Pyrrho susceperat, vocat 'oculum vitæ suæ.'

3 *Uterque Neptunus*] Mare superum et inferum significat.

5 *Vix mi ipse credens*] Nam, quæ nimio opere optamus, difficillime credimus: inde sunt illa, 'Teucon' ego

te, Antiphila?' et, 'Vera ne te facies, verus mihi nuncius offers, Nate dea?' et similia.

Thyniam] Ut Syriam et Assyriam, ita Thyniam et Bithyniam pro eodem sæpe dicebant; neque sum nescius, aliam Syriam esse, aliam Assyriam: sed a Poëtis hæc nomina confundi aio.

7 *O quid solutis*] Quinque, meo quidem animo, supra quam dici potest, pulcherrimis versibus exponit voluptatem, qua perfunduntur ii, qui ex longa laboriosaque peregrinatione reversi domum, omnia ibi quietata et composita reperiunt. Et solutas autem curas, ut hic, et solutum curis animum, ut sæpe Cicero, et simpliciter, solutum animum, pro libero et quieto dicimus; ut in his pulcherrimis Varronis versibus; qui quoniam apud Nonium depravati leguntur, ascribam equidem eos ita, ut emendandos puto. Varro *Ἀνθρωποουργία, ἢ περὶ Γενεθλίων*: 'Non fit thesauris, non auro pectus' solutum. Non animis demunt curas ac religiones Persarum montes, non austria diviti' Crassi.'

12 *Salve o venusta Sirmio*] Mos erat, ut qui primum ingrederentur regionem aliquam, ad eamve ex intervallo reverterentur, religiose eam salutarerent: idque, quoniam cuique loco suum quendam genium præesse arbitrabantur: itaque Pythagorici ob id aliis locis fortunatiores esse rebantur: prout videlicet cum ejusque loci genio cujusque genius conveniret. Virgil. 'Ignarus, geniumque loci, famulumque parentis Esse putet.' Idem, 'Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo Implicat, et geniumque loci, primamque deorum Tellurem, nymphasque, et adhuc ignota precatur Flumina.' Ovid. 'Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ Figit, et ignotos montesque agrosque salutat.' Et quidam apud Menandrum, *χαῖρ', ὦ φλη γῆ, διὰ χρονοῦ πολλοῦ σ' ἰδὼν Ἀσπάζομαι.* Et ser-

vus quidam Plautinus, Bacchidibus, 'Herilis patria salve: quam ego hiennio Postquam in Ephesus abii conspicio luhens:' et alter in Sticho, 'Salvete Athenæ, quæ nutrices Græciæ. O terra herilis patria, te video lubens.'

13 *Lydiæ lgeus undæ*] Undas Benaci Lydias vocat a similitudine quadam: nam ut Pactolus, ita Benacis quoque aureas arenas volvere dicitur: forte etiam Lydias vocat Etruscorum ditioni subditas, quod a Lydis Etrusci originem ducunt.

CARMEN XXXII.

4 *Adjuvato*] Autique, pro, addito.

CARMEN XXXIII.

1 *O furum optime balneariorum*] Fures balnearios vocabant, qui surripere solerent vestimenta eorum, qui lavatum ierant: hi autem capitali supplicio afficiebantur; cum ceteris dupli tantum pœna proposita esset; cuius rei multas causas reddit Aristoteles in Problematis. Primum, quod facillimum est in balueis furari: quare, ne magna illa efficiendi facultas cuiquam occasionem peccandi daret, voluit legislator quasi ex adverso opponere majoris pœnæ metum. Deinde, si quis tuum aliquid e domo tua surripuerit, jam tua, ex parte aliqua, culpa est; qui non vel fores occluseris, vel quoquo modo parum tibi spectatæ fidei hominem ædium tuarum aditu prohibueris; at balneator, velit, nolit, omnes sine discrimine in balueas recipere cogitur: merito igitur lex plus ei opis afferre debuit. Adde, quod, qui convicti sunt furti alicujus alio in loco non ita celebri admissi, postea tamen interdum sese ad bonam frugem recipiunt, omnique studio moliantur efficere, ut maculam illam insequentis vitæ continentia deleant: at hi, qui pravitatem suam toti populo patefactam vident, abjecta omni spe, fore

ut illud famæ dispendium ulla unquam ratione sarcire possint, ne conantur quidem animum ad bonas partes adducere: itaque merito, tanquam depositi penitus, desperatique, a corpore Reipublicæ excinduntur. Præterea, ut qui publice egregium aliquod facinus obeunt, plus præstant Reip. quam qui privatim; ideoque majoribus præmiis honorantur: ita qui publice scelus aliquid obeunt, insignius lædunt civitatem, quam si eodem se aliquibus in latebris contaminarent; neque facto tantum, verum etiam exemplo nocent: quare et gravioribus eos suppliciis affici par est. Addit et alias quasdam, quibus, ne nimium exerescat oratio, recensendis supersedebimus. Lepide autem optimum furem dixit Catullus, cum callidissimum et furacissimum significet; quasi ulla in vitiis bonitas esse possit.

CARMEN XXXIV.

1 *Dianæ sumus in fide*] Ludis sæcularibus, pueri puellæque Apolliniæ ac Dianæ laudes canere consueverant. In eum igitur usum Hymnus hic factus est, quo Dianæ laudes continentur. Tres ejusdem generis Hymni apud Horatium leguntur. De his autem ludis multa admodum digna cognitu collegit Politianus in Miscellaneis.

In fide] In tutela, in clientela.

2 *Integri*] Nam et ipsa virgo est; utque semper virgo esse posset, recens nata, obtinuit a Jove: unde apud Ovid. 'Daphne, Da mihi perpetua, genitor carissime, dixit, Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianæ.' Quo loco dubium non est, quin Ovid. Callimachum exprimere voluerit; apud quem Diana ipsa ita loquitur, *Δὸς μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν*. Quin et Socrates apud Platonem in Cratylo, cum varias causas tradat, cur hæc Dea Græce Ἄρτεμις nominetur, illam primam ponit, quod

ἄρτεμες integrum valeat, et incorruptum; ideoque recte illi hoc nomen tribui, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν.

7 *Prope Deliam oleam*] De Latonæ partu varia antiqui scriptores literis proliderunt. Sunt qui dicant ab ea in Delo Apollinem Dianamque uno partu editos. Cicero in Verrem, 'Si in pueritia non iis artibus et disciplinis institutus eras, ut ea, quæ literis mandata sunt, disceres atque cognosceres; ne postea quidem, cum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoriæ ac literis? Latonam ex longo errore, et fuga, gravidam, et jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse, qua ex opinione hominum illa insula eorum Deorum sacra putatur.' Atque ea sententia plurimos assertores habet: unde Latonam Orpheus διδυματόκον, Ovid. 'gemelliparam' vocat. Alii Apollinem et Dianam ne eodem quidem loco, nedum eodem partu, editos esse aiunt, sed Dianam quidem in Ortygia, Apollinem vero in Delo, idque ex Orpheo ipso colligunt: Γειναμένη Φοῖβόν τε, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν, τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐν Δήλῳ. Sed et Homerus, Χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα, Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν, τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐν Δήλῳ. Rursum alii Ortygiam et Delum eandem esse dicunt. Ovid. 'tempusque fuit, quo navit in undis, Nunc sedet Ortygie:' ubi aperte Ortygiam, Delum vocat. Strabo quoque Delum olim Ortygiam vocatam admonet: distinguuntur tamen in iis, quos citavimus, Orphei, et Homeri versibus; et Strabo ipse lib. xiv. aliam quandam a Delo Ortygiam describit; ubi de non nullorum sententia ait Dianam et Apollinem natos esse. Neque minus habet dubitationis, ad quam arborem Latona peperit. Catullus hic olivam nomiat: in eademque sen-

tentia sunt Strabo et Hyginus: at palmam, ait Plinius, in Delo, Apollinis et Dianæ natalibus nobilem conspici; idque Homerus, Theognis, Callimachus comprobant. Interpret quoque Apollonii, 'Mos,' inquit, 'parturientium est, proxima quoque apprehendere, ut sic dolores aliqua ex parte sublevent:' sic Latona palmam apprehendit. Interpret Iliados Homericæ utranque arborem ponit, et palmam videlicet et olivam: idemque etiam Ovidio placuit, cuius illud est, 'Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ, Edidit invita geminos Latona noverca.' At Plutarchus in Pelopida, et in libro de Defectu Oraculorum, 'Deli, qui Bæotia mons est, accolæ Apollinis et Dianæ ortum sibi vendicare' ait; 'illic esse Apollinis Gyræi ædem, ad cuius posteriorem partem duos fontes fluere aqua dulcissima, plurima, frigidissima; quorum alterum palmam, alterum olivam vocari.' Euripides autem in Hecuba, 'duas arbores e terra exitisse in Delo, palmam et laurum; cum ibi Latona partu levaretur.'

8 *Depositæ*] Enixa est: ἀπέθηκατο κόλπῳ, Callimachus. *Depositæ* autem antique, pro 'deposuit.' Priscian. lib. x. 'Antiqui,' inquit, 'et positi protulisse inveniuntur.' Plaut. in Vidularia, 'Nunc apud sequestrum vidulum posivimus.' Appuleius in primo Hermagoræ, 'Et cibatum, quem jocundum esse nobis animadverterant, eum apposiverunt.'

9 *Montium domina*] Sic Horat. 'Montium custos nemorumque, virgo:' et ipsa apud Callim. Jovem alloquens, Δὸς δέ μοι ὄβρεα πάντα' et paulo post, Ὀβρεσσιν οὐκίσσω.

13 *Tu Lucina*] Eadem est Juno Lucina, et Diana Lucifera, ut ex hoc loco cognoscitur, et ex Cic. de Nat. Deor. lib. ii. Sic Horat. 'Sive tu Lucina probas vocari, Seu genitilis Diva.' Idem, 'Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia tuere matres.'

Hesiodus tamen, et Pindarus, et Callimachus aliam a Diana Ilithyian faciunt: immo vero parienti Latone ait Pausanias Ilithyian affuisse; cum ex Hyperboreis ad eam parturientem accurrisset. Servius, Dianam ipsam matri obstetricis munus præstitisse. Apud Callimachum Diana sibi datum ait a fatis, ut parientibus opituletur, quod ipsa sine ullo materno dolore edita fuerit. Contra Homerus, totos novem dies laborasse Latonam, donec Iris partu eam levatura, inscia Junone, adveniret. Sed quis in Fabulis firmum aliquid aut constans requirat?

15 *Potens Tricia*] Eadem enim est cum Hecate, quæ in triviis colebatur. Virg. 'Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.' Potentis autem epitheton ei proprium est. Idem, 'Voce vocatus Hecaten, caeloque eret boque potentem.'

Notho lumine] Luceat enim aliena luce, ut ait Cicero. Unde et mulos ejus vehiculo dabant; quod ut mulus non suo genere, sed equis creetur, sic ea solis, non suo fulgore luceat: auctor Festus.

17 *Tu cursu dea menstruo*] Unde et mensis ipse dictus est, ἀπὸ τῆς μήνης.

19 *Rustica agricola*] Callim. *Ὀβὶ δὲ κεν εὐμειδῆς τε καὶ Ἰλαὸς αἰγάρσσει, Κελροῖς εἰ μὲν βροῦρα φέρει στάχυν.* Hoc autem non sine ratione physica dictum est: humori enim præest Luna, quo omnia nutriuntur.

21 *Sis, quocumque tibi placet*] Erudite et eleganter explicat hunc locum Petrus Victorius Var. Lect. lib. XIII. cap. 2.

23 *Bona ope*] Sic infra, 'Salve, teque bona Juppiter auctet ope.'

24 *Sospites*] Sospitare est bona spe afficere, aut bonam spem non fallere. Festus, 'Sospitent, servant.' Ennius Menalippa, 'Regnumque vestrum sospitent, superstitentque.' Nonius.

CARMEN XXXV.

1 *Poëta tenero*] Cæcilius Novocomo Veronam accersit.

2 *Dicas*] Chartæ enim tabulæque quodam modo loqui videntur.

4 *Lariumque litus*] Lacus Larii ripam.

13 *Inchoatam Dindymi dominam*] Inchoatum a Cæcilio Poëta de Cybele.

15 *Interiorem edunt medullam*] Sic Virgil. 'Est mollis flamma in dallas.' Catullus ipse infra, 'cujus me magnus edebat amor.' Virgil. 'Nec te tantus edat tacitam dolor.' Cic. 'Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.' Horat. 'si, quod est animum, differs curandi tempus in animum.' Quæ exempla congesti, ut magis perspiciatur hujus verbi in talibus exprimendis elegantia.

16 *Sapphica Musa*] Sapphicam musam vocat Sappho ipsam, quam Græci poëtae propter suavitatem versuum, 'decimam Musam' esse dixerunt.

CARMEN XXXVI.

1 *Annales Volusi*] Sive hoc verum est argumentum, sive fictum, nihil salius dici potuit in Annales Volusianos: sed, quia ceteri Interpretes hujus Carminis sensus non sunt assecuti, faciendum est mihi, ut illius argumentum explicem. Catullus, ut in amore sæpe accidere solet, puellam iratus erat, coperatque in eam versus Iambicos scribere: quorum illa aculeos extimescens, Veneri ac Cupidini voverat, si Catullus sibi restitutus foret, se pessima pessimi Poëtae scripta igni daturam: quod votum suum cum mitigato jam ipsi aperuisset, ridens Catullus, Volusianos annales, ut ipsa voti religione solvatur, cremandos esse ait. Ejus autem libri ineptiam alio etiam loco notat, affirmans, usum illius, nisi in complicandis scombris, nullum fore.

Annales Volusi] Suspiciatus sum ali-

quando, horum Annalium mentionem fieri a Seneca, lib. XIV. Epist. his verbis, 'Et paucorum versuum liber est, et quidem laudandus, atque utilis, Annales Volusii: scis, quam non decori sint, et qui vocentur.' Hæc autem postrema verba huc referendam, ubi eos Catullus chartam cacatam vocat: sed tamen hoc valde asseveranter affirmaverim; etenim apud Senecam, Tamsii, non Volusii, legitur.

4 *Restitutus*] Reconciliatus, non, ut alii exponunt, reversus ex Bithynia: sic et infra, 'Quod te restituis Lesbia mi cupido.'

7 *Tardipedi deo*] Vulcano: qui eo claudus fingitur, quod flamma trepido sursum motu tendens quasi claudicare videatur.

8 *Infelicibus*] Quæ dicantur infelices arbores, vide Macrobius.

11 *Nunc o cæruleo creata ponto*] Venerem invocat, ut libro comburendo assit, puellamque voti religione liberet: ut autem dea illa e mari enata fuerit, copiose enarrat Hesiodus Theogonia.

12 *Quæ sanctum Idalium*] Enumerat multos locos Veneri sacros, more veterum, qui in Diis appellandis celebrandisque solebant multa ipsorum epitheta congerere, ac percensere locos quibus ipsi præessent: quod in Homeri præcipue, Orpheique Hymnis animadverti potest.

Uriosque apertos] Plano ac patente situs loco. In quibusdam scriptis libris, *Ærios*, non *Urios*, legitur; suntque, qui populos Cypri fuisse dicant: ego de *Æriis* nihil reperio. *Uria* oppidi meminit et Homerus in Bæotia, *Οἴθ' Ἰρίην ἐνέμοντο* et Dionysius, qui *Urium* vocat, et Herodotus in Polymnia, et Strabo, et Stephanns, et alii: sed cum eo nomine varia diversis locis oppida fuisse reperiam; illud nondum reperire potui, equod illorum Veneri sacrum fuerit.

15 *Dyrrhachium Adriæ tabernam*] Quod illic divertere solerent, qui per Adriaticum navigassent.

16 *Acceptum face*] Verbum sump-tum ab argentariis, qui acceptam redditamve pecuniam facere dicuntur, cum in tabulas suas referunt, eam sibi solutam fuisse.

19 *Pleni ruris*] Ita legendum, non, ut vulgo, *turis*: atque hoc recte ex veteribus libris emendavit Palladius. 'Rus' autem pro rusticitate dicit ut supra, 'Idem infaceto est infacietior rare.' Sic ancilla quædam, apud Plaut. Truculento, servum, a quo rustice excipiebatur, 'rus merum esse' dicit.

CARMEN XXXVII.

1 *Salax taberna*] Minitatur et verbera, et multo fædius aliquid contubernalibus quibusdam, qui puellam, quæ ab ipso aufugerat, detinebant.

Taberna] *Συκεδοχικῶς* tabernam pro ipsis contubernalibus ponit: itaque, quod addit, 'Vosque contubernales,' quasi expositio quædam est ejus, quod præcesserat. 'Contubernales,' ait Festus, 'dicuntur a tabernis, quæ fiebant ex tabulis: unde et tabernacula sunt dicta, licet ex tentoriis et pellibus fiant.'

2 *A pileatis nona fratribus pila*] Indicat, quos contubernales alloquitur; eos nempe, qui tabernam haberent ad pilam nonam a Castorum templo, quod in foro ad lacum Juturnæ fuit, a Castore tantum nominari solitum: etsi tum ipsi, tum Polluci sacrum foret. Castorem autem et Pollucem pileatos fratres vocat, quod eis, utpote Laconibus, eo ornatu statuæ ponerentur.

5 *Hircos*] Ita fædos, ut eorum congressum puellæ omnes æque, atque hircorum, refugere atque aspernari debeant.

9 *Namque totius vobis Frontem tabernæ scipionibus scribam*] Etsi scipio-

nem proprie dicimus baculum, quo infirmiores inter incedendum niti solent: tamen hic scipiones eos vocat, e quibus merces in taberna appenderentur: eis igitur ait se scripturum contubernalibus frontem, id est, ita valide percussurum, ut cicatrices imprimaantur.

11 *Puella namque, quæ*] In aliis, *Puella nam, modo quæ e meo sinu fugit*: quæ lectio mihi quidem magis probatur.

14 *Boni beatique*] Ironia.

16 *Pusilli*] Abjecti, et contemptæ sortis.

Et semitarii] Qui plerunque vulgaria modo scorta, et in semitis prostantia consecemini: in aliis *sellularii*.

17 *Tu præter omnes*] Hos versus temere ab aliis loco motos e veteribus libris hic reposuimus. Hic autem, quisquis est, Egnatius unus videlicet ex illis contubernalibus fuit; qui quod, se formosum putans, puellam præter ceteros assectaretur, ei quoque Poëta præter ceteros irascitur.

Une] Priscian. libro v. de Nomine, 'unus,' loquens, 'De cuius,' inquit, 'vocativo quia quidam dubitant, Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc usum Catull. et Plaut.' Catullus, 'Tu præter omnes une de capillatis.' Plaut. in *Fribolaria*, 'O anice et multis, at mihi une Cephalio.'

19 *Egnati, opaca quem bonum facit barba, Et dens, &c.*] Qui nihil habes, quo bonus, id est, formosus, videri queas, præter opacam barbam, et dentium candorem multa urinæ fricatione quæsitum.

CARMEN XXXVIII.

1 *Mule est Cornifici*] Conqueritur cum Cornificio, qui ipsum, in magno dolore animi positum, ne allocutione quidem ulla solatum accesserat.

3 *Et magis magis*] Ita est in meo

manuscripto, aliisque veteribus: et sic quoque Catullus alio loco locutus est, 'Post, vento crescente, magis magis increbrescunt;' ut, quin hæc vera lectio sit, dubitari non oporteat.

5 *Allocutione*] Proprie admodum. Varro, 'Allocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi causa:' ita enim cum locum Varronis, ope veteris libri, emendavit Victorius, cum in aliis legeretur, *consulendi*.

6 *Sic meos amores*] Post hunc versum, equidem non dubito, quin aliquid desit, sine quo insequentium versuum sententia explicari non queat: sunt tamen quidam in primis eruditi homines, qui putent fieri posse, ut nihil desideretur; exponantque ad hunc modum: Adhibuisse quidem Cornificium Catullo consolationem aliquam, sed et brevem, et ejusmodi, ut lamentationi alicui, quam consolationi, similior videretur: hanc autem orationem concisam esse, et *ἐλλειπτικήν*, ad indicandam vim et magnitudinem doloris: ut intelligamus, *Sic meos amores?* id est, sicine meos amores a te parvi fieri, ut meliorem mihi consolationem nullam afferas? quid enim tandem a te allatum est? *Paulum quid lubet allocutionis*, atque id quoque ipsum *Mæstius lacrimis Simonideis*. Excelluisse autem Simonidem Poëtam in tractatione rerum tristicum, cum aliunde, tum ex Fabii testimonio intelligi potest. Sunt, ut dixi, qui huic locum ita interpretentur: ego deduci de sententia non possum; omninoque deesse aliquid existimo.

CARMEN XXXIX.

1 *Egnatius*] Ineptiam Egnatii exagitat; qui cum de candore dentium, quem sibi spurcissime parabat, ut de magno aliquo bono, magnopere se amaret, ejus ostentandi causa, sæpe, nulla occasione, ridebat, aut ea etiam excipiebat risu, quæ lacrymis potius

excipi par foret. Eodem morbo A-lexis Comicus mulieres quoque laborare ait lepidissimis versibus, quos e Clemente Alexandrino Petrus Victorius in libros suos transtulit; quos, quoniam nondum satis emendatos puto, ita proferam, ut legi oportere arbitror: neque me id etiam cum bona ipsius Victorii gratia facturum esse diffido. Sunt autem Trochaici Octonarii Catalectici: Εὐφρεῖς ὀδόντας ἔσ-χεν; ἔξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν. Ἴνα θεωρῶσιν οἱ παρόντες, τὸ στόμι' ὡς κομψὸν φέρει. Ἐὰν δὲ μὴ χαίρη, γελῶσα διατελεῖ τὴν ἡμέραν, Μυρβίνης ξυλύφιον ἔχουσα λεπτὸν ἐν τοῖς χεῖλεσιν, Ὅστε τῷ χρόνῳ σεση-ρέν', ἂν τε βούλετ', ἂν τε μὴ.

2 *Renidet*] *Ridet*. 'Renidere' dicitur; quidquid hilarem aliquam speciem præ se fert: quo sensu transfertur etiam ad inanitata.

Seu ad] Hujus *Συνεκφωνήσεως* rare admodum exempla reperiri puto.

Seu ad rei ventum est Subsellium] Sive quis eum amicus in gravi aliqua causa periclitans advocatum adduxit sibi: quis autem locus alienior a risu, quam iudicium?

3 *Cum orator excitat fetum*] Cum ad eam orationis partem ventum est, in qua orator, velut habenas eloquentiæ laxans, omnia permiscet affectibus, ita ut sæpe e corona astante ii quoque, ad quos nihil res attinet, lacrumare cogantur; eo inquam tempore, quo subsellia ceterorum gemitu planetque resonant, *Renidet ille*. Addit etiam, quod sit absurdus:

4 *Seu pii ad rogum filii Lugetur; orba cum flet unicum mater*] In singulis autem verbis inest pondus: nam et nullus acerbior luctus est, quam ob amissum filium; et in eo minus sibi matres, quam patres, temperant; idque præcipue, si lugetur et pius, et unicus, et eo maxime temporis puncto, quo miseræ matres illa sibi tantopere dilecta ora flammis feralibus depasci vident: in quo tanti ejulatus excitari solent, ut ipsa pene

saxa perrumpat dolor. At Egnatius, cum dentes ostendat, istis rebus non valde movetur: itaque in tam mæsto spectaculo, lamentantibus ceteris, *Renidet ille*: ac denique,

6 *Quidquid est, ubicunque est, Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum*] Morbos vocabant pravitates quasdam animi, consuetudinesque vitiosas. Cic. in Verrem, de Signis: 'Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum, et insaniam; ut Siculi, latrocinium.' Apposite autem id verbi adhibuit Poëta, quo in amicorum vitiis uterentur; qui et se amicum esse Egnatio simulet, et admonere eum, quasi amice, velit.

9 *Quare monendus est mihi*] Hactenus de eo locutus est: nunc ad eum orationem convertit, inquit,

Bone Egnati, &c.] Subest autem vis argumenti ἀπὸ τοῦ ἐλάττωνος, hoc modo: Etiam si oriundus esses ex aliqua earum gentium, quæ sibi dentium caudorem sine ulla spurcitia comparant; tamen, ita frequenter, ac nulla occasione eos retegeret, ineptum esset: quanto igitur id ineptius est, cum originem ex ea gente hominum ducas, quæ sibi non horret quotidie urina confricare gingivas, ut dentes efficiat candidos?

10 *Si urbanus esses*] Id est, in urbe natus.

11 *Aut parcus Umber*] Videtur frugalitatem et parsimoniam Umbris tribuere: contra tamen eorum luxus a multis idoneisque scriptoribus incessitur.

Aut obesus Etruscus] E copiosis, videlicet, frequentibusque sacrificiorum epulis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur.

12 *Aut Lanuvinus ater*] In aliis *acer*.

13 *Ut meos quoque attingam*] Verona enim est ex Italia transpadana.

14 *Lavit*] Ita dicebant veteres, non, ut nunc, *lavat*. Virgil. 'lavit improba teter Ora eror.'

16 *Nam risu inepto*] Ob id etiam Græci, quos significare volunt insigniter fatuos, ἀχραιογέλωτας vocant.

17 *Celtiberia in terra*] Antiquè additum, terra.

CARMEN XL.

1 *Quænam te mala mens*] Hujus versus postrema syllaba a principe subsequenti absuntur.

2 *Agit præcipitem*] Cum enim meos amores attentare audes, tum videris ultro in ipsam uicorum versuum acciendi incurrere; teque in eos præcipitem dare.

3 *Quis Deus*] A Diis enim iratis mala consilia in hominum mentes immitti putabant. Cic. pro Milone, 'Hic Dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perditio ac furioso, ut illi faceret insidias: aliter perire pestis illa non poterat.' Aut ad eorum sententiam respicit, qui affectiones, quibus agitur animus, Deos vocabant; in Græcorum enim commentariis reperio, Dei nomen quinque fere modis usurpari solere; ut modo sapientes homines, modo reges ac potentes Deos uocemus, modo elementa, modo fatum, modo etiam facultates animi, ipsasque illius agitationes: quo etiam respexit Virgil. 'Di ne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?'

5 *Ut peruenias in ora vulgi*] Ut meis versibus traductus ad infamiam, nobilis et decantatus evadas? Hæc autem locutio, venire in ora, et in vitio et in laude etiam ponitur. Liv. lib. II. 'Timorem injecit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret.' Propert. 'Crede mihi, magnos æquabant ista triumphos Indicia; et venies tu quoque in ora virum.'

CARMEN XLI.

1 *Acme illa*] Indignatur, Acmen ausam esse a se decem millia pro mercede concubitus poscere.

3 *Turpiculo*] Cic. lib. II. de Ora-

tore, 'Gravitas honestis in rebus severe, jocus in turpiculturalibus et quasi deformibus ponitur.

4 *Formiani*] Septimii; ut infra, 'Acmeo Septimius suos amores.'

5 *Propinqui*] Advocandos ait esse amicos puellæ, et medicos ad eam curandam: furere enim, et atra bili percitam esse.

7 *Nec rogare, Qualis sit solet hæc imaginosum*] Id est, speculum de forma sua consulere non solet: id enim si faceret, quamvis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam ut tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum, a reddendis intuentium imaginibus.

CARMEN XLII.

1 *Adeste Hendecasyllabi*] Hendecasyllaborum opem implorat, ad extorquenda pugillaria, sibi a meretrice quadam subrepta: ac primum quidem eam conviciis persequitur, ad postremum etiam blanditiis tentat.

Quot estis] Id est, quotquot estis: sic supra, 'Et quantum est hominum venustiorum,' pro, 'quantum quantum est:' sic sæpe apud Cic. 'quo modo,' pro quoquo modo, et 'cujusmodi,' pro cuiusmodi: sic 'quot Calendis' Plautus, et nos 'quotannis,' pro eo quod Varronem quotquot annis dicere solitum tradunt: quam Varronis consuetudinem imitatus videtur Horat. illo versu, 'Non si trecentis, quotquot eunt dies, Amice places illacrymabilem Plutona tauris.'

4 *Vestra*] Scribendis vobis quasi dicata.

8 *Turpe*] Turpiter.

Myrmice] Pari figura 'formicinum gradum' dixit Plaut. Menæchmis.

13 *O lutum*] Eodem modo servus quidam in Persa lenonem, 'lutum lenonium' vocat: hæc quoque contumelia Cic. in Pisonem usus est.

16 *Quod si non aliud pote est*] Si nihil, inquit, aliud possimus, saltem incutiamus ei ruborem: etsi hoc prop-

ter ipsius impudentiam difficile erit.

17 *Ferreo*] Impudentiam significat, ut apud Aristoph. *σιδηροῦς ἀνὴρ* sic et apud Ovid. 'duri pner oris, et audax.' Cicero quoque pro P. Quintio, eodem sensu, 'durissimo ore esse eos,' ait, 'qui præsente Roscio gestum agere conarentur.' Idem valet, quod statim additur, 'Canis:' nota enim est ejus bestiae impudentia: unde et Homer. illud *κυνώπης*, et Cynicorum appellatio fluxit: sed et apud Terentium Eunuchus et 'canis,' et 'os durum,' impudentiam significant; ut pridem in eam fabulam scripsimus.

CARMEN XLIII.

1 *Salve*] Enumerat multa in Aeme, quæ parum venusta sint: tum urbane admodum admiratur, infacetos usque eo esse homines, ut eam non modo bellam putent, sed etiam cum Lesbia comparare audeant.

2 *Nec bello pede*] Brevitas pedis in puellis laudatur. Ovid. 'Pes erat exiguus: pedis hæc aptissima forma est.' Contra Virgilius de rustica, 'spatiosa prodiga planta.' Horat. 'Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo.' Aristot. quoque (si ejus sunt τὰ φυσιογνωμονικὰ) longum latumque pedem roboris, brevem mollitiei notam esse affirmat; virisque illum, hunc mulieribus esse aptiorem.

Nec nigris ocellis] Nigros oculos antiqui in non minima pulchritudinis laude ponebant: Horat. 'Et Lyenm nigris oculis nigroque Crine decorum.' Idem, 'Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.' Pind. Pyth. *ἐλικώπιδα* Venerem vocat, Hesiod. Theog. *ἐλικωβλέφαρον* Homer. Il. A. Chryseida *ἐλικώπιδα κούρην*, idemque in Hymno Castorum Musas *ἐλικώπιδας* nominat.

3 *Nec longis digitis*] Contra ProPERT. de Cynthia, 'Fulva coma est, longæque manus, et maxima toto Corpore, et incedit vel Jove digna soror.'

Nec ore sicco] Significat eam fre-

quenter spuere; quod cum omnibus, tum puellis præcipue indecorum est: sic Juvenal. nasum siccum vocavit ejus mulieris, quæ non sæpe emungeretur.

CARMEN XLIV.

1 *O funde noster*] Mos antiquis fuit, ubi quid scripserant, convocare amicos, eisque illud, quidquid erat, recitare, ac ipsorum judicio subicere, antequam ederetur. Cum igitur Sextius Orationem quandam scripsisset, eamque recitaturus, lautum amicis aliquid convivium apparasset; ait Catullus se, sumptuosæ cenæ (sed hoc joco dictum accipio) cupiditate motum, venisse una cum reliquis, ibique, audienda illa Oratione, tantum contraxisse frigoris, ut postea necesse habuerit, valetudinis. caussa, in suburbanam villam, ad dies aliquot secedere. Agit igitur gratias fundo, in quo pristinam firmitatem recuperarat; seque postea nihil tale admissurum pollicetur.

Seu Sabine, seu Tiburs] Erat videlicet fundus hic in utriusque regionis confinio; ideoque, utrius esset, ambigebatur.

2 *Nam te esse Tiburtem*] Tiburtinæ regionis summa amœnitas fuit: ita ut Horatius et nobilissimis quibusque Græciæ civitatibus eam anteponebat, et alio loco eam sedem senectuti optet suæ: itaque magno in pretio erant Tiburtina prædia. Quo fit, ut Catullus fundum suum dicat ab iis, qui sibi gratificari velint, Tiburtem, Sabinum ab aliis nominari; ad dignitatem enim fundi putabat pertinere, ut Tiburs potius, quam Sabinus, diceretur.

Autunant] Dicunt.

5 *Tiburs*] Tibur a Tiburno nomen accepit. Virgil. 'Fratris Tiburni dictam cognomine gentem:' quo loco vulgati codices pro, 'Tiburni,' male habent, 'Tiburti:' cum tamen et Servius Tiburum agnoscat; et Pie-

rius in Romano codice, 'Tiburni,' affirmet legi, et 'Tiburni' Priscianus quoque meminerit: sed et, cum mihi, Odas Horatii Lutecia publice interpretanti, Petrus Gallandius, Latinarum literarum professor regius, homo optimus et eruditissimus, Horatium perveterem utendum dedisset, eumque una ego, et, flos Gallia, Adrianus Turuebus evolveremus, animadvertimus in eo locum hunc aperte ita scriptum esse, 'Quam præceps Anio, et Tiburni lucus, et uda Mobilibus pomaria rivis:' neque dubitavimus, quin ea vera scriptura esset: cum tamen in impressis omnibus, 'Tiburti,' legatur.

8 *Non immerenti quam mihi meus venter*] Alii *vertitur mens*; alii, *verenti mens*; alii, *vertitur mensa*; alii, *meretur mens*; quorum nullum recipi potest. Dionysius Lambinus, homo eruditissimus, mihiq; summe amicus, ait, se vidisse librum, in quo esset, *Vorax venter*: ego, cum in meo manuscripto reperissem, *meus vertet*, suspicatus sum, legendum, *meus venter*.

15 *Ocyro*] Ita legendum; non, ut in aliis, *ocio*.

16 *Grates Ago*] Locutio poetica; qua tamen Cic. de Rep. lib. vi. usus est. 'Grates,' inquit, 'tibi ago summe Sol.' Livius lib. v. 'Plena omnia templa Romanarum matrum, Diis grates agentium, erant.'

18 *Deprcor*] Recuso.

19 *Recepso*] Antiquè, pro 'recepto.' Virgil. 'Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma.' Poëta quidam vetus apud Cic. de Officiis, 'Quod ni Palamedis perspicax prudentia Istiu' percepset malitiosam audaciam.' Pacuv. 'Haud sinam quicquam profari, priusquam accepso, quod peto.'

Non mi, sed ipsi Sextio] Jocus *παρὰ προσδοκίαν* Plauto valde usitatus.

CARMEN XLV.

1 *Acmen Septimus*] Exponit blandi-

tias, quas sibi invicem dicebant faciebantque Septimius et Acme: eisque, *εἰρηνευόμενος*, nihil esse beatius scribit.

7 *Cæsió*] A parte totum: *Συνεκδοχή*.

8 *Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante Dextra, sternuit approbatione*] Cum Septimius ardorem amoris in Acmen sui verbis aperuisset; Cupido, ait Catullus, utrinque sternuens, quæ ab eo dicta erant, comprobavit. Incertum autem est, ex utra parte prius sternuisse Amorem dicat; sunt enim, qui ita distinguant, *Amor sinistra, ut ante Dextra, sternuit approbatione*: alii ita, *sinistra ut ante, Dextra sternuit approbatione*. Porro veteres sternutationem medium quoddam omen esse arbitrabantur, id est, quo modo boni aliquid, modo mali portenderetur; ut annotant interpretes Theocriti in locum illum ex Thalysiis, *Σιμιχίδα μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον, ἧ γὰρ ὁ θεῖλος Τόσσον ἐρῆ Μυρτοῦς, ὅσον εἶλαρος αἴγες ἔραται*. Sæpius tamen in bonam partem accipiebatur, præcipue si dextersum quis sternuisset, ut in II. vii. annotat Eustath. itaque et Odys. xiv. Penelope e sternutatione Telemachi, gaudio perfunditur, quem in locum idem Interpretas satis multa ad hanc rem pertinentia congerit: et apud eum, quem supra nominavi, Theocritum in Helenes Epithalamio ista ponuntur: *Ὀλβίε γάμβρ', ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι Ἐσ Σπάρταν'* sed et illud Propertii non alienum est, 'Num tibi nascenti, primis, mea vita, diebus, Aridus argutum sternuit omen Amor?' quem in locum plura dicemus, cum eum Poëtam interpretabimur.

19 *Ab auspicio bono profecti*] Ductus a tam bono auspicio amoris sui principiis.

20 *Mutuis animis amant, amantur*] Summa in amore felicitas, invicem æque amari: eum amorem Plantus 'cultu optimum' vocat: 'Is amabat

meretricem natam Athenis Atticis, Et illa illum contra: qui est amor cultu optimus.' Hoc etiam est, quod de se et puero suo Theocr. apud posteros prædicari optat, fuisse videlicet duos homines, qui se, æqua veluti lance, mutuo amaverint; fuisseque tunc homines plane aureos, cum, qui amaretur, vicissim amaret: Ἄλλήλους δ' ἐφιλήσαν ἴσφ ζύγω' ἢ ῥά τὸτ' ἦσαν Χρυσεῖοι πάλαι ἄνδρες, ὅκ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθεῖς. Huc pertinet et illud Bionis, καλὸν δέ τ' ἐρασσαμένω συνερᾶσθαι.

CARMEN XLVI.

1 *Jam ter*] Carmen hoc in Bithynia factum esse opinor; cum illuc Memnium prætorem secutus esset.

Egelidos tepores] Moderatos illos calores, quorum fotu omnia vegetantur. Egelidum est tepidum, ut in illo optimo, sed in multis libris depravato, Ovidii versu, 'Et gelidum Borean, egelidumque Notum.'

2 *Cæli furor*] Horrificus ille stridor ventorum tumultuantium.

Æquinoctialis Zephyri] Sub vernum æquinoctium flantis.

5 *Nicææ*] Urbs est Bithyniæ, quæ olim ab insigni agri ubertate Olbia dicebatur: qui eam Prusiada vocant, errant videlicet de male intellectis depravatisque Plinii verbis.

6 *Ad claras Asiæ volemus urbes*] Trojam, inter ceteras; quo ad inferias fratri solvendas profectus est.

CARMEN XLVII.

1 *Porci et Socraton*] Indignatur, Porcio et Socrati Verannium et Fabullum a Pisone posthaberi. Socratonis nomen Græcum est, non Romanum: forsitan liberti alicujus nomen fuerit.

2 *Pisonis scabies*] Qui Pisoni prurientem illum libidinis ardorem excitatis.

Famesque mundi] In aliis, *famesque Memmi*.

5 *Lauta*] 'Lautitia,' ait Festus,

'epularum magnificentia * alii a lavatione dictum putant: quia apud antiquos hæ elegantia, quæ nunc sunt, non erant, et raro aliquis lavabatur.' Cogitandum autem, num in illis Festi verbis tale aliquid desit, a Græco λαύξω: ut prius Græcam, postea Latinam ejus verbi originem tradat: qui manuscriptos libros habent, de hac mea conjectura judicabunt. Quoniam autem verba quædam Phavorini legunt apud Gellium, quibus mirifice aperitur, quod lautum convivium veteres dixerint, ea quoque ipsa ascribam: 'Præfecti popinæ atque luxuriæ negant cenam lautam esse, nisi, cum libentissime edis, tum auferatur, et alia esca melior atque amplior succenturietur: is nunc flos cenæ habetur inter istos, quibus sumptus et fastidium pro facietis procedit; qui negant illam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere; ceterarum avium atque altilium nisi tantum apponatur, ut a cluniculis inferiori parte saturi fiant; convivium putant inopia sordere: superiorem partem avium atque altilium qui edant, eos palatum non habere: si pro portione crescit luxuria, dehere et epulas crescere. Videte, quid relinquitur, nisi ut delibari sibi cenas jubeant, ne edendo defatigentur: quando stratus auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus, quam Diis immortalibus adornatur.'

6 *De die*] De nocte, quam de die, indulgere Genio, tolerabilius habebatur: diem enim agendis rebus, noctem curandis corporibus, hilarandoque animo impendi volebant: itaque Catonem quoque ipsum largius se ac prolixius de nocte invitare solitum accepimus: quo nomine cum a quodam reprehenderetur, Cicero, qui tunc forte aderat, 'Deberas' inquit, 'illud adjicere, eum totos dies aleam lndere:' cum illud videlicet ex contrario indicaret, homini, qui totos dies susceptis pro republica curis

laboribusque traduceret, noctem liberam concedi oportere.

7 *Quarunt in trivio vocationes*] Stant in triviis expectantes, dum se aliquis ad cenam vocet. 'Vocare,' antiqui sæpe sine ulla adjectione dicebant, cum, ad cenam, subintelligerent. Catullus ipse supra, 'Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.' Parasitus quidam apud Plaut. Stichum, 'Negare nulli soleo, si quis me vocat:' quo loco male quidam libri habent, *esum vocat*, contra veterum librorum fidem, et rationem metri. Vocatores quoque nominabant servos, quorum opera in vocandis convivis uterentur. Quod in quibusdam libris *vocationes* legitur, operarum vitio factum est, non quod quisquam locum ita immutandum putarit.

CARMEN XLVIII.

1 *Mellitos*] Neminem fore arbitror, qui non potius horum versuum suavitatem admiretur, quam cuiusquam in eis explicandis industriam requirat.

CARMEN XLIX.

1 *Disertissime*] Agit gratias M. Tulio; quod ob beneficium ab eo acceptum, divinare non possumus: nam, qui ad fundum Tiburtem hoc loco confugiunt, nihil aliud, quam inscientiam patefaciunt suam.

CARMEN L.

1 *Hesterno*] Epigramma hoc est ad Calvum, de quo supra egimus.

3 *Ut concenerat esse*] Ubi uterque nostrum ad cenam condixerat. *Esse* enim hoc loco expono, cibum capere.

10 *Nec somnus tegeter quiete ocellos*] Hac locutione infra quoque usus est, 'Piger iis, labante languore, oculos sopor operit.'

15 *Semimortua*] Propter illam mentis agitationem, dormiendique difficultatem.

16 *Poëma*] Varro Parmenone, 'Poëma est λέξις ἐρρυθμος, id est, verba

plura modice in quandam conjecta formam: itaque etiam Distichon, Epigrammation, vocant Poëma: Poësis est perpetuum argumentum e rhythmis, ut Ilias Homeri, et Annales Ennii: Poëtica est ars carum rerum.'

19 *Despuas*] Contemnas.

Ocelle] Ita sæpe vocabant eos, quibus blandiebantur: exempla apud Plaut. satis crebra sunt.

20 *Nemesis*] Hæc enim dea fastum et arrogantiam punire credebatur.

CARMEN LI.

1 *Ille mi par esse*] Beatum esse ait, quicumque Lesbiam aspectu et alloquio frui possit: post castigat se ipsum, affirmans, tales cogitationes non nisi ex ocio nasci; additque gravem sententiam; ocium multis regibus, multisque urbibus exitii causam fuisse. Secundæ strophes ultimus versus desideratur. is autem qui vulgo legitur, *Quod loquar amens*, non Catulli est, sed Parthenii: idcoque eum sustulimus. Hoc enim perpetuo tenere decrevimus, ut ne quid alienum veterum scriptis scientes admisceamus: alioqui enim rejiciendus ille versiculus non erat; cum ad sententiam mirifice quadret. Libet autem hoc potissimum loco singularem gratiam inire ab iis omnibus, qui antiquitatis studio, et delicatorum versuum suavitate capiuntur. Etenim, cum Dionysii Longini libellum Περί Ὑψους, qui nondum a quoquam editus est, hortante eodem, qui me ad hæc scribenda impulit, singularis doctrinæ eximieque virtutis viro, Paulo Manutio, Latine interpretari cœpissim, ut eodem tempore optimus liber et Græcus, et mea opera Latinus factus ederetur; cum alia in eo sane plurima deprehendi digna, propter quæ liber ipse communi omnium elegantium hominum desiderio expetatur, tum Oden suavissimam Poëtricæ Sapphus, quam iis, qui proxime anteces-

serunt, versibus maxima ex parte Catullus expressit. Quis autem est, duntaxat eorum, qui aliquem literarum atque humanitatis sensum habent, qui non summam voluptatem capiat, mulieris in hoc genere longe post homines natos præstantissimæ, et Poëtæ Latinorum omnium mollissimi versibus invicem comparandis? eam autem Oden, cum locis aliquot depravata esset, versusque ipsi pernisti confusique invicem essent, jam ante, quam liber in meas manus veniret, emendaverat, distinxeratque homo et Latinarum et Græcarum literarum cognitione excellens, Franciscus Portus; qui idem cum in aliis optimis utriusque linguæ scriptoribus, tum in Æschylo multa felicissime emendavit, quæ adhuc in omnibus impressis libris depravata circumferuntur: enim igitur merita laude fraudare nolui. Sed jam neminem esse arbitror, qui non decimam illam Musam audire gestiat. Φαίνεται μοι κείνος ἴσος θεοῖσιν Ἐμμεν' ἀνὴρ, ὅστις ἐναντίον τοι Ἰζάνει, καὶ πλασίον ἀδὴν φωνούσας ὑπακούει, Καὶ γελώσας ἰμερόβεν, τό, μοι τὰν Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν. Ὡς ἴδου σε, βρόγχον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς Οὐδὲν ἔθ' ἤκει. Ἀλλὰ καμμέν γλῶσσο' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτόν Αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδεδρόμακεν. Ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὕρμη· βομβεῦσιν δ' ἄκοαί μοι· Καθ' δ' ἰδρῶς ψύχρος χέεται· τρόμος δὲ Πᾶσαν αἶρει· χλωροτέρη δὲ ποίας Ἐμμί- τεθνᾶναι δ' ὀλιγοῦ δέουσα φαίνομαι ἕπνοῦς.

CARMEN LII.

1 *Quid est Catulle*] Secum indignatur, homines indignissimos, Nonium cognomento Struam, et Vatinius, illum quidem ad Ædilitatem Præturamve (non enim memini quidquam hac de re certi proditum esse) illum etiam ad consulatum pervenisse; idque ita iniquo animo fert, ut nihil sibi caussæ esse dicat, cur non a vita potius recedat, quam ut ista spectacula videat.

3 *Per consulatum*] Solebant enim

per ea jurare, quæ carissima haberent.

Pejerat] Per consulatum jurare intolerabilis arrogantiae esset: at in pejerando etiam aliud flagitium est. Fuit autem P. Vatinius Consul una cum Q. Fusio Caleno: valdeque errant hoc loco omnes Interpretes, qui, quæ de Caninii consulatu dicta sunt, ea ad Vatinius referunt: sed erroris sui ducem atque auctorem habent Macrobinum, qui, in percensendis Ciceronis jocis, Vatinius ubique pro Caninio nominat: si tamen impressi libri vacant mendo.

CARMEN LIII.

Risi nescio quem] Calvus exiguæ staturæ fuit, sed acer et vehemens in dicendo: is in controversia quadam, ne propter corporis parvitatem minus conspicuus esset, imponi se supra cippum jusserat: ut est apud Senecam. Ait igitur Catullus valde risisse se, quod, cum Calvus mira Orationis vehementia in Vatinius dixisset, quidam e corona, admiratus in tantulo corpusculo tantam eloquentiæ vim latere, sublatis manibus, Di magni, dixerit, *salicippium disertum*: respiciens videlicet ad id, quod paulo ante narravimus. Ridendi autem occasionem cepit Poëta ex eleganti novitate vocis, quam ille, quisquis fuit, a saliendo in cippum, urbane admodum venusteque confinxerat. Cum autem alii monstra qua dam vocabulorum in hunc locum invexissent, eaque barbære et insulse interpretati essent; primus Paulus Manutius animadvertit, et hic, et apud Senecam, *salicippium*, eo quo diximus sensu, legi oportere.

In corona] Ita vocabant multitudinem, quæ in formam confluebat. Cicero, 'Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat.'

2 *Vatiniانا crimina*] Ex Oratione Calvi in Vatinius, citat hæc verba Seneca Epist. lib. xvi. 'Factum esse

ambitum scitis: et hoc vos scire omnes sciunt.'

4 *Manus tollens*] Gestus admirantium. Cic. ad Cæsarem, 'Sustulimus manus et ego, et Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quid non fortuitum, sed divinum videretur.' Et in Academicis, 'Hortensius autem vehementer admirans: quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, ut etiam manus sæpe tolleret.'

CARMEN LIV.

1 *Othonis caput*] Hos quidem versus, 'nisi Sibylla,' ut ille ait apud Plant. Pseudolus, 'legerit, Interpretari alium posse reor neminem.' Omnino constat, fragmenta esse diversorum Epigrammatum, sed ita lacera, ut non sperem unquam intellectum iri. Vetat autem Hippocrates, desperatis adhibere medicinam.

CARMEN LV.

1 *Oramus*] Exponit, quantopere se, quærendo Camerio, defatigaverit; rogatque eum, tum ut, ubi sit futurus, indicet, tum ut amores detegat suos. In magna autem parte horum versuum spondæus secundo loco ponitur: quod cum quibusdam videretur absurdum, discussum est a veterum librorum fide, varietate mutata quam plurima: ego veterem scripturam, quantum in me fuit, reposui.

3 *In minore campo*] Qui ad campum Martium fuisse dicitur.

4 *In circo*] Circum maximum intelligo.

Te in] Litera *e* non eliditur.

Omnibus tabernis] Quæ in foro dispositæ erant.

5 *In templo*] Capitolium dicit.

6 *In Magni simul ambulatione*] In porticu Pompeiana.

7 *Femellas*] Jocose. Sciebam te magnum esse assectatorem feminarum, in quibus aliqua esset formæ elegantia: itaque ex ejusmodi omnibus de te percontabar.

Delph. et Var. Clas.

9 *Sic tantum*] Nulla longiore utens oratione, quoniam videlicet te videre properabam.

10 *Camerium mihi*] Indicate, subintelligendum.

11 *Quædam*] Illudens mihi, simulque occasionem quærens, qua mihi pectoris sui candorem et pulchritudinem ostenderet.

18 *Si linguam*] Si amores tuos mihi celare perges, privabis te gaudiorum tuorum longe maximo fructu: crescunt enim gaudia, quæ cum amicis communicantur. Tibull. tamen inquit, 'Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinn.'

20 *Verbosa gaudet*] Contra Tibull. 'celari vult sua furta Venus.'

21 *Vel si ris*] Si vis, inquit, per me licet, alios omnes celatos habeas, dum unus ego sim tuarum voluptatum conscius.

23 *Non custos si fingar ille Cretum*] Non si Dædalus fiam: custodem autem Cretum vocat, quod ei Minos proficiscens adversus Athenienses, regni custodiam commiserit: ita enim a quibusdam, sed non valde idoneis auctoribus, traditum est. An potius Talum dicit? hunc enim tantæ celebritatis fuisse aiunt, ut totam Cretam uno die pedibus obiret; quod tamen equidem nusquam adhuc reperire potui, nisi apud eos, qui ita hunc Catulli locum interpretantur. Ego, quæ de Talo apud scriptores *ἀξιολόγους* comperi, afferam; deinde suum cuique iudicium relinquam. Hunc igitur toto corpore æreum fuisse acceptimus, præter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membranula tectum; qua dirupta, mors ei fataliter constituta esset. Hunc Juppiter raptæ Europæ, et in Cretam abductæ, dono dedit, qui insulæ custos foret, terque totam insulam obiret: die, an mense, an anno, nihil diserte ab Apollonio expressum est, quo loco narrat, quem in modum hic Argonautas, a Colchica expeditione rede-

Catul.

2 H

untes, ne in Cretam, ut volebant, appellerent, prohibuerit: ejus e lib. iv. hæc sunt: Τὸς δὲ Τάλως χάλκειος, ἀπὸ στ. βαροῦ σκυπέλειο ῥηγνύμενος πέτρας, εἶργε χθονὶ πείσματ' ἀνάψαι, Δικταίην ὄρμιο κατερχομένους ἐπ' ἰωγήν. Τὸν μὲν χάλκειός μελιγγενέων ἀνθρώπων ῥίξῃς λοιπὸν ἐόντα, μετ' ἀνδράσιν ἡμιθέοισιν, Εὐρώπῃ Κρονίδης ἰήσου πύρεν ζῆμναι οὖρον, τρίς περὶ χάλκειος Κρήτην ποσὶ διανοῦντα: *Arcus hosce Tulus lapides e monte verulsos Projiciens, retuit terræ religare rudentes, Ostia cum cursu peterent Dictæa citato. Juppiter hunc, reliquum ex hominum arboribus natorum Arcæa progenie, cum semideum comitatu, Custodem Europæ dederat, qui littora Cretæ Ter, quam longa forent, pedibus lustraret ahenis.* Iis autem, qui consequuntur, versibus, qua illum arte Medea interfecerit, exponitur. In Orpheï quoque Argonauticis hæc de eo leguntur: "Ὅσσα τ' ἔρ' ἐν Κρήτῃ πάθον ἄλλα τετληῆτες, Χάλκειον τριγύγαντα δουκόμενοι, ὕφρ' ἰκόμεσθα, Ὅς ῥά οἱ οὐκ εἶα λιμένων ἐντοσθεν ἰκίσθαι. Quid memorem, ad Cretam quot dura et acerba tulerunt, E solido vastum spectantes arcē gigantem, Illos qui optato vituit succedere portu? Memini ejus et Lucianus in Φιλοψευδεῖ, his verbis: "Ὅρα τοῖνον, ἦν δ' ἐγὼ, μὴ οὐχὶ Πέλιχος ὁ ἀνδριάς, ἀλλὰ Τάλως ὁ Κρήτης ὁ τοῦ Μίνως ἦ. καὶ γὰρ ἐκεῖνος χάλκεος τις ἦν, τῆς Κρήτης περίπολος. Eustathius in lib. xx. Odyss. narrat, eum mira quadam ratione solitum encicare hospites, qui in Cretam appulissent: desiliebat enim in ignem (poterat autem id impune facere, cum aeneus esset) ibique ita se concalefaciebat, ut canderet; comprehensus igitur hospites, et pectori suo admotos, ridens ipse, exurebat; etsi Eustathius, non hunc, sed alium quendam, quem Vulcanus fabricatus esset, Europæ custodem datum, innuere videtur. Plato in Minoë narrat, duos adfuisse Minoi, quibus ipse ad legum custodiam uteretur, Rhadamanthum et Talmu; quorum illi

res urbanas, huic ceteram Cretam curæ fuisse. Talmu itaque solitum ter quotannis obire omnes Cretensis agri pagos, ferentem secum leges in æs incisas: unde datam Fabulæ occasionem, ut aeneus diceretur. Fierunt et alii hoc nomine: sed nihil ad eum, in quo nunc versamur, locum.

24 *Non si Pegaseu]* Pegasi Fabula notior est, quam ut hoc loco explicari debeat.

25 *Non si Ladas]* Solinus, 'Primam palmam velocitatis Ladas quidam adeptus est, qui ita supra cavum pulverem cursavit, ut, aenis pendentibus, nulla indicia relinqueret vestigiorum.' Pausanias Corinthiacis: Τοῦ ναοῦ δὲ ἐστὶν ἐντὸς Λάδας, ποδῶν ἀκύττητι ὑπερβαλόμενος τοὺς ἐφ' αὐτοῦ. loquitur autem de templo Apollinis Licii. Idem Laconicis: Προελθόντι δὲ αὐτόθεν σταδίου εἴκοσι, τοῦ Εὐράτα τὸ ρεῦμα ἐγγυτάτω τῆς ὁδοῦ γίνεταί, καὶ Λάδα μνημῆ ἐστὶν ἀκύττητι ὑπερβαλομένου ποδῶν τοὺς ἐφ' αὐτοῦ, καὶ δὴ καὶ Ὀλυμπιάσιν ἐστεφανοῦτο δολιχῶν κρατῶν δοκεῖ δέ μοι, κάμων αὐτίκα μετὰ τὴν νίκην ἐκομίζετο, καὶ συμβάσης ἐνταῦθα οἱ τελευτῆς, ὁ τάφος ἐστὶν ὑπὲρ τὴν λεωφόρον meminit et in Arcadicis; sed et Martial. 'Habeas, licebit, alterum pedem Lada; Inepte, frustra crure ligneo cures.' nominat eum et Cornificius ad Herennium, lib. iv.

Perseus] De hoc multa Ovid. multa Hygin. longe plurima autem Interpretes Apoll. R. in lib. iv. Multa etiam Pausanias in Corinthiacis.

26 *Non Rhesi]* Fabula est apud Homer. Il. K.

Nireis, citisque] Homer. Λευκότεροι χίνος, θέλει δ' ἀνέμοισιν ὁμοιοί. Virgilius utrumque complexus est, cum equos illos 'ardentes' vocavit.

Bigis] Equos ipsos ad currum junctos significat. Deficit autem hoc loco oratio, si animadvertas: est enim sensus: Si hæc omnia vera essent, non tamen tantum itineris sine lassitudine obire possem. Talia exempla

satis multa in antiquis scriptoribus reperiri queunt.

27 *Plumideas, volatilesque*] Admonent, et recte, omnes Catulliani Interpretes, versum hunc non de avibus solum, sed etiam de Zethe et Calai, Boreæ filiis, intelligendum esse: Fabulam narrant Apoll. lib. II. et Valerius Flaccus lib. IV. Argonaut. meminit et Pindarus Pythiis.

29 *Quos junctos*] Quorum omnium conjunctam celeritatem.

Mihi dicaris] Mihi dederis. Virgil. 'propriamque dicabo.' et in tribus verbis prætoris, 'Do, dico, addico:' est enim a 'dicando,' non a 'dicendo;' quod nostri Jurisconsulti parum intelligere videntur.

32 *Quæritando*] Antiquum verbum. Plaut. Menæclumis, 'Hodie in Epidamnum venit cum servo suo, Hunc quæritatum geminum germanum suum.'

CARMEN LVI.

1 *O rem ridiculam*] Ad quem e Cato-nibus scriptum hoc Carmen fuerit, sciri posse non puto; neque vero magni interest: hoc modo teneatur, ad eum, qui se Uticæ interfecit, non pertinere, neque enim, ut cetera omittam, suspicio hæc in illius severitatem cadit.

6 *Trusantem*] Sienlam suam in puellâ vaginam intrudere molientem.

Dionæ] Veneri, aut Veneris matri.

7 *Pro celo*] Simile quiddam narrat Appuleius lib. IX. de pistore, qui puerum formosum cum uxore depræhenderat.

CARMEN LVII.

1 *Pulchre conuenit*] Cæsaris et Mammuræ amicitiam exagitat, affirmans eam non aliunde, quam ex vitiorum similitudine, conglutinatam.

4 *Urbana altera, et illa Formiana*] Fortasse, quod Cæsar in urbe, Mammurra Formiis ætatis suæ teneritudinem alienæ libidini prostituerit.

CARMEN LVIII.

1 *Cæli*] Memoriam proditum ab Appuleio est, puellam, quæ in amoribus ac deliciis huic poetæ fuit, quamque ipse Lesbiam nominaverit, Clodiam illam, P. Clodii sororem, fuisse; ejus a fratre primum delibata pudicitia: universæ postea juventutis Romanæ libidini exposita prostitit. Ejus igitur consuetudine cum M. Cælius diu multumque usus fuerit; assentior cruditissimo homini, Victorio, qui carmen hoc ad M. Cælium refert.

5 *Glubit*] Ad Veneream turpitudinem potius, quam ad fortunarum spoliationem, referri puto.

Magnanimos] Ex contrario intelligendum.

CARMEN LIX.

1 *Bononiensis Rufa*] Rufam quandam, ut mendicam, et ut fellatricem, notat.

3 *Ipsa carpere e rogo cenam*] Epulas in rogam conjicere solebant: locumque, in quo illæ conburerentur, culinam vocabant: auctor Festus. Extremæ autem mendicitatis signum est, quod hic assert Poëta, et tale est illud Terentii, 'E flamma te cibum petere posse arbitror.'

5 *Semiraso*] Ex igne.

CARMEN LX.

1 *Num te leana*] Ad quem scribatur hoc Carmen, sciri non potest: sed et, fragmentum potius esse, quam Epigramma integrum, existimo.

CARMEN LXI.

1 *Collis o Heliconi*] Manlii, puto, ejus, ad quem infra Elegiam scribit, et Julæ nuptias Ode elegantissima celebrat, eisque a Diis immortalibus fausta omnia precatur. Est autem hoc Carmen quidem nuptiale, neque tamen proprie Epithalamium; nam Epithalamia canebantur a virginibus, cum jam nova nupta in lecto viri

collocata esset; ut, eo primum illud prælium committente, effringenteque illud virginæ pudoris veluti vallum, clamor, qui non nunquam a virginibus in eo conflictu edi solet, exaudiri non posset: in quem usum etiam nuces pueris spargi solebant; quibus illi colligendis intenti, tumultu et strepitu omnia implerent. At hoc versu et puellæ ipsæ admonentur, ut canant; et tota nuptialis pompa describitur, ut, quemadmodum ante dixi, Epithalamium esse vix possit: nisi quis, Epithalamii nomine latius accepto, omne Nuptiale Carmen significari putet. Principio igitur Hymenæum, Deum nuptiarum præsidem, invocat; eumque orat, ut his nuptiis felix ac propitius assit. Quæ de Hymenæo traduntur, quia pervulgata sunt, piget ascribere.

3 *Qui rapis*] Festus, 'Rapi simulatur virgo ex gremio matris; aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.' Idem, 'Rapi etiam fax solet in nuptiis, qua prælucente, nova nupta deducta est ab utriusque amicis; ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulcro comburendam curet: quo utroque mors propinqua alterius utrius captari putatur.'

4 *O Hymenæe Hymen*] Hæc cani solebant, cum in domum viri nova nupta deduceretur. Vide Plant. Casina; meminit et Terent. Adelphis.

6 *Cinge tempora*] Redimitus floribus Deus hic, et facem gestans pingebatur. Bionis Epitaphio Adonidis, 'Εσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς Ἰμεναῖος, καὶ στέφος ἐξέπετασσε γαμήλιον.

7 *Suaveolentis*] Hoc vocabulo usus est et in Carminibus illo in Priapum, 'Pallentesque cucurbitæ, et suaveolentia mala.' Sic Virgil. 'suave rubentem hyacinthum' et 'suave rubentem muricem' dixit.

8 *Flameum cape*] Quo nymphæ caput amicias, ad pudorem indicandum. Festus, 'Flameo amicitur nubens omnis boni caussa; quod ea assidue utebatur flaminica, id est, flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.'

10 *Luteum*] Colorem hunc fuisse in nuptiis nsitatum, auctor est Plin.

14 *Pelle humum pedibus*] Salta: sic Horat. 'Nunc est bibendum, nunc pede libero Pulsanda tellus.'

15 *Spineam*] Recte emendavit hunc locum ante hos quinquaginta annos Parthenius, cum antea legeretur, *Pineam*; e spina enim alba nuptiales tædas fieri solitas, et Festus testatur, et Plin. idque quoniam in Sabinarum raptu, qui felicissime cessit, talibus etiam tædis pastores nisi erant.

16 *Namque Julia*] Æque pulchram esse dicit Juliam, atque erat Venus, cum ad Paridem, subitura formæ iudicium, venit. Fabula omnibus nota est.

19 *Cum bona alite*] Vetuste addidit, cum: ut et infra, 'Transfer omine cum bono:' usitatius enim hæc sine præpositione dicuntur. Horat. 'Mala soluta navis exit alite.' Idem, 'mala ducis avi domum, Quam multo repetet Græcia milite.' Tibul. 'Fulsit hic niveis Delius alitibus.'

Bona cum bona] Hæc figura, quam Cornificius Traductionem vocat, huic scriptori et Plauto perfamiliaris est. Sic infra, 'Dux bonæ Veneris, boni Conjugator amoris.' Multisque aliis in hoc ipso Poëmatio locis.

21 *Floridis velut*] Elegantissima comparatione exornat pulchritudinem Juliæ, similem ipsam esse dicens myrto tenellæ; quam paulatim assurgentem, nymphæ summo studio nutriant. Et apparet, hac comparatione Poëtam ipsum delectatum, quam infra repetierit, cum de Ariadna loqueretur, 'Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos, Anrave distinctos educit verna colores.' Hoc autem ex

Homero sumpsit, apud quem Ulysses Nausicaam teneræ et proceræ assimilat palmæ: locus est, Odyss. l. vi. Δήλω δῆποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῶ Φυλίκος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα: *Talem equidem tenero surgentem germine palmam Delioli, Phabi ante aras, vidisse recordor.*

22 *Myrtus Asia*] Quod videlicet in Asia, propter regionis calorem, arbor hæc felicissime proveniat. Neque est, quod quenquam moveat syllabæ modus: sic Homer. II. B. Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καῦστρίου ἀμφὶ βέεθρα. sic Maro, 'et quæ Asia circum Dulcibus in pratis rimantur stagna Caystri:' et alibi, 'sonat amnis, et Asia longe Pulsa palus.' Sic, cum Arabes et Italos prima correpta enunciemus, Arabiam et Italiam prima producta dicimus. Biennio fere, postquam hic commentarius primum editus est, scripsit ad me Roma Dionysius Lambinus, homo mihi et propter doctrinæ præstantiam et propter suavissimos mores eximie carus, esse illic quosdam homines eruditos, qui cum ceteroqui perhonorifice de me sentirent, hoc loco diligentiam meam requirerent, qui ab Asia regione, non ab Asia palude, Asiam myrtum dici putassem, neque saltem ea vidissem, quæ hac de re pervulgati Homerici et Virgiliani Interpretes tradidissent. ego autem, quod de me bene sentiant, gratiam habeo: quod me, hoc quidem loco, reprehendant, facere injuste puto: nam illam ipsam paludem in Asia esse constat: et pratium illud Asinum, ut non nulli a nomine ἄσις, alii ab heroë quodam Asia, ita sunt qui a terra Asia nominatum opinentur: idque et Eustathius testatur, et is, enjus sunt Scholia in Homerum. Est autem mihi quoque, nisi fallor, liberum, in sententiarum varietate, id sequi, quod maxime probabile videatur.

23 *Hamadryades*] Nymphæ ita dictæ, quod cum arboribus et nascan-

tur, et intereant. Hinc est, quod Æneas, cum sanguinem ex arbore, cujus ipse ramos vulserat, stillantem vidisset, nympharum pacem petiisse se ait, veritus nimirum, ne earum aliquam in arbore læsisset. Eandem intertum et Naiades dicuntur. Ovid. 'Naiada vulneribus succedit in arbore factis: Illa perit; fatum Naiados arbor erat.'

25 *Nutriunt humore*] Spondæum pro Dactylo posuit, ut sæpe supra in Phaleucis: infra quoque in Carmine de Atti sæpe longam unam duabus brevibus mutat. Est autem hæc vera Aldinorum Gryphianorumque codd. scriptura, quam alii temere repudiaverunt.

27 *Thespiæ Rupis Aonios specus*] Heliconem ipsum dicit.

29 *Nympha*] Hæc est vetus scriptura: aut igitur Aganippen ipsam nympham vocat; aut nympham pro *lympha* more veterum dixit: sic enim et apud Virgilium eruditi legunt, *Dant famuli manibus nymphas.*

31 *Dominam*] Ita vocabantur, quæ conveniebant in manum, id est, matresfamilias: vide Nonium. Sed et patresfamilias, domini vocabantur. M. Brutus de Officio, (citatur Priscianus) 'Itaque patresfamilie domini sumus.' Terentius Heantout. 'domina, ergo herus damno auctus est.'

34 *Ut tenax edera*] Comparatio et aptissima, et usitatissima. Festus, 'Edera vincit, ad quodcumque se applicat: ideoque eam flammæ Dialis neque tangere, neque nominare fas erat. Sed annulum quidem ei gestare solidum licebat, aut aliquem habere in se nodum.'

36 *Integræ*] Intactæ, innuptæ, ἄζυγες.

37 *Quibus advenit Par dies*] Quibus, suo cuique tempore, eadem obeunda erunt sacra.

38 *In modum*] Concinne, εὐρύθμως. Sic infra, 'Ite, concinite in modum.'

44 *Bona Veneris*] *Honestæ, et legitimæ.*

51 *Tremulus*] *Senex.*

53 *Zonula*] De hoc ritu, alio jam loco diximus. Versus autem, qui proxime sequuntur, ita scripti sunt in omnibus, quos ego quidem viderim, libris: *Te timens cupida novos Captat auremaritos*: idque tanquam integrum, omnes interpretantur: Puellas videlicet metuentes, ne in malos maritos incidant, cupide auscultare, cum parentes de adoptando sibi genero aliquo verba faciunt. Ac memini equidem, L. Memmii Fremiotum, nobilissimum, summoque præditum ingenio adolescentem, cum hoc Carmen una evolveremus, mihi dicere, et totam hanc sententiam magnopere frigidam, et subitam illam numerorum commutationem sibi valde inconcinnam, valdeque a lepore hujus Poëtæ alienam videri; neque dubitare se, quin locus corruptus esset: quod cum mihi quoque hæc scribenti venisset in mentem; cupissemque, mehercule ipsius Memmii causa paulo accuratius, de hoc toto cogitare; reperisse videor, quo modo minima mutatione locus integer fiat. Ita igitur legendum puto, *tibi virginis Zonula solvunt sinus; Te timent. cupida novos Captat aure maritus.* ut sensus sit: Dum vesper instat, quo tempore Hymenæus canit, et puellæ in maritorum domos perducuntur, trepidare ipsas, metuentes primam illam congressionem: maritos contra, quibus omnis mora longa sit, quibusque longum videatur, dum sint cum amoribus suis, stare attentis auribus, cupidissimeque expectare, dum illud quasi Veneri conflictus classicum audiatur. Porro quod, *novos maritos*, antiquè pro *novis maritis*, dictum est; eam fuisse depravandi loci occasionem puto. Quanquam autem non dubitabam, quin ex collatione, omnes mihi lepidiore homines assensuri essent; tamen et usitatam lectionem, et

illius interpretationem apposui, si quis forte sic quoque eam tenere mallet.

56 *Fero*] *Ardenti.*

57 *Floridam*] *Ἀνθήραν ἀκμάζουσαν,* forma atque ætate integra.

59 *Dedis*] Plus quiddam est dedere, quam dare. Damus etiam recepturi: dedimus ea demum, quæ volumus accipienti propria ac perpetua fieri.

67 *Parcens Stirpe dicier*] Jurisconsulti enim tradunt, parentes nusquam certos esse, nisi in nuptiis. At Telemachus ille Homericus ne sic quidem.

Parcens Stirpe] Sic locutus est et Virgil. 'pulchra faciat te prole parentem.'

71 *Quæ tuis careat sacris*] Qui cælibes sunt, eos verisimile est minus sollicitos esse de Rep. quam eos, qui et uxores et liberos habent, in quibus quodam modo ipsi periclitentur; quorumque omnium salutem in salute publica intelligant contineri: unde in multis civitatibus Resp. cælibibus committi non solebat. Apud Massilienses quidem, quorum civitas optime temperata olim fuisse perhibetur, timichi esse non poterant, nisi qui et uxorem haberent et liberos. fieri potest, ut idem Romani observaverint in iis, quos præsides in provincias mitterent. Atque hæc, etsi tantum conjectura nituntur, tamen aptiora, ni fallor, sunt ad hunc locum, quam quæ de patrepatrato et fecialibus Guaribus, et qui eum secuti sunt, attulerunt.

77 *Virgo adest*] Id est, mox proditura est.

81 *Ingenus pudor*] Nihil est, quod magis juventutem deceat, quam honestus pudor: itaque, et M. Cato dicebat, 'placere sibi juvenes, qui erubescerent, non qui pallescerent.' et Diogenes verecundum illum ruborem virtutis esse dicebat: et Pythias, Aristotelis filia, interrogata, qui sibi color videretur pulcherrimus, eum respondit, qui in ingenis ex pudore

enasceret. Virgines autem præcipue commendat: unde tam sæpe virgineum pudorem, virginealemque verecundiam, in scriptis veterum legitimus.

83 *Flet*] Flere solent virgines, ubi e domo paterna in mariti domum abducuntur: quod totum lacrymarum genus fictum esse, Catullus ipse alio loco dicitur est.

86 *Herculeia*] Herculei cuiusdam meminit Salustius secundo Historiarum, 'Occurrere duci, et prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Herculeio in brachium tela venirent:' atque hic videlicet est, qui Sertorium secutus, tandem cæsus est a Q. Metello, cuius meminit et Frontinus in strategematis. Sed hæc, cum ex Julia familia esset, ex Herculeia non poterat. An igitur Herculeiam dicit nobilissima stirpe ortam, et cuius majores ad ipsum usque Herculem gentis primordia referrent? Vix crediderim, plane autem in meo vetere libro legitur omnibus literis, *Arun-culeia*; sed tamen ab Arunca oppido, Aruncæa potius diceretur: itaque ἐρέχω.

91 *Vario*] Variis floribus picto.

93 *Stare*] Hoc verbo utitur, ut viduum ac vegetum indicet florem.

101 *In mala Deditus vir adultera*] Quod nunc, studere alicui rei, et alieni rei deditum esse, dicimus; id veteres, studere in aliqua re, et in aliqua re deditum esse, dicebant. Cato, 'Poëticæ artis honos non erat: si quis in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.' Lucret. 'Et simul in pugnae studio, quod dedita mens est.'

106 *Lenta Vitis*] Sic Virgil. 'Lenta quibus torno facili speraddita vitis.' *Assitas*] Prope sitas.

114 *O cubile*] Verborum ordo paulo est perturbatior; quo factum est, ut non nulli locum hunc non carere vitio suspicati sint: ita autem digerenda sunt, ut intelligantur: O cubile, quot

bona omnia veniunt lectulis candido pede: (pedem autem vocat, quo sulcitur lectus; ut supra, 'veteris pedem grabati;') et quæ bona omnia veniunt tibi. Gratulatur autem et cubili, et lectulis coseis atque arbitris futuris nuptialium Iussum: sic Propert. 'O tu Lectule deliciis facte beate meis.' Citat Fragmentum huic loco simile Priscianus ex Atticida, Poëta vetere, in Hymenæo, quod tale est, 'Felix lectule talibus Sole amoribus.' Constat autem et materiam eandem esse, et idem Carminis gemis: ut parum absit, quin ego hoc quoque Catulli Carmen *Hymenæum*, non *Epithalamium*, inscribendum putem.

117 *Gaudia, quæ gaudeas*] Ἑλληνισμός, ut in illo Virgil. 'hunc, oro, sine me furere ante furorem.'

121 *Tollite o pueri faces*] Describit nunc puellam egredientem domo. Quinque autem facibus utebantur in nuptiis; quod is numerus quasi symbolum quoddam sit nuptiarum, ut qui ex primo impari, et primo pari, tanquam ex mare et femina, constet. Plura, si libet, vide apud Plutarchum in Problematis. Eas qui præferebant, 'daduchi' a Græcis, a Latinis fortasse olim 'pueri lauti' dicebantur: id suspicor ex versiculo Plauti, qui est in Curculione, ubi servus adolescenti eunti de nocte ad amicam, cereumque manu ferenti, ita dicit, 'Tute tibi puer es lautus, lucus cereum.' Quin et suspicor id olim ominosum habitum fuisse, creditumque, qui novæ nuptiæ luxissent facem, eos postea nihili fore: nam apud eundem Poëtam Casina, Olympio Chalino, conservo ac rivali suo, ita minitans inducitur, 'Primum omnium huic lucebi' novæ nuptiæ facem: Postilla ut semper improbus, nihilique sis.'

122 *Flameum*] Quo, ut diximus, nuptiæ amiciebatur caput.

126 *Neu diu taceat*] Pneros admonet, ut de more Fesceninos versus canant. Iis autem versibus, summa

verhorum licentia et lascivia factis, convicia quædam in sponso joculariter spargi solebant: unde et statim Poëta tum puero concubino Manlii petulantius quodam modo insultat; tum Manlium ipsum, ut nimis in pueros proclivem, notat, tum nuptam admonet, ne se in re Venerea viro difficilem præbeat: alioqui fore, ut ipse delicias aliunde petiturum eat: quam totam verisimile est Fesceninorum versuum materiam fuisse.

128 *Nec nuces*] Et maritus ipse nuceis pueris spargebat, tum ea, quam diximus, causa, tum ut se puerilia omnia relinquere ostenderet; (unde est illud Virgil. 'Sparge marite nuceis:') et ipsius concubini, ut ex hoc loco colligitur, indicans se amplius puerile illud passurum non esse.

131 *Thalassio*] Hunc invocabant in nuptiis. Vide Livium lib. 1. et Plut. Problematis. Hic pro ipso matrimonio ponitur.

136 *Sordebant tibi villicæ*] Tu, inquit, nuper villicarum dissuaviari te cupientium oscula, pro innata formosis omnibus superbia, refugiebas, et amore domini ferox, et formæ hono: at nunc certe istos animos demittes; cum et dominus ad nuptias animum adjecerit et tonderi te jusserit; quod indicio est, te ei amplius in deliciis non fore. Porro comam nutrire olim pueri delicati solebant. Horat. 'Aut teretis pueri, longam renodantis comam.' Et Martial. inter cetera, quæ ad pueri pulchritudinem faciunt, exigit, 'ut molles ei colla flagellent comæ.' Atque hinc videlicet Synesius Sophista scripsit, 'cinædos esse pueros omnes, qui alerent comam;' tondebantur autem uxores ducentibus dominiis: aut alioqui cum ipsi jam exolescerent: quod interdum munus novæ ipsæ nuptæ obibant. Martial. 'Flamea texuntur sponsæ: jam tæda parata est: Tondebit pueros jam nova nupta tuos.' Fere autem comæ libamina dicabant alicui Deo,

ut multis ex Martiale et Papinio locis cognosci potest.

138 *Cinerarius*] Ita tonsores vocabant; quod unum de ministeriis eorum esset, calefactis in cinere calamistris torrere ac vibrare crinem: eo nomine Afranius Comædian quandam inscripsit suam. Flavius Sospater, 'Muliebre,' inquit, 'ministerium Cinerarius dicitur: nam Cato in Originibus, Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset crinis.'

141 *Male te Abstinere*] Ita salax esse, ut abstinere non possis.

A tuis glabris] A pueris tuis, quorum genæ cruraquo nulla adhuc lanugine violantur.

146 *Scimus hæc tibi quæ licent, Sola cognita*] Occupatio est: poterat enim Manlius dicere, se ab omni Venere illicita abstinuisse; neque ullam esse legem, quæ vetaret, quo minus ipse arbitrio suo ex pueris suis caperet voluptatem: neque enim veteribus turpe habebatur, primum illum incuntis ætatis ardorem in servis libertive suis consumere: neque hoc numerabant inter inhonestos amores. Plautus Cureulione, 'Ita tuum conferto amorem semper, si sapis, Ne, id, quod ames, populus si sciat, tibi sit probro:' et paulo post, 'Dum te abstineas nupta, vidua, virgine Ingenua, et pueris liberis, ama quod lubet.' Atque hoc etiam affirmat Plut. ubi causas reddit, cur ingenui pueri bullam gestarent. At Catullus, etiam si hoc, inquit, nondum ducta uxore, tibi licuisse novimus, nunc tamen marito jam eadem amplius non licent.

162 *Tempus*] Annota 'tempus' etiam priore numero pro parte capitis dici, contra quam Sospater putat. Sic Cornificius ad Herennium, lib. iv. 'Et dubitanti Graccho, quid esset, neque tamen locum, in quo constiterat, relinquenti, percuntit tempus.'

Anilitas] Ita Varro Eudæmonibus

dixit 'juvenilitatem.' Idemque de liberis educandis, 'Velim mehercules, inquit ipse, usu magno puerilitatis formulam audire.'

163 *Omnia omnibus annuit*] Sic puto melius legi, quam *annuat*: utcunque hoc malit Avantius. Jucunde autem exprimit naturam senum; in quibus calor naturalis inopia imbecillitas tremorem efficit, ita ut caput perpetuo motitantes, omnia omnibus annuere videantur.

166 *Transfer Limen pedes*] Nove dictum pro, 'fer pedes trans limen.' Ominosum autem putabatur, vel ingrediendo, vel egrediendo limen tangere. Ovid. 'Omina sunt aliquid: modo cum discedere vellet, Ad limen digitos constitit icta Nape.' Ideoque summus Poëtarum, equum illum fatalem in limine substituisse dicit: 'quater ipso in limine portæ Substitit.' Præcipue autem id in uovis nuptis religioni habebant. Plaut. 'Sensim super attolle limen pedes nova nupta.' Lucan. lib. 11. 'Tralata vetuit contingere limina planta.' Caussas ex Servio, et Plut. Problematis require.

167 *Aureolos pedes*] Pulchros; χρυσῶν enim vocabant, quidquid pulchrum esset. At Homer. Tethyn ab argenteis pedibus ἀργυρόπεζον nominat.

168 *Rasilem*] Politam, ξεστήν.

Forem] Plaut. Milite, 'ecce autem commodum aperitur foris.' Ovid. 'custos in fore nullus erat.' Idem, 'Difficilem moto cardine paude forem.'

172 *Tyrio*] Purpura Tyria instrato.

173 *Immincat tibi*] In te, tanquam in præda aliqua sna, defixus, nusquam a te oculos dimoveat, sed vultu ipso indicet impotens desiderium tui.

178 *Flamma sed penita magis*] Significat enim majore etiam nuptæ amore ac desiderio carpi. 'Penitum' vocabant veteres, quod intimum esset:

unde et 'penum' et 'penates deos' dixerunt. Plaut. Asinaria, 'age quaso Hercle usque ex penitis fancibus.' Idem Persa, 'Furtivam advectam ex Arabia penitissima.'

181 *Mitte brachiolum teres Prætextate puellule*] Festus, 'Patrimi et matrimi prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert e spina alba, quia noctu nubebant: duo, qui tenent nubentem.'

186 *Vos unis senibus*] Idem Festus admonet, 'pronubas adhiberi solitas, quæ semel tantum nupissent.'

Bonæ feminae] Antiquæ, et populariter. Plaut. 'Bona femina, et malus masculus lic te volunt.' Cic. 'Tuæ uxoris, bonæ feminae, locupletis quidem certe.'

188 *Collocate*] 'Collocare' proprie dicuntur in lecto pronubæ novam nuptam.

194 *Alba parthenice*] De parthenice, et papavere vide Plin.

196 *At marito*] Videtur nuptam admoerere, ut occulat ardorem amoris sui, licet pulcher omnino conjugalis ille amor, honestusque sit: neque sane video, quis alius sensus ex his verbis elici queat; sed profecto, ne quid dissimulem, totus hic locus mihi valde suspectus est.

199 *Abit dies*] Diem dicit pro tempore: jam enim nox erat.

200 *Perge, ne remorare*] Hæc ad sponsum potius, quam ad sponsam, dici videntur.

202 *Bona te Venus*] Ingressus maritus, nihil veritus eorum, qui aderant, oculos, uxorem in lecto collocatam, ipsis inspectantibus, pressule, ut verisimile est, deosculatus fuerat: ob quod tam lepidum factum Poëta ei propitiam Venerem precatur.

204 *Quod cupis capis*] Paronomasia.

206 *Ille pulvis Erythrei*] *Pulvis*, antiquus genitivus est; in *Erythrei*, autem detrita est una e diphthongo litera, metri caussa: sic supra 'Dionæum' dixit pro 'Dionæo.' Qui

hunc versum ita legebant, *Ille pulveris Erythraei*, miror, ubi habuerint aures.

216 *Torquatus volo parvulus*] Tale est illud, 'si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret: volo autem hic valet, opto, et cupio: ut cum Cicero dicit, 'volo tibi deos hanc rem feliciter evenire: de qua hujus verbi notione scripsimus pridem in Andriam. Est autem hic ὑποτίπωσις infantuli longe suavissima.

221 *Similis patri*] Horat. 'Laudantur simili prole puerperæ.' Hesiod. inter ferrei sæculi calamitates eam quoque ponit, quod nulla sit in liberis parentum similitudo, Οὐδὲ πατὴρ παῖδες ὁμοίους, οὐδέ τι παῖδες: etsi illud, ὁμοίους, scio aliter quoque exponi posse: idemque sanctissimus Poëta, quo loco percenset eas commoditates, quibus Dii cumulant homines justos, ait eorum uxores similia parentibus pignora parere, Τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

229 *Telemacho*] Ulyssis filio ex Penelopa.

230 *Penelopæu*] Penelopen ex Homeri prædicatione omnes ita castam fuisse credunt, ut ejus nomen, non mulieris jam, sed pene ipsius pudicitiae nomen putetur. Sunt tamen, qui eam impudicissimam fuisse tradant, prociisque ordine omnibus fecisse copiam sui: quod et Homer. subindicasse aiunt, cum eam tendendo arcu vires eorum tentasse narrat: ita quidem arcum illum intellexit, quicunque auctor est longe urbanissimi hac de re Epigrammatis, quod inter Insus Priapeios legitur. Interpres Theocriti alicubi asserit, Pana filium esse Penelopes ex omnibus prociis, unde et nomen illud invenerit, quod videlicet ex permisto eorum omnium semine concretus foret. Alii autem narrat, quod etiam turpins est, Mercurium convertisse se in formam hirci: cujus libidine incensam

Penelopen cum eo commiscuisse corpus, eoque satu editum Pana. Sed Catullus eam, quæ in plures probatur, sententiam insequitur.

231 *Claudite ostia virgines*] Ita fere concluditur Helenes Epithalamium a Theocrito, Χαίροις, ὦ νύμφα, χαίροις, εὐπένθερε γάμβρε. Λατὼ μὲν δόλη, Λατὼ κουρότροφος, ὕμμι· Εὐτεκνίαν, Κύπρις δὲ, θεὰ Κύπρις Ἴσον ἔρασθαι Ἀλλάλων, Ζεὺς δὲ, Κρονίδας Ζεὺς, ἀφθιτον ὕλβον, Ὡς ἐξ εὐπατριδῶν εἰς εὐπατρίδας πάλιν ἔστη. Εὔδεται ἐς ἀλλάλων στέρνον φιλόττητα πνέοντες, Καὶ πόθον.

234 *Munere assiduo*] Assiduo Veneris usu.

CARMEN LXII.

1 *Vesper adest*] Carmen hoc ejusdem argumenti est cum superiore. Principio autem Poëta ex sua persona loquitur; postea vero pueri et puellæ alternis canunt.

Vesper] Cujus exortu novæ nuptæ in virorum domos perduci solebant. Interim autem canebatur Hymenæus.

2 *Vix tandem*] Omnis enim mora longa cupienti: ex opinione hoc igitur, non ex veritate, dictum est; ut illud, 'Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras.'

6 *Cernitis innuptæ*] Juvenes primo excitavit: nunc ad puellas convertitur; easque æmulatione excitat.

7 *Æthercos*] Alii eos, quod recipi non potest, cum hic de noctis adventu agatur: alii optatos, alii Ἐταῖος, ut sit simile illi, 'Sparge marite nunces: tibi deserit Hesperus Ἐταμ.' atque horum alterutrum haud sane repudiaverim.

Noctifer] Hesperus.

8 *Exiluisse*] De puellis ipsis loquitur, quas non temere exiluisse ait: esse enim ipsis negocium cum juvenibus ita ad canendum paratis, ut ad eos victoria spectare videatur.

11 *Non facilis*] Juvenes loquuntur: aiuntque, non facilem sibi victoriam fore: cum puellæ summa cura medi-

tata sint, quod canant, ipsi vero se negligenter dissoluteque gesserint.

20 *Hesperē, qui cælo*] Accusant puellæ Hesperum, qui puellam a complexu matris abstrahat, eamque ardentem juveni tradat in manum.

21 *Complexu matris*] Πάθος per repetitionem.

26 *Hesperē, qui cælo*] Respondent juvenes contra, nullum esse sidus Hesperii fulgore jucundius, qui exoriens confirmet pacta a parentibus inita. Versus ille, *Quod pepigere viri*, vereor, ut sit satis emendatus.

32 *Hesperus a nobis*] Puellas loqui constat; sed post hunc versum sex septem plus minus desiderantur. Illud autem, *At lubet innuptis*, manifesto a juvenibus dicitur.

39 *Ut flos in septis*] Elegantissima comparatio qua contendunt puellæ, inutiles esse virginibus nuptias.

45 *Dum intacta manet, dum cara suis est*] Prius, *dum*, valet 'quandiu;' posterius, 'usque eo.' Fabius lib. ix.

46 *Florem*] Μελιηδέα ποίαν. Pindarus.

49 *Ut vidua*] Contraria comparatio qua contendunt juvenes, nihil virgini esse optabilius nuptiis.

Vidua] Horat. 'Et vitem viduas ductæ ad arbores.' Idem, 'Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos.' Viduam autem aiunt Jurisconsulti vocari eam etiam, quæ nunquam nupsit.

59 *At tu ne pugna*] Hoc ab utrisque communiter cani videtur.

CARMEN LXIII.

DE GALLIAMBO.

Antequam eruditissimum poëma de Cybele et Atti enarrare incipiam, non erit, ut arbitror, alienum de ipso genere versus aliquid dicere. Quam enim minime pervulgata sit illius ratio, non tantum ostendit, quod, ejus ignorance, multis locis depravatum hoc Carmen fuerat; sed illud multo magis, quod Michaël Marullus, Geor-

gius Anselmus, M. Antonius Flaminus, at qui viri? quorum unusquisque propius a summorum Poëtarum aberat, quam a mediocrium, laude, cum hujusmodi quædam scribere aggressi essent, seseque totos ad imitationem Catulliani poëmatis contulissent, (neque enim aliud habebant, quod sibi proponerent ad imitandum,) propter exemplaris ipsius corruptionem sæpe peccarunt. Neque hoc dico, quod quidquam de præstantissimorum hominum gloria detractum velim: sed ut acuum studiosorum adolescentum attentionem ad intelligenda ea, quæ de hac re tradere institui: consiliumque meum iis approbem, quibus hæc disputatio vel longa nimium, vel etiam penitus supervacanea videretur. Dicitur est igitur Galliambus a Gallis Cybeles sacerdotibus, qui in hujus Deæ sacris eo plurimum uterentur: qua de causa et μητροφάκδς, et ἀνακλέμενος vocatus est, ut tradit Hephaestion. Idem et Terentianus docet, et Martialis subindicat his versibus, 'Nec dicitur mihi lucentus Attis Molle debilitate Galliambon.' Fit autem, ex anapæsto, Iambis duobus et syllaba; quale sit, 'Vice veris et Favoni:' quibus adduntur rursus anapæstus et Iambi duo, Exempli causa, 'Vice veris et Favoni glacies resolvitur.' Interdum etiam, ut versus celerior sit, in penultimum locum Tribrachys pro Iambo recipitur. His de rebus, Diomedis, Grammatici optimi, verba ponam, sed aliquot locis a me emendata: ut intelligant, si qui laborem capere voluerint conferendi: 'Galliambicum metrum est, quod apud Mæcenatem tale est, Ades, inquit, o Cybelle. Simile est illi, Vice veris et Favoni. Inferius comma, superiori simile esset, nisi amisisset ultimam syllabam, fera montium dea. Galliambicum aliud ex ipso factum est simillimum est, nisi quod, ut enervatius fieret, et mollius, tertia ab

ultima syllaba in duas breves geminata est, et factum tale, Latus horreat flagello, comitum chorus ululet. Si esset sic, comitum chorus lulet; esset illi simile, fera montium dea. ceterum quod enervatius diximus, simile est illud neotericum, quod est tale, Rutilos recide crines, habitumque cape viri.' Hactenus Diomedes. Citantur et a Nonio ex Varrone huiusmodi versus, ut Marcipore, 'Spatula eviravit omnes Venerivaga pueros: ubi licenter mediam syllabam dictionis, 'Venerivaga,' producere videtur: et ex ejusdem Eudæmonibus, 'Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.' Non est autem ignorandum, primo loco pro Anapæsto poni posse Spondæum; ut, 'Sectam meam executâ duce me, mihi comites: idem quarto etiam loco conceditur, 'Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo:' primo etiam, recipitur proceleusmaticus, 'Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ: idemque in quarto licet, 'Dea magna, dea Cybelle, dea domina Dindymi: eadem ratione Tribrachys in secundo Iambi vicem subit, 'Simul hæc comitibus Attis cecinit nova mulier.' Atque hæc suavissimus Grammaticorum, Terentianus Maurus, ostendit; qui, quamvis paulo aliam viam inquit dimetiendi hujus Carminis, eodem tamen recidit. Ejus verba sunt, 'Sonat hoc subinde metro Cybeleium nemus. Nomenque Gallianbis memoratur hinc datum, Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos; Adco ut frequenter illum prope ab ultimo pedem, Mage quo sonus vibretur, studeant dare tribrachyn. Anapæstus esse primus, spondæus et solet: Duo post erunt iambi, tribrachysve subicitur. Linqvitque comma primum catalecticam brevem. Pariambus et trochæi duo comma posterum, Tribrachysve continebant, super atque semipes. Servasse quæ Catullum probat ipse tibi liber, Super alta

vectus Attis celeri rate maria.' Hæc Terentianus: qui, miror, cur primi commatis catalecticam brevem esse dicat: longam enim esse constat. Sed et alias pedum mutationes antiqui recipiebant, nihil fere curantes, dum temporum numerus retineretur: exempli causa, Γαλλὰ μὴτρός ὀρείης, φιλόθυσοι δρομάδες, Αἷς ἔντεα παταγεῖται, καὶ χάλκεα κρόταλα: horum enim versuum posterior penitus similis est illi, 'Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo:' prior, par temporibus, syllabis admodum dispar. Tantum habui de Gallianbis legibus dicere: nunc, quando ipse quoque Hymnum in Liberum patrem eo Carminis genere lusi, ascribam illum; si qui forte tanti nostra esse duces, ut legenda sibi arbitretur.

GALLIANBUS IN DACCIUM.

Hedera comam revinctus, Bromium patrem cano,
 Bromium, Euliyum, Lyæum, puerum, femorigenam,
 Ope cuius alma vitis nova munera peperit,
 Nova munera, apta curas animis procul agere.
 Pater o, pater bicornis, trieterice, cryphic,
 Elelen, giganticida, tibi cymbala quatimus,
 Tibi spargimus capillum, tibi carmina canimus,
 Tibi verticem rotamus, tibi per juga gradimur,
 Nemora ipsa mota nostris tibi cantibus ululant.
 Eucæ, dator quietis, placidi dator animi,
 Ubicunque tu moraris, bona ibi Venus habitat,
 Habitat tenelli Amores, jocus, et lepor habitat:
 Fidiumque, cornumque strepitu omnia resonant:
 Alacres vident choreæ. Mala tristitia procul,

Inamabilesque curæ rapido pede fu-
 giunt.
 Date pocula huc ministri, plenos date
 calices,
 Avida ut liquore dño mihi pectora re-
 pleam.
 Scelus esset ore sicco sacra mystica
 facere.
 Vah, vah, pater lychnita, quibus ig-
 nibus agitor?
 Mihi mille jam ante ocellos nova lu-
 mina radiant.
 Viden', ut nemus citato procul im-
 pete rapitur?
 Humus ut tremens frequenti salit
 acta tripudio?
 Novus unde clangor aures modo cor-
 num ferit?
 Procul o, procul profani: deus ecce,
 deus adest
 Maculosa terga lyncum, et tygrium
 celeripedum
 Tenero domans flagello, posito pre-
 mens jugo.
 Rubicundus hunc magister, satyrique
 capripedes
 Agili gradu insequuntur, thiasusque
 mulierum,
 Eucæ pater, frementum, metuende
 Bassaren,
 Ter o, et quater beatum tua qui or-
 gia sequitur,
 Thyrsum inquiete dextra quatiens
 hedericomum.
 Simul atque pulchra Cadmi te filia
 peperit,
 Peperit, sed ante tempus, Jovis igne
 saucia,
 Pater ipse te alligatum proprio in
 femore tulit,
 Mala ne noverca cælo te præcipitem
 ageret.
 Dedit inde te fovendum nymphis ne-
 morivagis,
 Juga quæ per alta Nysæ propero
 pede volitant.
 Quæ ibi cunque tu puellus loca dexter
 adieras,
 Ubicumque sessitaras, nova germinc
 tenero

Feriebat arbor auras redimita pau-
 pinis:
 Ubicumque lusitaras, nova flumina
 temeti
 Placido viam secabant fluitantia so-
 nitu.
 Quid jam Indiam subactam tibi maxi-
 me memorem?
 Quid Penthei, aut Lycurgi scelerata
 facinora,
 Nova quidve monstra Etrusco nati-
 tantia pelago?
 Tua per trophæa eunti neque enim
 modu' fuerit.
 Tibi Tmolus, et Cytheron, tibi Nysa
 subdita est:
 Tua musici, et poëtæ unanimes sacra
 celebrant:
 Tuo eis liquore tactis simul ac capita
 calent,
 Numeris repente fisis subito omnia
 resouant.
 Sine te nihil venustum est, nihil est
 hilarificum.
 Tu animis acerba fessis curarum one-
 ra abigis,
 Adinis pudorem ineptum, secreta
 patefacis,
 Ineunda pellis omnes ad prælia Ve-
 neris.
 Obitis quiete molli, quibus obtegis
 oculos.
 Agedum pater, agedum rex, agedum
 ætheris decus,
 Ades usque, nosque clemens oculo
 aspice placido.

Quæ de Atti a variis scriptoribus,
 Diodoro, Pausania, Eusebio, Arno-
 bio, Augustino, Ovidio, aliisque var-
 rie scripta sunt, congerere, infiniti,
 et, ni fallor, legentibus non nimium
 jucundi laboris foret: præsertim cum
 ea jam omnia alii plerique studiose
 diligenterque collegerint: quocirca
 satis habebō, poëmatis hujus argu-
 mentum breviter indicare: id est
 ejusmodi: Cum Attis in nemus Cy-
 belæ sacrum venisset, magna comi-
 tum stipatus manu, furore correp-

tus, virilia amputavit sibi: Idem fecere ceteri quoque, qui cum eo venerant: tum per aliquod tempus, ut mos sacrorum ferebat, tumultuati, obdormierunt: expergefactus Attis, cum ad se redisset, cœpit lamentari conditionem suam, etiamque de repetenda patria cogitabat: cum Cybele, objecto leone, eum ita perterrefecit, ut ab ultimo littore, quo jam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit: ubi omne reliquum vitæ spatium exegit. Porro hæc Catulli narratio non convenit cum iis, quæ de Atti alii tradiderunt: sed ne alii quidem inter se conveniunt: fieri potest, ut vel alios scriptores secutus sit, qui nunc non extant, vel tractatam ab aliis Fabulam suo ipse quodam modo tractare voluerit.

5 *Devoleit*] Abscidit, ita ut in terram devolverentur.

Pondera] Testiculos.

Acuta silice] Samia testa: eam enim ad hoc ministerium adhiberi solitam, notum est.

6 *Sine viro*] Sine ea parte, qua viri sumus.

8 *Citata*] Facete mutat genus; quod Attis mas amplius non esset.

Lere tympanum] Alii, *breve crotalum*, quod non improbo: si *lere tympanum* legas, dicendum erit *tympanum* prima correpta, ut et apud Homer. ἢ κροτάλων, τυμπάνων τ' ἰαχῆ, σύν τε τρῶμος ἀλλῶν.

9 *Lere tympanum*] Alii, *Tympanum, tubam*: ego in Cybeles sacris tubam adhibitam non puto. Hæc autem repetitio nescio quid habere lepidius videtur.

Tua initia] Initia, sacra ipsa dicuntur: sed hic significat ea, quæ adhibentur in sacris.

10 *Terga tauri cava*] Tympanum: *terga* autem, pro tergora.

12 *Gallæ*] Gallos vocari Cybeles sacerdotes, nemo nescit: at hic Gallas vocat, quod, erepta virilitate, mulie-

ribus potius, quam viris, annumerandi essent.

13 *Pecora*] Quod neque viri amplius, neque veræ mulieres essent.

18 *Hilaratæ heræ citatis*] Heram vocat Cybelen, cujus animum vult a comitibus suis, hac illac currendo, exhilarari. Alii legebant, *Hilaratæ ære concitatis*; contra rationem metri: ego autem vidi hoc totum carmen jam pridem scriptum manu excellentis in omni genere honestarum artium viri, Octavii Pantagathi: in quo cum alia multa ingeniose admodum emendata erant, tum hic locus ita scriptus, ut eum ipsi edidimus. Magis etiam mihi placuit hæc emendatio, postquam animadverti, Petrum quoque Victorium eam retulisse in libros suos.

21 *Ubi cymbalum*] Hæc omnia Cybeles et Bacchi sacris communia erant. Vide Strab. lib. x. et Eurip. in Bacchis.

23 *Jaciunt*] Rotant.

28 *Thiasus*] Cohors ipsa quæ Attin secuta erat.

36 *Sine Cerere*] Incenatæ.

43 *Fugientem cum*] Soporem.

Pasithea] Hæc una est e Gratiis, Somni uxor: apud Homer. enim Il. XIII. Juno cum Somno agens, ut Jovem sopiat, eam se illi, pro præmio, uxorem daturam pollicetur: 'Ἄλλ' ἔθ' ἐγὼ καὶ τοι Χαρίτων μίαν ὀπλοτερῶν Δώσω ὀπνιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν, Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἰμείρειαι ἤματα πάντα. i. e. At tibi ego e Charitum florentum atatibus unam Connubio jungam stabili, propriamque dicabo, Pasithean, quæ omnes una tecum exigat annos.

49 *Miseriter*] Miserabiliter: sic Laberius, 'Mens incorrupta miseriter corruptitur.' Ita infra, 'puriter,' 'si vitam puriter egi.' Ita veteres multa, 'parciter,' 'sæviter,' 'inimiciter,' 'torviter,' 'præclariter,' et alia, quorum exempla sunt apud Nonium: 'properiter' etiam ait olim dictum fuisse, et citat Catulli

locum, 'Animula miserula properiter abijt.' sic Ennius, 'prognariter,' *Annal. lib. vi.* 'audite parumper Ut, pro Romano populo prognariter armis Certando, prudens animam de corpore mitto?' sic Cic. 'audaciter,' pro *Sex. Roscio*, 'Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti:' ita enim legit eum locum Priscianus *lib. xv*, ubi negat, 'faciliter et difficiliter dici:' quorum de altero nihil affirmo: 'difficiliter' quidem et 'perdifficiliter' apud Cic. leguntur.

60 *Gymnasiis*] Prima correpta legendum est.

61 *Querendum est*] Deploranda est mea conditio.

63 *Ego mulier*] Egone mulier jam sum, quæ antea adolescens, ephēbus, puer fueram? quæ inter æquales meos omni juveniliū exercitationū genere florēram?

64 *Flos*] Ornamentum.

Decus olei] Luctæ: Hypallage.

65 *Tepida*] Ex eorum, qui me inuisebant, multitudine, et frequentia. 'Calere' enim dicuntur loca, quæ frequentantur. Octavianus Augustus in *Epistola ad Tiberium*, 'Lusinus enim per omnes dies, forumque aleatorum calefecimus.'

66 *Mihi floridis corollis*] Indicat, multos sibi amatores fuisse.

69 *Manus*] Ita vocabantur Cybeles et Bacchi sacerdotes, *παρὰ τὸ μάλισθαι*.

74 *Roseis ut hic labellis*] Statim ut pœnitere se aperte dixit.

75 *Geminas deorum ad aures*] Versum hunc, libere ut dicam, adulterinum esse suspicor: primum, quod, eo detracto, nihilo deterior, aliquanto etiam, ut ego quidem puto, melior sententia est: cum enim de una Cybele agatur, illud *deorum*, subalienum videtur; deinde *geminas aures*, ociosum plane est epitheton: postremo *nova nuncia*, neque hoc loco satis apte, neque omnino Latine dici puto: 'nuncius' enim masculino genere dicitur, non 'nunciam' neutro. Scio

citari ex Tibullo, et Lucretio locos; sed quos si quis accurate consideret, videbit nihil facere ad probandum id, de quo agitur. Eruditi homines, et veteribus libris instructi, hoc quale sit, iudicabunt.

76 *Juncta juga*] Cybeles enim currum leones trahunt.

78 *Agedum, inquit*] In quibusdam, *Agedum, inquit, age ferox, hunc, agedum, aggredere ferox.* quæ scriptura mihi quidem magis probatur.

81 *Cade terga canda*] Hic enim mos est leonum sese ad iram excitantium.

90 *Semper omne vitæ spatium*] Pleonasmus.

91 *Dea magna*] Concludit Poëta precatōne, qua Cybeles a se iram amolitur, eamque orat, ut in alios potius furorem immittat suum.

CARMEN LXIV.

Quod initio dixi, hæc inscriptiones, quæ in impressis libris leguntur, ab ipsis auctoribus non esse factas, vel ex eo intelligere licet, quod libellum hunc *Argonautica* vulgo nominari videmus; deceptis videlicet hominibus imperitis, eo quod Catullus a descriptione expeditionis Colchicæ exordium ducit, neque animadvertentibus id eum facere, ut commodius ingrediatur ad celebrandas Pelei nuptias, qui præcipuus hujus Poëmatis veluti scopus est: itaque jure optimo a viris eruditissimis adulterina illa inscriptio repudiata est. Descripturus igitur Pelei nuptias, primum narrat, Peleum tunc Thetidis amore irretitum fuisse, cum ad vellus aureum una cum ceteris Græciæ principibus navigaret. Qua in re suo quodam jure ab aliorum Poëtarum narratione discedit. Nam Orphei (si modo ejus sunt *Argonautica*, quæ nomen ipsius præ se ferunt), Apollonii, Valerii Flacci, Claudiani, et aliorum testimonio, quo tempore profecti sunt *Argonautæ*, non modo Thetidem duxerat Peleus, sed etiam Achillem ex ea sus-

ceperat, jamque Chironi educandum tradiderat. Sed non est a Poëtis aut constantia, aut historiæ fides nimium subtiliter exigenda.

1 *Peliaco*] Ad Pelion enim Thesaliæ montem ædificata est Argo. Diodorus v. Bibliothecæ: unde et Πηλίας Ἀργὼ ab Apollonio dicitur.

Pinus] Non, quod e pinu contextam hanc navem fuisse constet: sed, more poëtico, pinum pro qualibet arbore apta conficiendis navigiis nominat: alioqui enim Orpheus eam ex piceis, quercubusque compactam fuisse dicit, Καὶ χαροπὸν ποτὶ χεῦμα γεγηθότες ἔλαττε νῆα Ἀργὼ πύκην τ' ἠδὲ δρύσι γομφωθεῖσαν. *Ac placidos lati in fluctus deducite navem Et piceis Argo et quernis trabibus compactam.* At idem alio loco faginam eam fuisse ait. Quin cum Eurip. πένκην dixisset, Ennius abietem vertit, cujus sunt illa, 'Utinam ne in nemore Pelio secunribus Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes: Neve inde navis incohanda exordium Cepisset, quæ nunc nominatur nomine Argo, qua vecti Argivi delecti viri Petebant illam pellem inauratam arietis Colchis, imperio regis Pelix, per dolum.' Valerius autem cum robora, pinosque ad eam conficiendam adhibuisset, paulo post vocat eam 'pressam regibus alnum.' Sed nihil apud Poëtis isto figuræ genere usitatis. Alexander Cornelius, ut est apud Plinium, 'arborem eonem' appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua, nec igni posset corrumpi. Suut qui hanc primam navem fuisse autument; alii eam, quæ a Danao facta est, ut est apud Interpretem Euripidis. Argo autem vocatam, vel quod ἀργὸν *celerem* veteres dixerint, unde et *lethargum* eum, qui celeriter oblivisceretur: fuerit autem navis hæc insigni celeritate: quo fit, ut eam Varro citiremem vocet: vel quod eam Argus qui-

dam ædificaverit. In astrum tandem conversa est.

3 *Phusidos ad fluctus*] Hic fluvius ex Armenia fluens, Colchida, Ponti regionem, alluit.

Et fines Æætæos] Colchida ipsam, ubi tum Æætæ regnabat, Medæa pater.

4 *Cum lecti juvenes*] Florem heroum cum Jasonè navigasse ait Theocritus.

Argivæ robora pubis] Ex omni Græca juventute robustissimi.

5 *Auratam pellem*] Πάγχρυσον δέρας, Euripides: δέρας χρύσειον, et χρύσειον κῶας, Orpheus, et Apollonius, ejus videlicet arietis, quo Phryxus mare trajecerat. Varro lib. II. de R. R. figmentum hoc ad pecudum caritatem refert: ejus verba sunt, 'De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Græca, et Latina lingua, et veteres Poëtæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes, propter caritatem, aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyesten subduxisse queritur; ut in Colchide Æætæ, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ; ut in Libya, ad Hesperidas, unde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras, et oves, quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit; ea enim sua voce Græci appellarunt μήλα.' Neque desunt, qui vellus illud, libellum fuisse tradant, quo anri faciendi ratio contineretur. Simonides in Hymno, quo Neptunum celebravit, purpurei illud coloris fuisse dixit, quo a marinis purpuris, in traiectione illa, aspersum fuisset.

Avertere] Hoc verbo dolus quidam sæpe indicatur. Virgil. 'Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras.' Licinius Macer pro Tuscis, (citatur Priscianus,) 'Quos oportuit amissa restituere, hinc etiam reliquias averterunt.' Cicero Frumentaria, 'Quid

si doceo te non minus domum tuam
avertisse, quam Romam misisse de-
cumarum nomine ?

6 *Ausi sunt*] Quod ante eos nemo
ausus fuerat.

Vada salsa] Mare : ταπέυωσις.

Cita puppi] Videtur alludere ad id
Argus etymon, quod supra attulimus.

8 *Diva quibus*] Pallas. Virgil. 'Pal-
las, quas condidit arces, Ipsa colat.'
Athenis in arce colebatur.

9 *Ipsa*] Minervam ipsam una cum
Argo manus operi admovisse, aiunt
Poëtae.

Currum] Navem : Catachresis.

11 *Illa rudem*] Intactam.

Cursu] Metaphora.

Prima] Vide Plin. lib. VIII. c. 56.

Amphitriteu] Mare, παρὰ τὸ ἀμφιτρί-
βω τὴν γῆν. Poëtae Neptuni uxorem
esse dicunt.

14 *Emergere feri*] Apollonius deos
ipsos superos, nymphasque Peliadas,
Argus novitatem heroumque præ-
stantiam admiratos fuisse dicit : Πάν-
τες δ' οὐρανὸθεν λεῦσσον θεοὶ ἡματι κείνῃ
Νῆα, καὶ ἡμθεῶν ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ'
ἄριστοι Πόντον ἐπιπλάεσκον' ἐπ' ἀκροτά-
ταισι δὲ νόμῳ Πηλιάδες κορύφῃσιν ἐθάμ-
βιον εἰσορώσῃσι Ἐργον Ἀθηναῖς Ἰτάνι-
δος, ἧδὲ καὶ αὐτοῖς Ἡρώας χεῖρεσσιν
ἐπικραδῶντας ἔρετμα.

18 *Nutricum tenuis*] Mammarum te-
nus.

20 *Tum Thetis humanos*] Cum tamen
eos valde aversaretur : cupiebat enim
e Jove gravida fieri, quæ responsum
accepisset a Proteo, filium e se pro-
creatum iri majorem eo, (quicumque
is tandem esset,) a quo procreatus foret.
Vide Ovid. Met. XI. quin et Jup-
piter ipse, ejus amore correptus, voti
eam comptem fecisset, nisi a Pro-
metheo instantis periculi admonitus
esset ; quam etiam ob causam, libe-
ratum e Caucasio Prometheum, nar-
rat Lucianus. cum Apollonius contra
Jovem quidem a Themide admonitum
Prometheum vero Herculis beneficio
liberatum fuisse dicat, idque etiam

Delph. et Var. Clas.

ipse Prometheus apud Æschylum ita
vaticinetur fore.

21 *Pater ipse*] Nereus.

22 *O nimis optato*] Ingressurus ad
canendas Pelei nuptias, ceteros Ar-
gonautas, ab eis digressurus, salutat,
seque eorum laudes versibus suis
celebraturum pollicetur.

Nimis optato] Hinc expressum est
illud Virgil. 'Magnanimi heroes, na-
ti melioribus annis.'

23 *O bona mater*] Argo ipsam in-
telligit, cujus velut utero diu inclusi
latuerunt Argonautæ.

25 *Teque adeo exinie*] Cum alios
heroes sæpe compellabo, tum te, o
Pelen, exinie, ac præter ceteros.

25 *Tadis felicibus*] Felici matrimo-
nio.

25 *Pulcherrima Neptunine*] Pulcher-
rima natarum Neptuni. Tale est
apud Theocritum, et Callimachum
ὤκεανίη, apud Virgilium *Nerine Ga-
latæa*. Porro de Thetide, fueritæ,
quod hic ait Catullus, Neptuni sive
Nerei filia, Achillisque mater, non
satis inter veteres convenit. Home-
rus Thetidis filium, Nerei nepotem
Achillem facit, eaque a plurimis re-
cepta sententia est : alii, e quibus
est Aristoteles, Thetidem eam, quæ
Achilli mater fuerit, Chironis Cen-
tauri filiam fuisse aiunt : Daimachus
Philomelam vocat Achillis matrem,
quæ ipsa Actoris filia fuerit. Staphy-
lus lib. III. Rerum Thessalicarum,
narrat Chironem, Pelei gloriæ velifi-
cari volentem, accersisse ad se Philo-
melam Actoris Myrmidonis filiam,
deinde eam famam disseminasse, con-
stituisse Deos Thetiden Peleo uxorem
dare ; foreque ut ad nuptias, non
sine magna vi imbrium ac tempesta-
tum venirent : ipse autem, qui sapi-
entia rerumque cælestium intelligen-
tia vigeret, eum nuptiis diem dictum
esse confinxit, quo prospiciebat fore,
ut magna vis procellarum existeret :
cumque postea eo ipso die Philome-
lam Peleo collocasset, factum, ut

Catul.

2 I

hominis nupsisse ei Thetidem crederent.

29 *Tethys*] Tethys ex Oceano Doridem, Doris ex Nereo Thetidem sustulit.

30 *Oceanusque pater*] Antiqui Deos omnes, *patres* vocarunt. sic *Juppiter*, *πατήρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*: sic ‘Apollo pater,’ ‘Liber pater,’ ‘Neptunus pater,’ ‘Vulcanus pater,’ ‘Mars pater,’ ceterique ad eundem modum. Lucilius in deorum concilio: ‘Ut nemo sit nostrum, quin pater optimus divum: Ut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars, Janus, Quirinus pater nomen dicantur ad unum.’ sed Oceanum præcipue, quod, ut alio loco diximus, aquæ rerum omnium tribuerunt principatum.

31 *Quæ simul*] Simul atque advenit optatum illud tempus faciendis nuptiis constitutum.

34 *Dona ferunt præ se*] Quibus novam nuptam munerarentur.

36 *Gravinonisque domos, ac nitenis alacrisea*] Hæc sunt vetustæ scripturæ, de calamo notatis libris, miserabiliter depravata vestigia. Petrus Victorius suspicatur priorem partem ita legendam, *Cranonisque domos*. posteriorem vero non nulli restituere conati, legunt, *et mænia Larissæa*. ego neutram conjecturam improbo; et tamen, dum meliores libros nactus fuerim, nihil de hoc loco affirmare audeo.

38 *Rura colit nemo*] Feriabantur omnes, propter nuptiarum celebritatem.

43 *Ipsius at sedes*] Describit magnificentiam apparatus ædium Pelei.

Recessit] Interiorem partem ædium significat. sic Seneca, ‘In multa spatia discedit domus: Arcana in imo regia recessu patet.’ Locum autem hunc imitatus videtur Virgilius sub finem *Æn. 1.* ‘At domus interior regali splendida luxu instruitur, mediisque parant convivia tectis. Arte laboratæ vestes, ostroque superbo,

Ingens argentum mensis, cælatæque in auro Fortia facta patrum,’ &c.

47 *Pulvinar geniale*] Lectus genialis.

50 *Hæc vestis*] In veste, qua stratus erat lectus genialis Thetidos, multas heroum figuras fuisse dicit, atque inter ceteras, Thesei linquentis Ariadnam: unde sumpta occasione digreditur ad eam, sive Fabulam sive Historiam, fusissime explicandam.

52 *Diæ*] Naxi.

55 *Necdum etiam seseque sui*] Vigilet, an dormiat, nescit; non credit se esse compositum sui: nondum credere audet, quod videt, iusperatæ rei novitate stupefacta.

58 *Immemor at juvenis*] Videtur alludere ad eorum sententiam, qui aiunt, Bacchi numine effectum esse, ut Theseus oram solvens, Ariadnes penitus oblivisceretur: itaque, quod eam reliquerit, oblivione tantum, eaque divinitus immissa, non ingrato animo, effectum. Vide Theocritum Pharmaceutria, et in eum commentarios.

61 *Saxea ut effigies*] Summa vis est in hac comparatione: primum enim, quod bacchanti Ariadnen comparat, significat eam et vultu, et totius corporis gestu rabidum quandam concitæ mentis ardorem præ se tulisse: quod autem addit, ‘saxeam effigiem,’ tantam vim doloris fuisse indicat, ut diu neque movere se potuerit, neque in ullam vocem erumpere; omnis enim immodica affectio et eripere vocis usuram, et omnium corporis partium functiones impedire ad tempus solet. atque hoc nimirum est, quod Nioben Poëtæ, cum filios suos Apollinis et Dianæ aagittis confossos videret, obriguisset in lapidem fabulantur.

62 *Et magnis curarum fluctuat undis*] Hunc locum imitatus videtur Virgilius. ‘Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.’

65 *Strophio*] Nonius, ‘Strophium,’ iuquit, ‘est fascia brevis, quæ vir-

ginalem tumorem cohibet papillarum. Turpilius Philopatro, 'Me miseram quid agam? inter vias epistola excidit mihi. Infelix inter tuniculam atque strophium collocaveram.'

Luctantes] Ita legendum videtur, non, ut in aliis, *luctantes*. *luctantes* autem expono paulatim intumescentes, et, ut veteres loquebantur, sororiantes, quasque emittentes ad strophium repellendum.

67 *Salis*] Maris. Sic Virgil. 'spumas salis ære ruebant.' et alibi, 'campos salis ære secabant.'

Alludebant] Identidem percutiebant. Tale est illud Tibulli, 'Ima videbatur talis illudere palla.'

71 *Externavit*] Extra se posuit, sive, ut Nonius interpretatur, *dementem fecit*. Hoc verbo infra etiam usus est.

73 *Illam tempestate, quo tempore*] 'Ἀρχαῖσμός' sic Cic. 'ejus temporis, quo die.'

Theseus] Varias de hac Thesei perfectione sententias enumerat Plut. in ipsius Vita; quas illuc repetat, qui volet.

74 *E littoribus Piræi*] Poëtica licentia utens, ab Historiæ fide recedit; non enim ex Piræo, sed ex Phalero solvit Theseus; neque Piræus illis temporibus navale erat, sed curia: navale autem, antequam Themistocles imperaret, non fuit: auctor Pausanias.

75 *Injusti regis*] 'Grave est,' ait Plut. 'disertæ civitati, et in qua Musarum studia vigeant, inimicum fieri;' nunquam enim desiit Minos in Atticis theatris male audire, omnibusque vexari probris: neque eum vel Hesiodus adjuvit, qui regno dignissimum, vel Homerus, qui Jovis familiarem vocavit, quo minus obtinuerint tragici, qui de pulpito scenaque multam ei asperserunt immitis violentæque naturæ infamiam: eadem fere de Minoe Plato in Dialogo, quem de ipsius

nomine inscripsit.

Gortynia] Gortyn, urbs in Creta.

76 *Crudeli peste coactam*] Ipsum Deorum numen conspirasse cum Minoe ad ulciscendam eadem Androgei videbatur: eodem enim tempore et bello, et fame, et pestilentia affligebantur Athenienses: responsumque est oraculo, non aliter ea desitura, quam si Minoi fieret satis. Vid. et Plut. Diodor. Euseb.

78 *Electos juvenes*] Septenos quotannis juvenes, ac totidem puellas; idque per annos novem: quos non nulli sorte duei, alii a Minoe deligi solitos aiunt.

79 *Cecropiam*] Regionem Atticam.

Dapem dare] Varias super hac resententias refert Plut.

83 *Funera nec funera*] Figura Græca; ita enim illi ἄδωρα δῶρα ἀγάμους γάμους: et similia: sic Cic. 'insepultam sepulturam,' sic Ovid. 'injusta justa,' sic quidam vetus tragicus, 'innuptas nuptias,' sic Ennius, 'artem inertem,' cujus est illud, 'quæ scis, In vulgum vulgas, artemque expromis inertem.'

84 *Nave levi*] Ea navis postea, ex voto, quotannis Delon ab Atheniensibus mittebatur. Vide Plat. principio Phædænis.

85 *Superbas*] Magnificas: ut, 'aulæis jam se regina superbis.'

89 *Quales Eurotæ*] De hac comparatione dixi supra in Carmine de nuptiis Manlii.

95 *Curis hominum*] Sic infra de Venere, 'Quæ dulcem curis miscet amaritatem.' Hinc est, quod Musæus γλυκύπικρον vocat ἐρώτων κέντρον.

96 *Quæque regis Golgos*] Golgos oppidum est in Cypro Veneri sacrum: hic Golgos numero multitudinis dicit. Pene autem conversus est hic versus e Theocriti Syracusanis, Δέσπων, ἔ Γολγόν τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας, Cum autem et hic, et supra, Phalenciis in Vulusium, *Colchos* pro

Golgos legeretur, primus utrumque locum emendavit, vir clarissimus, Hermolaus Barbarus.

102 *Aut mortem appeteret*] Ita legendum, non *appeteret*; neque enim mortem appetere dicitur, nisi qui moritur: deinde, 'appetere mortem,' Latine dicitur: at certe, 'appetere præmia laudis,' quid sit, non video.

103 *Non ingrata, tamen frustra*] Non ingrata fuisse superis Ariadnes vota, illud indicat, quod Theseus victoria potitus est; ipsa tamen spe sua frustrata est: neque enim, quod optabat, contingit ei, posse ætatem una cum Theseo exigere.

104 *Suspexit rota*] Neque enim nudebat aperte pro Theseo vota facere; ne ipsa de se indicio esset patriti.

107 *Robur*] Truncum.

113 *Errabunda regens*] Virgil. 'Cæca regens filo vestigia.'

114 *Flexibus*] 'Ambages et dolos tecti' vocat Virgil.

115 *Frustraretur*] Frustra haberet, deciperet: de hoc verbo vide Gell.

Inobservabilis error] Virgil. 'et inextricabilis error.'

116 *A primo carmine*] Ab instituto celebrandarum nuptiarum Pelei.

118 *Consanguinea*] Sororis, Phædræ.

121 *Diæ*] Naxi; etsi multas alias insulas, quæ Diæ dicerentur, enumerat Interpres Theocriti Pharmaceutria.

122 *Dulci devinctam lumina somno*] Sic Theocritus de somno, *πεδά μαλακῶ κατὰ φάεα δεσμῶ*; alii *devinctam*, ut sit simile illi Homericō *μαλακῶ δεδμημένοι ἕπνῳ*.

135 *Devota perjuria*] Execranda; et diris obnoxia. Ad hunc autem locum respexit Tibullus, his versibus, 'Gnossia, Theseæ quondam perjuria linguæ Flevisti ignoto sola relicta mari. Sic cecinit pro te doctus Minois Catullus, Ingrati referens impia facta viri.'

143 *Nunc jam nulla*] Sic Ovid. 'Nunc quoque nulla viro, clamaho, femina credat.'

145 *Prægestit*] Valde gestit, valde cupit. Lucill. 'Quantum haurire animus Musarum e fontibus gestit.'

150 *Germanum*] Minotaurum.

Crevi] Judicavi.

152 *Pro quo dilaceranda*] Quotopere horribile veteribus fuerit, cadavera lacerari a feris, hinc existimari potest, quod ejus rei formidinem, apud Homer. proponit Hector ignavis: 'Ὀν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης πτώσσοντα νοήσω, Ὀχ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, οὐδὲ Οἰωνούς.' [Ita fere leguntur hi vv. apud Aristot. Ethic. III. 11. sed vid. II. B. 391.] et de Achille: *αὐτοὺς δ' ἐλάφια τεύχε κύνεσσιν, Οἰωνοῖσι τε πᾶσι*.

153 *Nec injecta*] Cic. II. de Leg. lib. II. 'Siti dicuntur ii, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, et corpus incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, ut humani dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret: eumque morem jus pontificale confirmat; nam prius quam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta gleba, tum et ille humatus est, et sepulcrum vocatur, ac tum denique multa religiosa jura complectitur.' Hæc verba Ciceronis ipsa ascripsi, ex quibus, quid sit, terram injicere, intelligi possent. Frequens enim est ejus rei apud auctores optimos mentio.

154 *Quanam te*] Usitatum est, ut quorum immanem crudelitatem execramur, eos e rupibus, efferrisve animalibus, aut etiam e mari natos esse dicamus. Virgil. 'Nunc scio quid sit Amor: duris in cotibus illum Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.' Et apud eun-

dem Dido Æneam alloquens, 'Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide: sed duris genuit te cœnibus horrens Caucasus; Hyrcanæque admorunt ubera tigres.' Tibullus vero, cum iis, qui Veneris furta non celassent, atrocem Venerem minitaretur fore, ita scripsit: 'Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam, Is Venerem e medio sentiet esse mari:' et alibi, cum dominam a nimia severitate abducere niteretur, 'Nam te, inquit, nec vasti genuerunt æquora ponti, Nec flammam volvens ore Chimæra fero, Nec canis anginea redimitus terga catena, Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput, Scyllaque virgineam canibus subnista figuram, Nec te conceptam sæva leana tulit.' Notum est et illud Homer. γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα.

156 *Quæ Syrtis*] Virgil. 'Quid Syrtis, aut Scylla mihi, quid vasta Charibdis Profuit?'

158 *Si tibi*] Eodem pene modo de Minoe, apud Virgil. queritur Scylla, 'Mene inter comites, ancillarumque catervas, Mene alias inter famularum munere fungi, Conjugis atque tuæ (quæcunque erit illa) beatæ Non licuit gravidos penso devolvere fufos?'

159 *Sæva quod horrebas*] Priscum parentem exponunt Cecropem: *sata* autem *præcepta*, legum, quam ille tulisse de certa legitimaque maris ac feminæ conjunctione dicitur: ego, cur ista tam longe petenda sint, curve lex illa ita sæva dicatur, ut eam Theseus horrere debuerit, exputare equidem non queo; itaque, ἀμαθέστερον, καὶ σαφέστερον, ita hunc locum interpretor: Si connumbia nostra tibi cordi non erant, pro eo quod horrebat animus recordatione eorum, quæ olim pater meus crudelissime imperaverat civibus tuis, nempe ut florem suæ juventutis Minotauro devoran-

dum mitterent, ob idque volebas tam sævi tamque importuni hominis filiam tibi uxorem adjungere: at certe me, ut tibi famulæ loco essem, abducere; non, ejus beneficio viveres, eam feris discerpendam relinquere debuisti.

162 *Candida pernucceus*] Pedes tibi ablucens. Est autem πάθος a ministerii vilitate.

161 *Sed quid ego*] Ἐπαρόρθωσις.

165 *Auctæ*] Præditæ a natura.

168 *Mortalis*] Vehementius quidam et ἐνεργητικώτερον dixit, quam si hominem dixisset.

169 *Sic nimis*] Allevamentum quoddam doloris est, in rebus adversis tuis, habere, qui te conquerentem audiant, et si minus juvare possint, tamen aliqua tui miseratione moveantur. Id quoque sibi Ariadna creptum esse conqueritur.

171 *Juppiter*] Stulta, sed hominibus usitata consuetudine, optat, quæ facta sunt, infecta esse. Tale est illud, Εἴθ' ὤφελ' Ἀργεῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος Κόλχων ἐς αἶαν. Enimvero non votis corriguntur præterita, sed futura consilio diriguntur. Notum est illud Agathonis, Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεοὺς στερίσκειται, Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσα' ἂν ᾖ πεπραγμένα: Una hac enim re etiam deus privatus est, Infecta facere, facta quæ sunt, ut queat.

172 *Gnossia Cecropiæ*] Virgil. 'Felix heu, nimium felix, si littora tantum Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.'

175 *Crudelia Consilia*] Consilia ita dixit, ut Græci φρένας quo nomine sæpe naturam et ingenium cujusque significant.

176 *In nostris requiesset scdibus hospes*] Hunc forte versum imitatus fuerit Virgil. illo, 'Quis novus hic nostris successit scdibus hospes?'

178 *Idæos ne pctam montes*] De patria ne repetenda cogitem? Ida enim mons Cretæ est.

At gurgite lato] At latum et metuentium mare interjectum, patriam meam ab hac insula dividit.

180 *Quem ne ipsa reliqui*] Id est, ejusne, quem ipsa reliqui? sic Terent. Andria, 'Quem ne ego vidi ad vos afferri vesperi?' Plaut. Mollestaria, 'Quo pessime modo? quæ ne jam subducta erat Tuto in terram?' Idem Milite, 'Quemne ego servavi in campis Cuticlindoniis?' Hoc qui non intelligebant, fecerunt hoc loco, *quem ne ipsa reliqui*: et paulo infra, *Qui refugit*, aut, *Qui refugit*, pro, *Qui ne fugit*.

181 *Prætereo littus*] Ubi littus prætereo, nihil video præter solam, ac desertam insulam, sine ullo tecto: neque tamen ex ea egredi possum, undique præcedente iter mari.

193 *Eumenides*] Has Deas esse credebant, Nocte genitas, quæ homines atrocibus turpificatis vitiis ulciscerentur. 'Diras ultrices' vocat Virgilius. Eadem et Erinnyes dicuntur: Epimenidesque eas Saturni filias facit: Euripides videre ipsas ait omnia; cujus est illud ex Œdipo Coloneo, *τὰς πάνθ' ὀρώσας Εὐμενίδας*. Ipsæ de justitia sua multa apud Æschylum prædicant: se videlicet nemini bono irasci, sed a sceleratis tantum meritas pœnas exigere. Vinum ad earum sacrificia non adhibebatur: quæ et iccirco *νηφάλια* dicebantur. Fiebant autem media nocte, ut ex Æschylo intelligitur. Plura vide apud Æschyli et Sophoclis Interpretes.

Anguineo capillo] Ὀφιοπλοκάμους eas Orpheus in hymnis vocat.

198 *Quæ quoniam vere*] Eas demum detestationes valere arbilrâbantur, quibus quis vero, magnoque, non levi ant simulato dolore motus alium defixisset: tum vero nullam explandi rationem esse existimabant. Horat. 'Diris agam vos:' dira detestatio nulla expiatur victima.

200 *Sed quali*] Locus hic, si dili-

genter animadvertas, confirmat id, quod supra tetigimus, non ingrati animi vitio; sed, oblivione a Diis objecta, fecisse Theseum, ut Ariadnam relinqueret: ipsa enim precatur Deos, ut quali se mente reliquit Theseus, tali etiam funestet suos. Vota autem Jovi probata esse, infra dicitur. Cum ergo Theseus oblivione domum suam postea funestaverit, consequitur, ut oblivione quoque antea deseruisset Ariadnam. Sed idem magis etiam ex illis versibus constat, qui infra leguntur, 'qualem Minoidi luctum Obtulerat mente immemorari, talem ipse recepit:' ut jam dubitandum non sit, quin hanc sententiam Catullus insecutus fuerit.

204 *Inrito numine*] Quod non libenter et Ægeum morte, et Theseum luctu utrunque immerentem afficeret.

205 *Quo tunc et tellus*] Sumptum ex Homero.

210 *Dulcia signa*] Candidum velum.

211 *Ereptum*] Liberatum: sic supra, 'ego te in medio versantem turbine leti Eripoi.'

212 *Castæ diræ*] Palladis, quæ Atheniensium præses erat.

217 *Reddite in extremo*] Neque enim ad patrem venit Theseus, nisi jam adultus, multisque editis præclaris facinoribus nobilis. Vide Plut.

224 *Canitiem terra*] Mos antiquorum in luctu.

226 *Incendia*] Doloris mei ardorem.

227 *Dicat*] Indicet.

228 *Itonis*] Palladem intelligit, quam Apollonius Itonida, Bacchylides Itoniada nominat. Itonus Thesalus fuit, Amphictyonis filius, qui urbem quamdam Thessaliæ a se Itonem nominavit, ubi Dea hæc colebatur. Cum autem Ito, sive Iton, urbis nomen sit; *sanctæ Itonis*, non, ut in aliis, *sancti Itonis*, legendum puto.

234 *Funestam vestem*] Velum illud ferrugineum.

235 *Candidaque intorti*] Nonius, quo loco de vasorum generibus disserit, exponens dictionem 'Carchesia,' ita scribit: 'Carchesia, summa pars mali; id est, foramina, quæ summos mali funes recipiunt: Catullus, Lucida qua splendent summi carchesia mali.' Haec tamen de conjectura, per me quidem, iudicet quisque, ut volet: ego dignam esse duxi, quæ proponeretur.

239 *Hæc mandata*] Ita, inquit, liquere hæc mandata Theseum, ut montis cacumen linquere impulsæ vento nubis solent.

248 *Morte ferox*] Superbus ob Minotaurum interfectum.

252 *At parte ex alia*] Ex alia parte vestis pictus erat Bacchus Ariadnam quærens. Quod residuum est hujus Fabulæ, exequitur Ovid. *Fast.* III. et *Met.* VIII. copiosius etiam Hyginus, et Arati Interpretes.

253 *Cum Thiaso*] Choro, multitudine: sic Bacchus ipse apud Eurip. *Θίασος ἑμὸς, γυναικες, ἃς ἐκ βαρβάρων Ἐκόμισα.*

Nysigenis Silenis] Nysæorum optimatibus. Diodorus lib. IV.

255 *Furebant*] Furibundi clamabant.

256 *Eræ*] Vox est Bacchantium.

Capita inflectentes] Rotantes; jacentes.

257 *Tecta cuspidè*] Foliis obducta, et velata.

258 *Pars e divulso*] Solebant enim Bacchantes interdum armenta discer-

pere, carnesque eorum erudas mandere. Eurip. *Καὶ τὴν μὲν ἂν προσεΐδες εὐθελὸν πόριν Μικωμένην ἔχουσαν ἐν χερσὶν δίχρα, Ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφρόνουν σπαράγμασι.*

259 *Tortis serpentibus*] Euripides Bacchis, Baccho recens nato Parcæ coronam e serpentibus imposuisse narrat; indeque receptum, ut se Maenades quoque serpentibus coronarent. *στεφάνωσέν τε δρακόντων στεφάνοις, ἔνθεν ἀγρὰν θηροτρόφοι Μαϊνάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.* Plut. quoque Olympiada, magni Alexandri matrem, grandes serpentes contrectantem manibus, thiasos celebrare solitam refert.

260 *Orgia*] Ita vocabantur mysteria quædam, quæ nisi ab initiatis, aut spectatis, aut audiri fas non erat: id vel ex hoc Penthei et Bacchi colloquio, apud Euripidem, intelligi potest. PEN. *Τὰ δ' ὕργι' ἐστὶ τίν' ἰδέαν ἔχοντά σοι;* ΔΙΟ. *Ἀρῆη' ἀβακχεύουσιν εἰδέναι βροτῶν.* PEN. *Ἐχει δ' ὄνησιν τοῖσι θούουσιν τινά.* ΔΙΟ. *Οὐ θέμις ἀκούσαι σ', ἔστι δ' ἄξι' εἰδέναι.*

Cistis] Cistis ferebantur Orgia. Tibull. 'Et levis occultis conscia cista sacris.' Theocr. Bacchis, *Ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεποναμένα χερσὶν ἐλοῖσαι.*

261 *Profuni*] Βέβηλοι, ἀμυστηρίασται, ἀτέλεστοι.

262 *Plangebant alii*] Hunc locum imitatus Ovid. 'Quæcumque ingredieris, clamor juvenilis, et una Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis, Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus.'

266 *Talibus*] Tandem e longa egressione sese recipiens, ad institutum redit. Dixerat, multos mortales e tota Thessalia convenisse, ad spectandum nuptiarum apparatus: eos nunc ait, cum oculos animumque satiasent spectandis rebus pulcherrimis, discessisse quemque ad se, et locum adventantium Diis dedisse.

270 *Hic qualis*] Discedentes Thessalos undis crescentibus, paulatimque

longins recedentibus comparat. Comparatio sumpta ex H. Δ.

271 *Zephyrus*] Pro quolibet vento Zephyrum dixit: alioqui enim, mane Zephyrum non flare, quod tunc nimium longe sol ab occidente absit, docet Aristoteles Problematis.

274 *Cachinni*] Cachinnus vocat undas maris, quæ paulatim diffunduntur in longum: ita enim os quoque ridentium hominum diffundi, atque extendi solet. Æschylus: ὦ δῖος αἰθήρ, καὶ ταχύπτεροι πνευαί, Ποταμῶν τε πηγὰς, πορτίων τε κυμάτων Ἀντήριθμον γέλασμα, παμμήτερ τε γῆ.

276 *Nantes a luce*] In aliis, *variantes luce*.

278 *Ad se quisque*] In suas quisque ades.

279 *Princeps*] Primus.

280 *Chiron*] Centaurus, de quo supra diximus.

285 *Domus risit*] Sumptum ab Hesiodo, qui ridere ait domum Jovis, canentium Musarum dulci voce conspersam: γελᾷ δὲ τε δάματα πατὴρ Ζῆνος ἐργιδούποιο, θεῶν ἐπὶ λειροίεσση Σκιδναμένη· sic et Theognis: Πᾶσα μὲν ἐπλήθη Δῆλος ἀπειροσίη Ὀδμήης ἀμβροσίης, ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη.

286 *Peneos*] Thessaliæ fluvius.

288 *Nereidum*] Alii *Naiadum*, alii *Nessonidum*; libri manu scripti *Minosium*: divinet alius; mihi quidem non liquet.

289 *Non tucius*] Libri veteres, *Nonocrius*.

292 *Sorore Flammati Phaëthontis*] Populo.

295 *Solerti corde Prometheus*] Eum enim jam liberaverat Hercules, sagittis interfecta aquila, quæ jecur illius depascebatur: narrat Apollonius lib. II. Valerius Flac. lib. V. Quod autem solerti corde Prometheum nominat, exprimit epitheta, quæ Græci ei tribuunt, modo ἀγκυλομήτην, modo πολυμήτην vocantes. Hesiodus, Ὅτι μιν ἔξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης. Orpianus, Ἰα-

πετοῖο γόρου πολυμήτα Προμηθεὺς. Ipse quidem apud Æschylum sibi tribuit artium omnium inventionem: et idem etiam de eo dicitur apud Plat. in Protagora. Sciendum autem est, Prometheum a Poëtis Deum haberi: unde et hic Catullus eum inter Deos recenset, et apud Æschylum Vulcanus eum vocat συγγενὴ θεόν: et ipse de se loquens, Ἴδεσθέ με, inquit, ὄσα πρὸς θεῶν πάσχω θεός. Quin etiam colebatur in Academia una cum Vulcano et Minerva: ut Apollodorum et Lysimachidem scripsisse ait Interpres Sophoclis.

296 *Extenuata restigia*] Vinculorum videlicet, quibus ad Caucasum alligatus fuerat.

Parnæ] Quod Jovem decepisset in distribuendis canibus, quod viros mulieresque effinxisset, quod surripisset ignem Vulcani et Minervæ, eumque hominibus tradidisset. Fuit autem filius Japeti ex Themide, quæ eadem et Terra est, ut ex Æschylo cognoscitur. Clymenes tamen eum filium fuisse, ejusdem Poëtæ Interpres alio loco tradit.

299 *Inde pater dicum*] Postremo venisse ait Jovem, Junonemque, ac ceteros superos Deos, præter Phœbum, qui solus in cælo relictus est, et Dianam, quæ in montibus suis mansit, neque tanti fecit Peleum, ut ejus nuptias sua præsentia cohonestaret. Quod autem ad Apollinem attinet, ideo eum removisse videtur ab his nuptiis Catullus, quia futurum erat, ut ipse Achillem interficeret: quæ in re sapientius fecit, quam Æschylus, qui affuisse Deum illum, etiamque Carmen nuptiale cecinisse dixit, quo Peleo et Thetidi fausta omnia prædiceret: ideoque Thetidem, interfecto filio, de vanitate ac perfidia Apollinis querentem facit; videtur enim occasionem quæsisse, qua in Diis exempla levitatis et mendacii ostenderet: quo nomine merito a Platone reprehenditur, extremo secun-

do de republica libro. Plane tamen Homer. quoque Il. Ω. eum affuisse, dicit.

301 *Unigenamque simul cultricem in montibus Idæ*] Reliquit, inquit, te quidem, o Phæbe, in cælo solum: cultricem vero Idæ, id est, Dianam, unigenam, id est, quæ uno eodemque partu tecum genita est, reliquit in montibus, ubi propter venationis studium assidue versari solet. Satis autem mirari non possum, quid adduxerit hominem eruditissimum, Petrum Victorium, ut hoc loco legat, *Unigenamque simul cultricem montis Itonis*; et Palladem exponat. Primum enim, causæ nihil confingi potest, cur Palladem eas nuptias aspernatam fuisse dicamus, ex quibus prognatum Achillem omni postea studio foverit. Deinde, ut Itonem urbem Minervæ sacram fuisse antea docui, ita vellem indicari mihi, quo loco ejusdem nominis mons fuisse dicatur. Postremo, quod caput est, sororem unigenam Phæbi, Minervam accipere nullo modo possumus, sed Dianam tantum: quippe cum illa, ut omnes norunt, e Jovis cerebro enata sit, hanc Latona uno eodemque partu cum Apolline ediderit: itaque hoc loco, Victorii, ceterarum rerum accuratissimi hominis, diligentiam, ut ingenue fatear, requiro.

306 *Infirmo motu*] Propter senectutem: qua de causa, postea quoque dicit, 'tremulum corpus.'

309 *Purpurea ora*] Purpureo limbo. Parcas autem triformes, et Erinnyas necessitatis gubernatrices, esse, ait apud Æschylum Prometheus, Jovemque ipsum eis subjicit.

312 *Lara colum*] Nullus unquam pictor nentes mulieres tam scienter expinxit, quam Catullus his versibus.

323 *Perfidia quod post nulla arguet ætas*] Cum carmen illud, quod in his nuptiis Apollo cecinisse dicitur,

postea Thetis perfidiæ arguisse dicatur.

328 *Currite ducentes*] Virgil. 'Talia secla, suis dixerunt, currite, fuis.'

339 *Expers terroris*] Fortem significat: ἄφοβος γὰρ τις καὶ ὁ ἀνδραγαθός, ait Aristoteles.

341 *Qui persæpe rago*] Pedum celeritatem Homerus Achilli peculiariter tribuit. Theon quoque eum a Chirone ad eam rem studiose exerceri solitum scribit.

342 *Flammea*] Flammæ instar, qua nihil celeris est, rapida et incitata.

347 *Perjuri Pelopis rastabit tertius heres*] Agamemnon, Pelopis ex Atreo nepos. Tertium autem dixit, puto quia duos heredes habuit Pelops, Atreum et Thyesten.

351 *Cum tremulo incanos*] Solvere capillum mulieres Trojanæ in suorum funeribus solebant. Virgil. 'Et circum Iliades crinem de more soluta.' *Incanos* autem dixit, valde canos. Idem alibi, 'Smyrnam incana diu sæcula pervolvent.' Sic infractum animum dicimus.

352 *Variabunt*] Lividis ictuum notis distinguunt.

358 *Unda Scamandri*] Tangit Fabulam, quam enarrat Homer. Il. XXI. Huic autem loco similis est prædictio Neptuni apud Papinium, 'Quem tu illic natum Sigæo in pulvere, quanta Aspiciet vietrix Phrygiarum funera matrum: Cum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros Undabit campos, modo crassa exire vetabit Flumina et Hectoreo tardabit funere currus.'

361 *Tepefaciet*] Sic infra, 'Omentum in flamma pingue liquefaciens.'

365 *Percussæ virginis*] Polyxenæ, quæ ad Achillis cenotaphium cæsa est. Vide Eurip. Hecuba, aut Senecam Troade.

367 *Fors*] Dens.

368 *Neptunia saltare vincla*] Muros a Neptuno extractos.

383 *Felicia*] Τὰς εὐρυχίας.

385 *Præsentes namque ante*] Quandiu homines pietatem coluerunt, Di cum ipsis familiariter crebro versari solebant: at ex quo, pietate neglecta vitis inquinata sunt omnia, videri se ab eis amplius noluerunt.

389 *Annua dum festis*] Bene animadvertit Guarinus, hoc de ludis Olympiis intelligi non posse, quippe qui annui non fuerint; sed nimirum, cum Cretes apud se natum esse Jovem dicerent, credibile est, ejus natalem annuis ludis celebrare solitos esse: eoque respicere Catullum pnto.

391 *Sæpe vagus Liber*] Ad hunc locum intelligendum, vide, quæ disputantur a Macrobio, lib. 1. Saturn. quo loco Bacchum et Apollinem unum eundemque Deum esse demonstrat.

396 *Rhamnusia virgo*] Nemesis.

409 *Contingi lumine claro*] Aperta in luce videri.

CARMEN LXV.

1 *Etsi me assiduo*] Receperat Oratio, se Callimachi Elegiam de Coma Berenices expressurum Latinis versibus, eique missurum: id igitur se, quamvis multis ex fraterna morte doloribus præditum, præstitisse dicit, ne rei sibi ab amico mandatæ immemor videretur.

4 *Mens animi*] Ita legendum est, non, ut alii inepte legunt, *Mens hominum*. Plaut. Cistellaria, 'Nullam mentem animi habeo: ubi sum ibi non sum.' Idem Epidico, 'pavor territat mentem animi.' Sic 'ingenium animi' dixit Poëta quidam vetus, quem citat Cornificius ad Herennium, lib. II. 'Sin inverecundum animi ingenium possidet.' Sic et Virgil. 'amentem animi Didonem.'

9 *Alloquar*] Recordatione mortis fraternæ, tantum dolorem animo sentit, ut, ejus magnitudine, per aliquot versus abducatur a re proposita.

14 *Daulias*] Fabula ex Ovidio nota est.

19 *Ut missum*] Ne putes tua dicta ita meo animo effluxisse, ut malum e gremio virginis.

Sponsi] Proci; ut apud Horat. 'Sponsi Penelopes.'

20 *Egremio*] Nec mulieri, nec gremio credi oportere, proverbium est: quod et illa incerti et levis animi est; et plerumque in gremio posita, cum in oblivionem venerint exurgentium, decidunt. Festus.

CARMEN LXVI.

1 *Omnia qui magni*] Si Callimachi Carmina, e quibus hæc expressa sunt, ad nos pervenissent; neque in his intelligendis laboraremus, et ex duorum, sua utriusque lingua, optimorum Poëtarum collatione, insignem quandam, plenamque utilitatis caperemus animo voluptatem: juvaret Græca cum Latinis componere, inspicere non in singulis modo vocibus, sed in figuris etiam luminibusque orationis, in ipsa ratione numerorum, ac denique in tota structura poematis, quam apte et scienter Græci poëtæ, in hoc genere inter suos facile primi, vim ac leporem, Latinorum Poëtarum sine controversia politissimus assecutus fuisset. Quam commoditatem quando sive fatum nobis, sive quo alio nomine appellari placet illud, quidquid est, quod in his rebus valet, eripuit; illudque præterea accessit mali, ut his quoque, sicut ceteris, Catulli versibus valde magnam labem importarit vetustas: spero equidem, in his difficultatibus, quanto facilius lapsus est, tanto mihi, sicubi offendero, paratiorem apud bonos veniam fore. Hujus autem Poëmatis hoc fere argumentum est: Ptolemæus cognomento Energetes Berenice, seu Beronicen, (utroque enim modo nomen hoc scriptum reperio,) Ptolemæi Philadelphi ex Arsinoë

priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit; neque enim ea conjunctio inhonesta Ægyptiorum legibus habebatur. Ea recens ducta, contigit ut expeditionem adversus Assyrios susciperet; in quam cum proficisceretur, vovisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes victorque rediret domum. Cujus devotionis suæ cum, re præclare a Ptolemæo gesta, convictam se judicio deorum immortalium videret, quo se religione exolveret, crinem rite in Veneris æde appendit: is cum postridie repertus non foret, magnoque ob eam rem rex reginaque in mærore essent; Conon, Mathematicus ea tempestate excellens, persuasit ipsis, crinem Deum numine sublato in cælum, et in sidus conversum fuisse: idque Callimachus, qui principem illum, propter singulare bonarum artium studium, numinis loco habebat, hoc Poëmate complexus est. Principium autem continet insignem commendationem Cononis, a præstanti cælestium rerum scientia.

5 *Ut Triviam*] Lnam.

Sub Latmia saxa] ad deosculandum Endymionem, qui illic ab ipsa sopitus esse dicitur.

7 *Idem me ille Conon*] Versus Græci duo reperiuntur apud Theonem commentariis in Aratum, quos quatuor versibus hoc loco Catullus expressit: nam cum dixisset Aratus, ad Virginis sidus sparsas esse stellas aliquot, quæ nomine carerent, addit ille, quem modo nominavi, interpret: Οἱ δ' ἡλακᾶτην αὐτοῦς λέγουσι, Κόων δὲ δ μαθηματικὸς Πτολεμαῖω χαρίζομενος Βερουβης πλόκαμον ἐξ αὐτῶν κατηστέρισε τοῦτο καὶ Καλλιμάχος πού φησιν, Ἴδὲ Κόων μ' ἐβλεψεν ἐν ἡέρι τὸν Βερουβίης Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

13 *Dulcia nocturnæ*] Impressas collo labrisque dentium notas, aliaque ejusmodi.

15 *Est ne novis nuptis*] Expositurus

dolorem, quem Berenice ex viri habitu cepit, primum interrogat, vero ne an falso lacrumetur puellæ, cum deducuntur ad viros: et num grave ipsis sit, sua virginitate spoliari: deinde respondet, fictum esse totum illud lacrumarum genus: idque ex eo colligit, quod Berenice magnam vim querelarum, marito discedente, profudit: si enim nocturnos illos conflictus odio haberent puellæ, nunquam tantopere doluisset Berenice, sibi, absente viro, soli cubandum fore. Ac, quoniam id paulo lascivius dictum videri poterat, addit aliam causam illius doloris, negatque doluisse illam, quod a viro, sed quod a fratre carissimo sejungeretur.

Anne parentum] Tale quiddam dixit et in posteriore nuptiali Carmine.

18 *Juerint*] E verbo, *juverint*, posterius, r, detractum est: sique, commissione vocalium, prima syllaba brevis effecta.

22 *Dissidium*] Separationem corporum hoc loco indicat. Cic. pro domo sua, 'Dellevi conjugis miseræ dissidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum.' Idem in Antonium, 'Ipse autem amore ardens, confirmabat, quod desiderium tui dissidii ferre non posset, se in exilium esse iturum.'

26 *Magnanimam*] Hyginus lib. II. Astronomicon, 'Hanc Beronice,' inquit, 'nonnulli cum Callimacho dixerunt, equos alere, et ad Olympia mittere consuetam. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemæum Beronices patrem, multitudinem hostium perterritum, fuga salutem petisse: filiam autem, sæpe consuetam, insillisse in equum, et reliquam exercitus copiam constituuisse, et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse: pro quo etiam Callimachus eam *magnanimam* dixit.'

27 *Anne bonum oblita es facinus*] Illud, videlicet, quod modo ex Hygino

retulimus. Subindicat autem, ex illo facinore, fratrem ipsius amore esse correptum.

28 *Quo non fortius ausit alis*] Quo facinore nullum fortius, majorisve animi, a quoquam alio suscipi queat. 'Alis' enim, ait Priscian. lib. xii. 'anti-quissimi pro alius protulerunt.'

33 *Atque ibi*] Post hoc distichon, aliquot versus desiderantur, quibus, ut suspicor, Berenices vota exequatur Poëta.

37 *Quæ ego profactis*] Id est, quæ quoniam ita contigerunt, ut tu a Dis poposceras; tuaque illa devotio convicta, et commissæ est.

41 *Digna ferat*] Quod caput tum si quis inaniter adjurare ausus fuerit, meritas pœnas violatæ religionis luat.

42 *Sed qui ferro*] Quo modo ego, quæ mollis sum et tenera, ferro resistere potuissem, cum montes quoque ipsi ferro excindantur?

43 *Ille quoque eversus*] Montem Atho significat, ab exercitu Xerxis excisum. Ceterum locus hic varie legitur, varieque exponitur: a non nullis hoc modo: *Ille quoque eversus mons est, quem maxima natu Progenies Phthiæ clara superrehitur*: iique exponunt, maximam natu Phthiæ progeniem, populos ejus montis verticem incolentes, qui diutissime vivant, ob idque Macrobian vocentur. Athos enim modo Thraciæ, modo Macedoniæ, modo Phthiæ, id est, Thesaliæ tribuitur. Alii legunt, *Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris Progenies Phthiæ clara superrehitur*: exponuntque claram progeniem, ipsum Xerxis exercitum: in verbo autem *superrehitur*, esse enallagen temporum, ut sit præsens pro præterito. Nec desunt, qui legant, *maximum in orbe*. Omnino depravatus locus est, neque, nisi antea purgatus fuerit, satis commode, vel a me, vel a quoquam alio explicari potest.

45 *Cum Medi*] Historia ex Herodoto, Plinio, Justino, Probo, aliisque

notissima est.

47 *Quid facient crines*] Complexio a majori.

48 *Juppiter ut Chalybon omne genus pereat*] Versum hunc primus restituit Angelus Politianus, e scholiis in Apollonium, ubi locus hic e Callim. citatur, Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος. Γεῖθθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν ἔμμιν ἔφηναν. apud Politianum tamen τηλόθεν pro γεῖθθεν legitur, sed male: videndum quoque, num prior versus ita legi possit, Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος. Chalybes autem Scythiæ populi sunt ad fluvium Thermodontem, dicti a Chalybe Martis filio: qui ferrum ferriq; usum primi invenerunt: hinc est, quod Scythiam Æschylus vocat *ἄλαν σιδηρομήτορα*. Virgil. 'India mittit ebur, molles sua tura Sabæi, At Chalybes undi ferum.'

51 *Abjunctæ*] Depravatum esse locum hunc, nemo non videt: cum autem et veteres libri nihil opis afferant, et conjectura omnis periculosa sit; paree omnino hos versus et timide attingam. Extarent Græca Callim. facilia omnia et expedita essent: at hoc optare est. Quantum igitur in tantis tenebris videre possum, hic sensus est: Comæ sorores, eæ nempe quæ in reginæ capite remanserant, lugebant mea fata, quæ paulo ante a suo consortio abjuncta essem: cum ales equus Chloridos, quæ Zephyri uxor est, (de hoc autem equo nihil alibi reperire potui,) obtulit se mihi, Arsinoæ: (id nomen urbis est, quam Ptolemæus Philadelphus a se conditam, sororis nomine insignierat:) idque, *Memnonis Æthiopis unigena*, id est, Aurora, quæ unum Memnonem ex Tithono genuit, *impellente uera natantibus pennis*, (ita enim hoc postremum in veteribus non nullis legitur,) id est, ex oriente. Hæc attuli, quia, ut verum fatear, nihil aptius excogitare potui: non quod ipsi mihi magnopere satis fa-

ciant: si quis vel ingenio vel eruditione majore instructus, quod facillimum est, vel meliores libros nactus, veriora protulerit, gratulabor. Pegasum quidem, excusso Bellerophonte, Auroræ a Jove dono datum, narrat Interpres Homeri in Il. Z. si quid hoc forte ad rem facit: etenim in tam deprāvato loco, haud sane video, qua via insistere oporteat.

57 *Zephyritis*] Chloris.

Famulam] Equum ipsum.

58 *Grata Canopais*] Hic quoque versus Œdipum quempiam desiderat. Nam quod nonnulli de Venere hoc intelligunt, quæ in Ægypto colatur, manifesto alienum est.

59 *Scilicet*] Nimirum, ne unum tantum sidus esset in cælo, e puellæ temporibus decerptum, nempe corona Ariadnes: sed ego quoque eum numerum augerem.

63 *Uridulam a fetu*] Madentem lacrymis, quas, quod a regina divellerer, profuderam.

Ad templa deum] In cælum.

64 *In antiquis*] Inter antiqua sidera.

Dira] Venus.

65 *Virginis*] Quam alii Erigonen, alii Astræam esse dicunt. Indicat autem locum, quo posita est coma, enumeratione vicinorum siderum.

66 *Callisto juncta Lycaonia*] Ad Ursam, in quam versa est Callisto Lycaonis filia; hoc autem sidus et planstrum quoque, et septem triones vocant. Porro Proculus quoque ad finem Sphæræ, comam numerat inter signa ad septem triones vergentia.

67 *Booten*] Qui et Arcturus et Arctophylax dicitur: tardum autem vocat, quod sero admodum occidat.

69 *Sed quanquam*] Quanquam, inquit, cum honorem assecuta sum, ut noctu quidem vestigia me deorum cælo incedentium premant; interdiu autem, una cum ceteris stellis, Tethyos gremio, id est, mari excipiar: tamen lætitiæ ex his rebus tantam

non capio, quantum dolorem ex eo, quod hæere amplius in dominæ capite non possum.

71 *Pace tua*] Quia arrogantius videri poterat, quod dictura erat, se non tanti facere siderum consortium, ut non mallet adhuc in dominæ capite hæere: idcirco prius Nemesin deprecatur.

73 *Non si me infestis*] Non si scirem fore, ut me, ob hoc dictum, sidera indignata discerperent.

74 *Evolam*] Diæresis.

77 *Qui cum ego*] Quæ me, quandiu virgo fuit, multis unguentorum millibus perunxit.

Omnibus expers] Intacta: *expers* autem eum sexto casu conjunxit, more veterum. Plant. 'Eo te more expertem factam advenicus offendi domum.' Idem, 'Ea res me domo expertem facit.'

79 *Nunc ros*] Novas nuptas orat, ut ne ante conjugibus faciant copiam sui, quam, in ipsius honorem, partem unguenti aliquam libaverint. Libare autem hic valet spargere; ut, 'Dixit, et in mensa laticum libavit honorem.'

82 *Onyx*] Vas unguentarium ex onyche gemma.

87 *Sic magis*] Sic magis ac magis in dies vobis cum viris vestris conveniat; magisque assidue invicem ametis.

89 *Tu vero regina*] Tandem ad reginam se convertit; suadetque, ut non ociosis ac iuanibus votis, sed largis muneribus adducat Venerem, ut se e cælo rursus in caput, a quo abscissa fuerat, redire patiatur.

90 *Festis luminibus*] Diebus festis.

Venerem Sanguinis expertem] Venerem Paphiam, cujus aram sanguine maculari nefas erat: itaque tore tantum ei floribusque fiebat. Virgil. 'Ipsa Paphum sublinis abit, sedesque revisit Lætæ snas, ubi templum illi centumque Sabæo Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.'

93 *Utinam coma regia fiam*] Utinam,

inquit, rursum redeam in caput reginæ, fulgeatque Bootes sive Arcturos proximus Erigonæ, ut priusquam ego in sidus converterer, interjiceretque inter ipsum et Erigonen. Postremus autem versus, ut a nobis scriptus est, ita legitur in veteribus libris; etiamque ratio ipsa, ut ita legatur, necessario postulat: quo magis mirandum est, quid cogitarit Politian. cum hunc locum adhibita industria corrumpere, collectis, si Diis placet, multis locis, quibus planum faceret, a Græcis interdum Oarionem pro Orione dici; quasi id ageretur: itaque merito incidit in aculeos reprehensorum, præcipue Marulli, qui quodlibet vadimonium, ut dicitur, potius deseruisset, quam ullam exagitandi illius occasionem: ejus igitur illa sunt, 'Oarionem pro Erigone citat Ecnomus: unde? Non facit ad mores virgo, sed Oarion:' et hoc item alterum, 'Quæris, quæ niteat docto coma parte Catullo? Proximus Arcturo fulgor et Erigonæ est. Virginis, et sævi contingens namque Leonis Lumina, Calisto juncta Lycaoniæ, Flectit in occasum, tardum dux ante Booten, Qui vix sero alto mergitur Oceano. Quæ tu si relegendis, ubi sit coma regia, quæris, Ecnome, aquam medio quæris in Oceano. Quamvis, quid relegas, vitiis miser, invidiaque Obrutus? ingenium candor inesse solet. Ergo dum omnia conturbas, dum credere doctis Negligis, et per te nil sapit ipse tamen, Fecisti Oarionem ex Erigone, ex Arcturo Hydrochonm: jam quod monstrum erit ipsa coma?' Hinc autem videri potest, illustres homines, quique magnum nomen habent in literis, quanto periculo peccent: efficit enim Politiani auctoritas, ut nullus jam, quod sciam, extet liber impressus, in quo non, rejecta vera lectione, nothus ille, et suppositicius versus legatur, *Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.*

CARMEN LXVII.

1 *O dulci jucunda viro]* Dialogus est, quo, ad sceleratas libidines nescio cujus mulieris detegendas, Januam ædium illius cum popularibus aliquot loquentem, easque ipsis indicantem facit. Tantum est: non enim puto in hujusmodi historiis cognoscendis multum operæ collocandum. Stultum est, quæ ita scripsit Catullus, ut ne tum quidem, nisi a paucis, quibus hæc res cognitæ essent, voluerit intelligi, ea se quenquam hodie credere conjectura assecuturum; pauca igitur quadam cursim annotavimus: de historia quidem ipsa suum cuique iudicium relinquemus: non enim eo hæc legimus, ut sciamus, quæ tandem illa fuerit, a qua hæc tam pulchra edita sint facinora; quisve aut senex ille Balbus, aut invalidus filius, aut officiosus pater, aut ceteri denique participes hujus tam honestæ societatis: quos, ne tum quidem, cum viverent, cognoscere, ulla laus erat: sed ut animadvertamus, si qua insint, quæ ad Romani sermonis elegantiam facere videantur: hoc igitur agamus.

6 *Postquam est]* Alii, *Postquam es.* ego Januam maritam dici posse non arbitror.

9 *Non, ita]* Janua loquitur: eodem autem modo Propert. lib. 1. Januam quandam de dominæ suæ impudicitia querentem facit.

11 *Nec peccatum a me]* Post hunc versus Pentameter desideratur: itaque concurrerunt emendatores, ut ad muletram muscæ, et, quod quisque potuit, attulerunt. Alius, *Verum istæc potius janitor ipse facit:* alius, *Verum istis me auctorem esse facit populus:* alius, *Verum isti populo Di mala multa ferant.* Guarinus ait, vidisse se librum veterem, in quo esset, *Verum isti populo janua quid reficit:* at ex hoc nulla idonea sententia exprimi potest. Ego, inane spatium relinquere, quam inanes versus ponere, satius duxi.

15 *Non satis est]* Viatores loquun-

tur: deinde Janna, *Qui possum? &c.* tum illi rursum, *Nos volumus, &c.*

21 *Sicula*] Sica, gladii genus est, ex quo ad imminutionem inflectitur *sicula*: hic autem eam sicam intelligit, qua natura munivit inares, quæque una sine periculo legis Cornelie gestari potest, cum comparata non sit interficiendorum hominum causa.

27 *Ne quærendum aliunde foret*] Impudentis patris familias esset, rogare utendum foris, id quod ipsi præsto est domi.

28 *Zonam solvere virgineam*] Puellæ virginitatem adimere. Homer. Odys. A. Ἄσπε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ἔσπον ἔχευεν. Theocr. [Moschus, II. 160.] Ἄσπε δὲ οἱ μήτρην, καὶ οἱ λέχους ἔπυνον ὄραι. Musæus, Ὡς ἡ μὲν ταύτ' εἶπεν, ὃ δ' αὐτίκα λύσατο μήτρην: unde et ἀμήτρος vocabant inuuptas. Callim. Πάσας εἰνέτεας, πᾶσας ἔτι παῖδας ἀμήτρος: quem in locum interpres, *μήτρας*, inquit, ἔξάννυτο, ἅς ἔλυον, ὅταν ἐμελλον διαπαρθευέσθαι.

29 *Egregium narras*] Rursum viatores loquuntur.

30 *Minxerit in gremium*] Sic Persius, 'Patriciæ immeiat vulvæ.' 'Urinam etiam genitalem,' pro 'semine' Plinius dicit.

31 *Atqui*] Januæ verba sunt.

42 *Solam consiliis*] Manutius suspiratur legendum, *consiliolis*: egoque assentior.

46 *Ne tollat rubra supercilia*] Gestus minantium, isque, ut suspicari licet, ei, quo de hic agitur, familiaris.

CARMEN LXVIII.

1 *Quod mihi fortuna*] Pulcherrima omnino hæc Elegia est, atque haud scio, an ulla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat: nam et dictio purissima est: et mira quadam affectuum varietate permista oratio: et tot ubique aspersa verborum ac sententiarum lumina, ut ex hoc uno poemate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omni-

bus præstare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset. Primum enim, quod Manlius in duris atque acerbis rebus suis, ea, quæ sibi solatio forent, ab ipso potissimum petere voluerit, gratam sibi esse affirmat illam amicitie significationem: cum autem ille duorum generum munera peteret, Musarum videlicet, et Veneris; ostendit neutrum a se præstari posse; quod e fratris sui morte tantum dolorem hauserit, ut earum rerum studia ipsi penitus ex animo excesserint: postremo, beneficia a Manlio apud se posita elegantissimis versibus commemorat; eique fausta feliciaque omnia a Diis immortalibus comprecatur.

2 *Epistolum*] Ita Pacuvius 'prologium.' 'Quid est? nam me exanimasti prologio tuo.'

4 *A mortis limine restituum*] Sic Virgil. Culice: 'cum te Restitui superis leti jam limine ab ipso.'

15 *Vestis pura*] Quæ dabatur annum fere agentibus decimum sextum.

16 *Jucundum cum ætas*] Elegans juventutis descriptio. Eratosthenem autem dixisse tradunt, primam illam viriditatem ætatis, ver vitæ esse; corroboratam ætatem, constitutamque, ætatem, et autumnum; quibus senectutem, quasi hiemem quandam, succedere.

18 *Quæ dulcem*] Sic supra, 'Sancte puer curis,' &c. Plato quoque Amorem γλυκύπικρον nominat.

36 *Hunc una e multis*] E multis librorum capsis, unam tantum, eamque exiguam, mecum convehendam curare soleo, cum huc commigro.

41 *Non possum reticere*] Vehementissima amoris sui expressio: cum enim vi doloris oppressus, poetica studia penitus abjecerit; negat tamen facere se posse, quin accepta a Manlio beneficia versibus, ad perpetuandam ipsius gloriam, exequatur.

43 *Sæclis obliviscentibus*] Clarorum hominum res gestas, nisi quibus Mu-

sarum cantus accesserit, perpetua oblivione sepelientibus. Apposite autem Musas ad illustrandum Manlium invocat; quippe quarum proprium est, præstantium virorum famam ab injuria mortalitatis asserere. Horat. 'Dignum laude virum Musa vetat mori,' Tibull. 'Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus, Dum cælum stellæ, dum vellet amnis aquas.' Theocr. Αἰὲ τοῦτο Διὸς κούραις μέλει, αἰὲν ᾠδοῦσι, Ἵμνεῖν ἀθανάτους, ἴμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν.

51 *Duplex*] Dolosa, versuta: sic Horat. 'Nec cursus duplicis per mare Ulyssæ.'

Amathuntia] Venus: sic supra, 'quæque Amathunta, quæque Gorgos.'

52 *Corruerit*] Prostraverit. Annotandum autem est usus hic verbi, 'corruo,' non admodum frequens: eo tamen ad eundem modum usus est alicubi Lucretius. Lambinus meus, cujus ego doctrinam et judicium plurimi facio, hunc versum ita legit: *Scitis, et in quo me exercuerit genere:* atque se vidisse veterem librum, in quo esset, *exhorruerit*: unde ipse eam, quam dixi, conjecturam facit. In meo quidem, qui scriptus est centum et eo amplius abhinc annos, omnibus literis aperte legitur, *corruerit*.

53 *Trinaeria rupes*] Ætna.

54 *Malia*] A Maliaco, ut opinor, sinu.

Thermopylis] Tractus montanus est, qui mediam Græciam dividit, calidis balneis nobilis.

57 *Qualis in aërii*] Lacrymas ex oculis suis profluentes rivo comparat: quem quidem rivum ita describit, ut eum oculis subjicere videatur.

59 *Qui cum de pronâ*] Qui cum præceps devolutus est per pronam vallem. Est autem tmesis in verbo, 'devolutus.'

63 *At reluti*] Quale auxilium est, ventus secundus, agitatissimum jam diu nautis, et de salute sua desperanti-

bus; tale mihi Manlius fuit.

67 *Is clausum*] Campum, quem latissimum habebat, mihi patefecit, secumque communem esse voluit.

72 *Arguta*] Brevi. Hanc autem, quam sibi a Manlio datam fuisse dicit, Lesbiam esse non arbitror, sed aliam quampiam: idque præcipue ex fine hujus elegiæ colligo.

74 *Protesilaam*] Laodamiæ comparat puellam illam, cujus sibi usum concesserat Manlius: simulque more suo digreditur ad Laodamiæ fabulam explicandam: ea uxor Protesilai fuit, quæ cum maritum suum primum ex omnibus Græcis in bello Trojano ab Hectore interfectum esse audisset, nimio illius desiderio contabuit. Sunt, qui dicant, viri umbram ei se in somnis obtulisse, inque illius complexibus ipsam emortuam. Alii obtinuisse Protesilaam, ut ex inferis, ad visendam uxorem, reverteretur: eumque eam reperisset adjacentem imagniculæ, qua viri mortui vultum exprimendum curaverat, petiisse, ut ne sibi amplius superstes esse vellet: tum ipsam, acta per pectus hasta, sibi mortem attulisse. Quod autem tam brevi tempore, marito suo frui, ipsi licerit, Catullus Deorum iram in causa fuisse dicit, quibus ante nuptias sacra rite perpetrata non forent.

90 *Acerba cinis*] Sic Calvus, 'Cum jam fulva cinis fuerit.' Idem, 'Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.'

91 *Quæ nempe*] Rursum, recordatione fraternæ mortis, a re proposita abducitur.

102 *Focos*] In aliis, *dcos*.

107 *Tanto te absorbens*] Epiphonema est, quo confirmat id, quod antea dixerat, conjugium videlicet illud Laodamiæ vita atque anima dulcius fuisse. Quærens autem occasionem admiscendi varias fabulas, iisque eruditionis quasi spargendâs seminibus exornandi opus suum, ait, amorem Laodamiæ profundioris fuisse palude quadam, quæ erat in Thessalia,

sed postea siccata est, Herculis opera; sumptaque occasione, ad Herculis res gestas modice attingendas digreditur.

108 *Burathrum*] Hic simpliciter pro voragine ponitur: erat autem proprius locus Athenis, in quem scelerati dejiciebantur, ut apud Lacedæmonios in Cædan.

109 *Quale ferunt Graji*] Hercules, cum ad Stymphalias aves interficiendas, jussu Eurysthei proficiscens, in Thessaliam venisset, paludem quandam, quæ ex collectis Penei aquis efficiebatur, siccavit; cum, separatis Ossa et Olympo montibus, qui ante contigui erant, exitum fluvio dedisset in mare: sicque ejus regionis hominibus campi ad Peneum pinguisissimi et feracissimi copiam effecit: narrat Diodorus lib. v. tangit etiam Lucanus lib. vi.

110 *Siccari*] Tanta enim vis aquarum fuerat, ut nondum penitus ad siccitatem perductum sit solum, sed quotidie paulatim siccetur.

Emulsa puluete] Exhaustis aquis.

111 *Montis medullis*] Interioribus partibus: eadem figura, 'terræ viscera' dixit Ovid.

112 *Falsiparens*] Qui falso habebatur Amphitryonis filius, cum re vera Jovis satu editus foret.

113 *Stymphalia monstra*] Proditum est, Stymphalidas in Arcadia aves fuisse, quæ humana carne vescerentur, quas sagittis Hercules confecerit. Pisander autem Camireus, non interfectas quidem eas ab Hercule, sed crotalorum sonitu fugatas tradit. Sane ea pars Arabiæ, quæ deserta est, tum feras alias educit, tum aves, quæ Stymphalides nominantur, nihilo erga homines pardis et leonibus mitiores: eæ, si quis capere ipsas conetur, involantes rostrisque tundentes insidiantium corpora, facile eos interficiunt tanta quippe sunt duritie rostri, ut, quæcunque tegendo corpori ferrea æreave adhibentur, ea facile

Delph. et Var. Cius.

perfordiant. at, si quis densis crassisque arborum corticibus corpus muni-erit, haud aliter Stymphalidum rostra ab ejusmodi veste retinentur, quam a visco alæ avicularum solent. Eæ corporis magnitudinæ gruibus, figuræ ac specie ibidibus comparari queunt: nisi quod firmiora rostra, neque, ut ibes, adunca habent. Hæc, aliaque de his ipsis avibus non nulla Pausanias in Arcadicis, non nulla etiam Strabo lib. viii. et Diodorus lib. v.

Stymphalia] Stymphalus oppidum Arcadiæ est. Homer. Στύμφηλόν τ' εἶχον, καὶ Παρθασίην ἐνέμοντο.

114 *Imperio deterioris heri*] Eurysthei. Quo modo autem Juno, decepto Jove, illud assecuta fuerit, ut fatali necessitate Hercules Eurystheo parere cogeretur, elegantissime narrat Agamemnon apud Homerum Il. xrx.

115 *Pluribus ut cali*] Ut Hercules, Eurysthei jussa executus, juxta Apollinis et Minervæ oracula, deorum numerum auget.

116 *Hebe nec longa*] Hebe, juven-tutis Dea, Junonis filia, Dis prandentibus ex æquo omnibus ministrabat: cum Gæmmedes Jovis tantum minister esset: ea Herculi, in Deos relato, nupsisse dicitur.

117 *Sed tuus altus amor*] Rursum ad Laodamiam rediens, ait, amorem ipsius erga virum palude illa altiore fuisse.

118 *Quod divum dominum*] Alii, *Qui te non domitum*: alii, *Qui divum domitum*: ego (neque enim dissimulare sustineo) nullum idoneum sensum ex hoc versu elicere possum.

119 *Nam neque tam carum*] Hoc significat, nusquam esse tantum amoris ardorem, quantum in ingeniis muliebribus: ceteras tamen omnes mulieres a Laodamia fuisse hac in parte superatas. Ornatus autem, et majoris expressionis gratia, ait, amorem tantum non esse, quo avus nepotem sibi ex unica filia, in extrema jam senectute susceptum diligit, neque

Catull.

2 K

enim, quo columbæ mares suos prosequuntur, aut si qua alia avis est, quæ etiam impotentius amare dicatur, quantus est amor mulierum in viros suos, ubi eos vere et ex animo amant.

120 *Seri*] Τηλυγέτου] tales autem longe carissimi esse consueverunt.

121 *Qui cum dicitis*] Qui vix tandem in lucem editus, ubi primum heres ab avo suo scriptus est, efficit, ut gentilis, qui sperabat, hereditatem ad se devolutum iri, ob idque impium gaudium ex imminente senis morte capiebat, eique, tanquam vulturius aliquis, imminebat, gaudere desinat, inani se expectatione delusum videns.

122 *Testatas*] A testibus obsignatas.

Tabulas] Eo nomine intelligebant testamentum in quacunque materia scriptum.

123 *Gentilis*] Gentiles qui dicantur, recte explicat Cic. in Topicis. Errat autem hoc loco Guarinus, qui gentilem, 'affinem' interpretatur.

124 *Suscitat*] Depellit.

Vulturium] Vulturios, aut corvos, per jocum, hereditatum captatores vocabant.

A cuno capite] Avi sui.

128 *Multirola*] Videtur hoc loco idem valere, quod, impotens in amore, sive immoderate amans: quod tamen mihi quoque duriusculum videtur.

129 *Sed tu*] Laodamiam alloquitur.

131 *Aut nihil*] Nunc, omissa Laodamia, ei puellam illam, de qua superius egerat, confert.

137 *Stultorum more*] Stultum enim est conari ad muliebrem libidinem coercendam. Propert. 'Tu prius et fluctus poteris siccare marinos, Altaque mortali deligere astra manu, Quam facere, ut nostræ nolint peccare puellæ.'

138 *Sæpe etiam Juno*] Si Juno, quæ Dearum maxima est, creberrima tamen mariti adulteria perferre cogi-

tur: multo magis ego, qui homo sum, debeo puellæ meæ peccata æquo animo ferre; cum illa præsertim et raro peccet, et non mecum, sed cum alio nupta sit.

140 *Omnivoli*] Omnium formosarum mulierum amore flagrantis.

141 *Atqui nec diris*] In quibusdam libris, post hunc versum desideratur pentameter: in aliis scribitur ad hunc modum, *Ingratum tremuli tolle parentis onus*: quem versum alii varie ponunt: ego nullam huic loco idoneam sententiam ex eo posse exprimi puto.

147 *Quare illud satis est*] Videtur hoc dicere; satis sibi esse, si hoc a puella præter ceteros habeat, ut ipsæ eos sibi dies candido lapillo signandos putet, quibus cum ipso delicias facere possit.

149 *Hoc tibi*] Tandem redit ad Manlium; eumque, Carmen concludens, optimis omnibus prosequitur.

157 *Et qui principio*] Hic quoque versus varie legitur; neque ego quidem illius sententiam satis assequi possum.

160 *Lux mea*] Lesbiam, opinor, intelligit: quam ab illa altera diversam esse, ex eo colligo, quod paulo ante eam, de qua tam multa in hoc Poëmate dixerat, dominam nominavit.

CARMEN LXIX.

1 *Noli admirari*] Tetrum illum virulentumque odorem, qui ex alis, pro temperaturæ nimirum victusque ratione, ab aliis gravior, ab aliis minus gravis afflatur, et Græci scriptores τράγον, et Latini 'caprum,' 'capram,' 'hircum,' ab ejus videlicet animalis graveolentia, vocant. Rufum igitur quempiam, hominem ista odoris fæditate præter ceteros insignem, exagitat Poëta; atque, mirum non esse, si eum puellæ omnes aspernentur ac refugiant, neque ullis muneribus perduciant ad faciendam ei copiam sui: quippe gestari ab eo

trucem quandam bestiam sub alis, quam horreant illæ, ita ut cubare cum ea omnino non possint. Possit autem aliquis suspicari, hæc scripta esse in M. Cælium, ei enim Rufo cognomen fuit: et, cum ambo ament Clodiam, fieri potest, ut e rivalitate ad inimicitias venerint: nam infra, ab hoc ipso Rufo creptam sibi Lesbiam queritur.

3 *Labefactes*] Impellere, et quasi de pudicitia gradu dejicere moliaris.

4 *Pelluciduli lapidis*] Unionis.

5 *Mala fabula*] Fabulam vocabant quidquid esset in ore populi, sive verum id, sive fictum foret.

7 *Mala valde est Bestia*] Plaut. Bacchidibus, 'Magis illectum tuum, quam lectum, metuo, mala es bestia.' Idem Pænulo, 'Tene sis me arcte, mea voluptas: male ego metuo milvius: Mala illa bestia est, ne forte me auferat pullum tuum.'

9 *Interfice*] Facete: quasi de animali sermo esset. Nonius tamen admonet, interficere, et occidere, veteres etiam ad inanima transtulisse. Cic. Economico, 'Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere et interfici, neque terram ab sole percoqui.' Virgil. 'Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice menses.' Lucill. 'Durnm, molle vocas, fragmenta interfici' panis.'

CARMEN LXX.

1 *Nulli se dicit*] Significat mulieribus in amore blanditiis nullam esse adhibendam fidem. Tibull. 'Etsi perque suos fallax juravit ocellos, Junonemque suam, perque suam Venerem, Nulla fides inerit.' Circumfertur et senarius Græcus; qui ait, mulieri credendum non esse, ne mortuæ quidem. Venereis autem præcipue asseverationibus nullum inesse pondus, tam sæpe dicunt Poëtæ, ut me locos conferre cogitantem ipsa multitudo deterreat.

2 *l'etat*] Proprie admodum: nam

et proci a proëando, id est, a petendo dicuntur. Ovid. 'Multi illam petere: illa aversata petentes.' Virgil. 'Multi illam magno e Latio, totaque petebant Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus,' &c.

3 *Dicit, sed mulier*] Videtur imitatus distichon Callimachi, quod in omnibus impressis libris corrupte legitur: debet autem ita legi: 'Ὠμόσειν ἀλλὰ λέγουσιν ἀλαθέα, τοῖς ἐν ἔρωτι Ὀρκους μὴ δύνειν ὑπατ' ἐς ἀθανάτων.'

4 *In vento, et rapida aqua*] Lepide duas res elegit, quæ perpetuo fluant, eamque naturam habeant, ut in eis imprimi nihil possit.

CARMEN LXXI.

1 *Si cui, Virro*] Virronem alloquens, in rivalem ipsius, quem Rufum fuisse verisimile est, salse jocatur.

Sacer] Execrandus, refugiendus, horribilis.

3 *Æmulus*] Rivalis: nam et rivalitatem ipsam, æmulationem vocant.

Exercet] Subagitat.

Amorem] Puellam ipsam.

4 *Mirifice est actu*] Lego, *Mirifico est astu*, et εἰρωνικῶς dictum accipio.

5 *Ulciscitur*] Quasi quodam supplicio afficit: de hujus verbi proprietate vide Asconium.

Ambos] Se et illam.

CARMEN LXXII.

1 *Dicebas quondam*] In hoc Epigrammate nullas fere meas partes esse arbitror, nisi ut, quid inter 'amare,' et 'bene velle' intersit, aperiam: hoc enim patefacto, cetera perspicua erunt. 'Amandi' igitur verbum latius patet: neque enim, si quis 'amet,' continuo illud sequitur, ut etiam 'bene velit': cum tamen 'bene velle,' nisi 'qui amet,' non queat. Ita sæpe propter eam, quæ ex corporum commistione efficitur, voluptatem, intemperans aliquis meretricem amare potest; cui tamen bene an male sit, non laboret: et vero cum bestias,

tum etiam res inanimas, ut cibum potumque, ut signa tabulasque egregii operis, 'amare,' ait Aristoteles, dicimur: quibus tamen nemo sanus 'bene velle' nos dixerit. Ait igitur Catullus, fuisse aliquod tempus, cum ipse non tantum amaret Lesbiam, ut vulgus amicam solet, voluptatis videlicet suæ causa, verum etiam ut patres liberos generosve amant; qui non delectatione aliqua, aut emolumento suo, amorem in eos dirigunt; immo vero totam illam, qua eos comprehendunt, benevolentiam, ipsorum commodis atque opportunitatibus metuntur: tum nempe, cum ipsius blanditiis inductus in fraudem, se quoque vicissim amari ab ea crederet; ex quo autem levem fallacemque cognoverit, amare quidem nihilo minus, aliquanto etiam magis, sed tamen deposuisse ex animo veterem illam paternam benevolentiam, qua eam complecti solebat.

8 *Cogit amare magis*] Qui enim semel amoris laqueis capti irretitque sunt, ii, si puellæ suæ alium quoque aliquem placere sentiant, eo acrius incenduntur: itaque meretricum mos est, iis, quos retinere in amore cupiunt, rivalem aliquem apponere. Ovid. 'Dum cadat in laqueos, captus quoque nuper amator Se solum thalamos speret habere tuos. Postmodo rivalem, partitæque fœdera lecti Sentiat: has artes tolle, senescit amor.' Hac arte usam fuisse Lesbiam, hoc loco apertissime indicatur: contraque Propertius, non malus ipse quoque harum rerum magister, suadet juvenibus, ad domandam puellarum superbiam, duas simul amare: 'Aspice, uti cælo modo sol, modo luna ministret: Sic etiam nobis una puella parum est. Altera me cupidus teneat, foveatque lacertis; Altera, si quando est, non sinat esse locum: Aut, si forte irata meo sit facta ministro, Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea. Nam melius duo defendunt re-

tinacula navem: Tutius et geminos anxia mater alit.' Sed et Ovidium idem præcipere memini.

CARMEN LXXIII.

1 *Desine*] In Alphenum, ut supra admonui, factum esse Carmen hoc suspicor: continet autem commuam querelam de perfidia ingratoque animo eorum, qui se amicos esse simulant: quod ipsum indicare volens Socrates, sæpenumero dicere solebat, ὁ φίλοι, ὀβδελὸς φίλος: sed ut res ipsa nimium usitata est, ita de ea tam frequentes sunt in sapientum hominum scriptis querelæ, ut in eis recensendis ocio abuti pigeat.

CARMEN LXXIV.

1 *Gellius audierat*] Recte èt vere admonet Parthenius, hunc esse Gellium illum, quem M. Tullius in extrema oratione pro Sextio probris omnibus lacerat, quemque in Vatiniiana seditiosorum omnium nutriculum vocat.

Patrum] Qua ratione quisque ad sua vitia connivet, eadem fit, ut parentes filiorum vitia pervidere non possint: ut enim vere tradit Aristoteles, sunt filii, quædam veluti partes eorum, a quibus sunt procreati; at patrum, qui fratrum filios, pene tanquam ex se genitos, amant, et tamen isto vitioso affectu carent; peccata eorum severius plerumque castigant: hinc est, quod ait Catullus, *patrum objurgare solere, &c.* Persius, 'Cum sapiamus patros.' Horat. 'ne sis mihi patruus, oro.' Idem, 'metuentes patræ verbera linguæ.' Cic. pro Cælio, 'Et qui in reliqua vita mitis esset, et in hac suavitate humanitatis, qua prope jam delectantur homines, versari per jucunde soleret, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister.'

2 *Si quis delicias diceret, aut faceret*] Si quis aut lasciva uteretur oratione, aut vitam ipsam nequiter institueret.

'Delicias facere,' interdum est irridere. Plaut. Menæchmis, 'eja, delicias facis, Mi Menæchme: quin amabo is intro?' Hic autem est indulgere libidini: quod aliter veteres, 'nequam facere,' dicebant. Plaut. Pænulo, 'Amare velle se, atque obsequi animo suo, Locum sibi velle liberum præberier, Ubi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter.'

3 *Perdespuit*] Cum eam prius adulterio contaminasset, postea neglexit, rejecitque a se, et libidinem suam in ipsum patrum, ejus maritum, contulit.

4 *Patrum reddidit Harpocratem*] Patrum silentium imposuit. Harpocrates Deus Ægyptiorum, qui et silentio præerat, et silentio colebatur. Vide Politiani Miscellanea.

6 *Verbum non faciet*] Subest obscœnitas; obturatur enim os τῶν γλωσσοποιῶσιν, ut, velint nolint, tacere cogantur: simile est illud Martial. 'Si te prendero, Gargili, tacebis.'

CARMEN LXXXV.

1 *Nulla potest*] Commendat amorem in Lesbiam suum.

4 *In amore suo*] In amore ipsius. Sic veteres sæpe loquebantur. Cic. lib. vi. de Rep. 'Graves enim dominæ cogitationum libidines infinita quædam cogunt, atque imperant: quæ quia expleri, nec satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incendantur.' 'Suis,' dixit pro 'ipsarum.'

Ex parte mea]. Τοῦμὲν μέρος dixi supra.

5 *Huc est*] Qui intellexerit, quæ dicta sunt in Epigrammate, *Dicebas quondam*, nihil hic magnopere desiderabit.

CARMEN LXXXVI.

1 *Si qua recordanti*] Ingratum Lesbiæ animum videns, se ipsum solatur conscientia integritatis suæ; deinde hortatur se ad amorem illius projici-

endum ex animo: quod quoniam ope humana vix videtur fieri posse; Deorum postremo, ad eam rem efficiendam, auxilium implorat.

11 *Quin te animo affirmas*] In aliis, *obfirmas*.

Astringisque] Qui tam diu dissolute vixeris.

Reducisque] Qui tam diu a recte vivendi via aberraveris.

12 *Dis irritis*] An, desinis, Diis invitis; an, esse Diis invitis miser?

15 *Una salus*] Una ex his malis emergendi via. Tale est illud, 'Una salus victis,' &c.

16 *Sive id non pote, sive pote*] Ἐτε δυνατόν, ἐτ' ἀδύνατόν ἐστι: pote enim valet δυνατόν, non pote, ἀδύνατον: sicut autem et δυνατόν, id est quod fieri potest, et δυνατός τι ποιεῖν, is, qui efficere aliquid potest; ita hoc nomen a Latinis utroque modo usurpatum reperias: id quoque animadvertendum est, et 'potis' et 'pote' in quolibet genere dici: ea omnia exemplis plana fient: 'potis,' communi genere, Lucret. 'Quis potis est dignum palanti pectore carmen Condere,' &c. Ennius, 'Quis potis ingentis oras evolvere belli?' 'potis,' in neutro: Catullus supra, 'Qui potis est? inquis: ibi enim illud valet, πῶς ἂν τοῦτο δυνατόν εἴη; Lucret. 'Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.' 'pote' in communi: Catull. 'Quantum qui pote plurimum perire.' Propert. 'Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.' 'pote' in neutro: Cic. 'Hospes, non pote minoris.' Dicitur et 'potes,' numero multitudinis. Plaut. Pænulo, 'Apagesis negoci in muliere quantum una est: si vero dnæ, Sat scio, maximo uni populo, quoi lubet, plus satis dare Potes sunt.' 'Potis' etiam de pluribus loquentes dicebant, nisi vitiosa scriptura est. Ennius, 'Spero, si spes quiddam prodesse potis sunt.'

17 *Si vestrum est misereri*] Hoc enim et Epicurei, et multo Epicureis doc-

tiores Peripatetici negabant. Stoici autem ne in sapientem quidem hominem ista cadere dicebant, nedum in Demm.

20 *Pestem perniciemque*] Pestem *παρὰ τὸ πεσεῖν*, a quo fonte etiam est antiqua *vox*, 'pessum': *perniciem* vero a perneando dictam puto: itaque 'pestem' vocabant, quidquid rem aliquam sive animatam, sive inanimam pessundaret, quasque prosterneret. Sallust. 'Et, si pestis certa adesset, mansurum potius,' &c. Cic. Philipp. XIII. 'Nimirum recte veneficium appellas, a quo tibi præsentem pestem vides comparatam.' Virgil. 'Ientusque carinas Est vapor, et toto descendit corpore pestis.' et paulo infra, 'servatæ a peste carinæ.' ubi pestem vocat flammam, quæ naves depopularetur. Idem lib. IX. 'In partem, quæ peste caret,' cum de turri loquatur.

CARMEN LXXVII.

1 *Rufe mihi frustra*] Anicam, ut suspicari licet, sibi ab hircoso illo Rufe ereptam conqueritur.

Credite amice] Ita reposuimus ex veteribus libris, cum in aliis male, ut puto, legeretur, *cognite amice*: etenim quæ cognoscimus, semper vera sunt: quæ credimus, plerumque falsa: usitatum tamen lectionem video aliquo modo posse defendi.

2 *Frustra*] 'Επανάρθωσις' nam ea demum proprie frustra esse dicuntur, quæ neque commodum neque detrimentum afferant.

Magno cum pretio] Μεγάλη τίμη. Cicero, 'Non sine magna mercede.' Callim. "Ὅς κε τιν' ἀθανάτων, ὄκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἔλθῃται, Ἀθήρησιν, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλην.

CARMEN LXXVIII.

1 *Gallus habet fratres*] Gallum quendam, ut nefariam inter suos libidinum quasi προζηνητήν, et administrum, notat.

3 *Gallus homo est bellus*] Belli homines non nunquam dicuntur, qui aliis libenter obsequuntur: et, 'belle dicere,' qui, quæ alii velint, loqui student. Cic. 'Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit: fatetur se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse:' pulchreque Martial. 'Bellus homo, atque idem magnus vis Cotta videri. Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est:' plane enim pusilli et abjecti hominis est, ad aliorum quasi nutus se accommodare. Denique belli homines sunt, quos Aristot. de Moribus lib. III. ἀρέσκους vocat.

4 *Cum puero ut bello*] Filio unius fratris.

Bella puella] Uxor alterius fratris.

5 *Gallus homo est stultus*] Qui non cogitet, idem sibi quoque fieri posse.

6 *Monstret*] Doceat, suadeat. Virgil. 'Ergo etsi conferre manum pudor, iraque monstrat.' Idem, 'Monstrat amor vernus patriæ.'

Patrum adulterium] Nove, pro adulterio quod puer faceret cum patrum uxore.

7 *Quod pure impura, &c.*] Id est, quod tu quoque, spurci homo impurique oris, puram puellam dissuaviatus es.

CARMEN LXXIX.

Lesbius] Cum Lesbia Clodia sit, ut alio loco diximus, Lesbium quoque P. Clodium, fratrem ipsius, esse arbitror, a quo et hanc et ceteras sorores constupratas fuisse notum est: id magis ut suspicer, facit additum 'pulchri' nomen: hoc enim cognomine fuisse Clodium omnes sciunt; ut Poëta in ambiguitate vocis joculari voluisse videatur: ita enim et Cic. jocos enim 'pulchellum puerum' vocat: re vera autem pulchrum fuisse tradit Plut.

3 *Sed tamen hic pulcher*] Non recuso, inquit, quo minus pulcher hic me cum tota mea gente, pro suo arbitrio, vendat, si tres amatores reperire po-

tuerit, qui ipsum vel osculari velint. Innuere videtur, eum quoque fuisse τῶν γλωσσοδεφούντων; ut omnes eum, quamlibet pulchrum, tamen propter eam turpitudinem osculari refugerent. Videtur autem respicere ad veterem consuetudinem, qua interdum ob certa delicta totæ familiæ publice vestiebantur.

CARMEN LXXX.

1 *Quid dicam*] Eandem notam innuit Gellio, sed fœdius, et apertius.

6 *Tenta*] 'Tendere' in obscœnis est, unde et 'tentigo.' Martial. 'Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam.' Appul. lib. 1. 'Arcum et ipse meum tetendi;' unde et Decorum vehiculum, 'tensam,' non 'tentam,' nominarunt; ne turpe verbum sonaret in sacris: auctor Diomedes. Hoc eo cupidius adscripsi, quia vulgo, male, ut opinor, scribitur *thensa*. Servius tamen in *Æn.* 1. *thensa* ut scribamus, præcipit; sed, quantum mea quidem opinio fert, inepte.

Medii] Μέσα Siculi et Tarentini τὰ αἰδοῖα, a situ videlicet, vocant: inde in obscœnis versibus tam frequens hujus vocis usus est. Martial. 'Lambebatur medius improba lingua viros.'

7 *Clamant*] Inducant.

Virronis] In aliis, *unctoris*: in nonnullis etiam, *victoris*, sed inepte, ut puto.

8 *Sero*] Genitale semen intelligit.

CARMEN LXXXI.

1 *Nemone*] Vide, quæ diximus in explicatione Epigrammatis, 'O qui flosculus es Juventiorum.'

3 *Pisauri*] Oppidum est in Umbria.

4 *Inaurata pallidior statua*] Aurum suapte natura pallidum est: cujus rei causam rogatum Diogenem, respondisse ferunt, non injuria pallere, cum tam multos habeat insidiantes sibi. Catullus supra, 'Quanto sæpe magis fulgore expalluit auri.'

5 *Cordi est*] Sic infra, 'Parva mei

mili sunt cordi monumenta sodalis.' Cordi est, honeste dictum, animo sedet. Lucill. lib. xxvi. 'Et quod tibi magnopere cordi est, mi vehementer displicet.' Idem, 'Si tibi porro idcirco isthæc res cordi est, quod rere utilem.' Nonius.

CARMEN LXXXII.

1 *Quinti*] Quintium rogat, ne sibi aut amicam, aut certe tale aliquid præripiat.

4 *Scu quid carius est oculis*] Id est, ac carius etiam eo, si quid est oculis carius.

CARMEN LXXXIII.

1 *Lesbia*] Falluntur sæpe homines in judicandis rebus, ignorantia causarum; dum quod ex causa quapiam effectum est, id, vel inscientia vel affectu aliquo occæcati, ad aliam referendum putant: neque enim sua quædam, certa que rebus omnibus definita causa est: immo vero et una eademque causa variarum sæpeque pugnantium rerum efficientiam in se cohibet: et eadem res ex variis, etiamque a se invicem dissidentibus causis effici potest. In hoc genere fallebatur Lesbiæ maritus; qui cum ipsam multa de Catullo, irato animo dicere videret, totus gestiebat gaudio, ratus ex his maledictis suam sibi postea Lesbiam totam fore, neque amplius Catullo daturam delicias, quem jam ita vehementer exosum haberet. At Catullus longe aliter ratiocinatur. Si Lesbia, inquit, serio deposuisset amorem mei, tum me ne nominaret quidem: nunc cum mihi tam sæpe male dicat, hoc ipso indicat, ita uri se, ut tacere non possit. Quod autem hic de Lesbia dicitur, id καθόλου de toto talium mulierum genere affirmari potest.

3 *Mule*] Fatue. Sunt, qui Mulum hoc loco, ut nomen proprium viri, acceperunt: quos ego ipsos mulos fuisse arbitror.

CARMEN LXXXIV.

1 *Chommodu*] Omnia, quæ ad hujus Epigrammatis intelligentiam pertinent, studiose diligenterque collegit Angelus Politianus Miscell. cap. xix.

CARMEN LXXXV.

1 *Odi, et amo*] Odisse se ait mores et ingenium Lesbiæ, amare autem formam illius et venustatem. hoc ipsum argumentum pereleganter tractavit Marullus his versibus, 'Odi te, mihi crede, quantacunque es: Odi, confiteor, Camilla: sed, quam Et odi, et magis in dies, magisque Velim odisse; sequi, atque amare cogor. Sic me amor retrahit tuus, trahitque: Sic, quem savitia fugas proterva, Tam raræ revocas decore formæ.'

CARMEN LXXXVI.

1 *Quintia*] Quintiam quandam, etsi satis bene conformato corpore, formosam tamen negat esse, quod insulsa sit.

Mullis] Multorum iudicio.

4 *Nulla in tam magno est corpore mica salis*] Significat deesse illi κινητικὸν illud, et, ut Græci quoque loquuntur, ἀλμυρὸν, sine quo friget forma, quamlibet alioqui bona. Hujus loci meminit Fabius lib. vi. quem reprehendit Parthenius, sed corrupto, ut apparet, libro usus. Vide Erasmus in Adagio, 'Salsugo non inest illi:' et Victorium Var. Lect. lib. xii. cap. 13. 'Sal aut sale vocabant urbanitatem.' Terent. 'qui habet saltem, Qui in te est.' Afranius Compitalibus, 'ut, quidquid loquitur, sal merum est.'

6 *Veneres*] Omnem leporem: sic Fabius lib. xi. Isocratem omnes dicendi Veneres consecratum fuisse dicit.

CARMEN LXXXVIII.

1 *Quid facit is, Gelli*] Gellium hunc prodigiosæ admodum libidinis fuisse oportet, qui matrem, sororem, patrum

uxorem, patrum ipsum, aliasque præterea cognatas puellas unus contaminaret.

5 *Non ultima Tethys*] Aqua marina veteres flagitia expiari putabant: quod etiam Cic. pro Sex. Roscio indicat. et notus est Euripidis versus, Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά: *Mortaliū malu omnia abluīt mare*. Significat igitur nullo modo, ac ne universi quidem maris aqua posse Gellii facinora expiari. Vide Cælium Rhodiginum lib. vi. c. 44.

CARMEN LXXXIX.

1 *Gellius est tenuis*] Mirandum non esse ait, si Gellius exili et attenuato sit corpore, utpote qui immodico Veneris usu maciem non contrahere non possit. Porro et Venere insigniter extenuari corpora medici docent: et fere etiam qui macilentis natura gracilesque sunt, libidinosiores esse consueverunt: cum adeps contra frigidos et ad Venerem ineptos efficiat: itaque Propertius se, quamvis exili corpore, strenuum tamen in hac militia esse profitetur his versibus: 'Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus, Falleris: haud inquam est culta labore Venus. Percontere, licet: sæpe est experta puella Officium tota nocte valere meum.'

Tam bona mater] Tam officiosa, tamque obsequens, quæque substernere se ipsi filio non recuset. Eadem figura vocat Aristoph. Pluto χρηστοὺς παῖδας, qui sine nummis facerent copiam sui.

2 *Tamque valens*] Valentes aut fortes puellas vocabant corpore solido ac succipieno, quæque viderentur alacriter posse 'tauri,' ut ait Horat. 'ruentis In Venerem tolerare pondus.' Plautus Casina, 'obsecro, ut valentula est?' Idem Milite, 'ecquid fortis visa est tibi?' et paulo infra, 'Quid is? ecquid fortis? P. Abi sis hinc: nam tu quidem Hercule fuisses scitus emissarius, Qui consecrere,

qua mares, qua feminæ? Idem Bacchid. 'Sed Bacchis etiam fortis tibi visa est? P. Rogas? Ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.'

CARMEN XC.

1 *Nascatur magus*] Hoc quoque Epigrammate, quod in quibusdam libris male cum præcedente connexion legitur, detestatur nefariam Gellii cum matre libidinem; aitque ex eorum concubitu Magum aliquem nasci oportere, si Persarum religio vera sit, qui ejusmodi corporum commitiones licitas esse censent: adeoque bonum Magum existere non posse, nisi quem a filio compressa ediderit mater. Xanthus in Magicis narrat, magos matribus, filiabus, sororibus commiseri solitos esse, eosque concubitus habuisse legitimos: auctor Clemens Στρομ. lib. III. Quæ ad hanc rem faciunt, ex utriusque linguæ scriptoribus studiose collegit Cælius Rhodiginus lib. x. cap. 18.

CARMEN XCI.

1 *Non ideo*] Præclarum hoc Epigramma est, et mirabili quodam artificio factum ad invidiam concitandam; ejus autem hæc sententia est: Sperabam equidem, Gelli, te mihi in misero hoc meo in Lesbiam amore fidum fore. Quid ita? an quod ullam in te unquam scintillam honestatis aut fidei perspicere potuissem? minime vero: præclare noveram, ingenium tuum esse ejusmodi, ut a designandis in dies novis sceleribus abstinere non posses. Quid igitur? animadverteram videlicet, ut eximios artifices exquisitis tantum edendis operibus, ita te quoque non popularibus istis usitatisque, sed horrendis tantum, et quæ nemo alius imitari auderet, patrandis facinoribus oblectari solere; itaque non in quaslibet mulieres, sed in matrem, in sororem, ceterasque a quibus reliqui homines duce natura abhorrent, libidine abuti

tua. Quod igitur meam hanc neque matrem tibi esse, neque sororem videbam; nihil a te metuendum esse arbitrabar. Cogitabam quidem, me tibi magno usu amicitiae esse conjunctum; fierique posse, ut ea te turpitudine, quæ est in prodendis amicis, ad imponendam mihi hanc injuriam adduceret: sed tamen accuratius cogitanti, ea res nondum satis turpis esse ad te permovendum videbatur; ita enim jam consuetudine tritum est, in amicos perfidiose se gerere, ut id non satis dignum videretur, eo, qui nullum in se scelus suscipere, nisi palmarium, vellet. At tu, ne videreris ullam unquam scelerate agendi occasionem prætermisisse, eam ipsam consuetudinem nostram satis tibi magnam causam violandi mei esse duxisti, ut ostenderes, quibus rebus ceteri etiam improbi homines ab injuria avocari solent, iis te omnibus ad faciendam injuriam incitari.

CARMEN XCII.

1 *Lesbia mi dicit semper male*] Ejusdem pene argumenti est cum illo superiore, 'Lesbia mi præsentem viro.' Porro, quod hic Catullus iram in muliere, et convicia signum esse amoris docet, idem alicubi affirmat ProPERT. 'Nimirum veri dantur mihi signa caloribus: Nam sine amore gravi femina nulla dolet.'

3 *Quo signo? quasi eadem*] In aliis, *Quo signo? eadem totidem*, ut in, *signo*, postrema vocalis non elidatur. Quod autem Gellius lib. VI. cap. 12. verbum 'deprecor,' hoc loco valere ait, 'detestor,' 'execror,' 'depello,' 'abominor,' mihi quidem nullo modo probari potest: neque enim dubium est, quin hoc Catullus dicat, se quoque vicissim Lesbiam male precari, et tamen illius amore flagrare: quo modo et Gellius ipse exponit. Ea vero sententia quomodo effici possit, verbo hoc, ita ut ipse vult, accepto, equidem haud video.

CARMEN XCIII.

1 *Nil nimium*] Summum suum Cæsaris contemptum duobus versiculis indicat.

2 *Utrum sis albus, an ater homo*] Hunc locum citat Quintil. lib. xi. suppresso, ut sæpe fit, auctoris nomine: est autem proverbium ad contemptum indicandum valens, et Ciceroni et aliis usitatum.

CARMEN XCIV.

1 *Mentula mæchatur*] Impurum quendam, quem ficto nomine, opinor, ob partis obscenæ magnitudinem, 'Mentulam' vocat; ac fortasse Mammuram ipsum; nam et ciuædum fuisse, notum est; et de eo supra loquens, scripsit, 'Ut ista vestra diffututa mentula Ducenties comesset, aut trecenties:' sed sive enim, sive alium quempiam, ut mollem, et alienarum uxorum corruptorem, hoc disticho inessit.

2 *Ipsa olera olla legit*] Videtur vulgare dictum fuisse in eos, qui cum ad aliorum libidinem antea prostitissent, aut etiam prostarent, quærerent ipsi quoque, ubi libidinem exercerent suam: talø est, 'tute lepus es, et pulpamentum quæris.'

CARMEN XCV.

1 *Smyrna*] Commendat Poëma Cinnæ; quod ipse 'Smyrnam' inscripserat; in eoque perpoliando totos novem annos elaborarat. Fieri potest, ut ad hanc commendationem respexerit Horat. in Epist. ad Pisones, cum præciperet, duratura Poëmata in nomen annum premenda esse. Porro hunc Cinnam esse, qui in tumultu illo, quem Antonius in Cæsaris interfectores concitaverat, necatus est errore populi, ob similitudinem nominis ipsius cum uno e conjuratis, admonet Victorius: idemque proponit duos versus sumptos e Servio, quos eruditus ille Grammaticus ex hoc Cinnæ Poëmate citarat: sunt

autem hi, 'Te matutinus flentem conspexit Eous: Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.'

3 *Millia cum interea*] Hic versus intelligi non potest, nisi in vetere aliquo libro insequens, qui temporum injuria amissus est, reperiat; sed et ante hunc ipsum in veteribus libris tantum spatii est, quantum uni, quod minimum sit, disticho scribendo sit satis. Has plagas sanare ipsi non possumus; non enim vates aut harioli sumus: procul autem a nobis absit tantus furor, ut imitemur, quod, malo exemplo, alii quidam fecerunt; quibus religio non fuit, ubi quid deerat, hæc sacrosanctas venerandæ antiquitatis reliquias, admittis ineptiis suis, intolerabili audacia, contaminare. Licent fortasse Diis, (ut in fabulis est,) cum humerum Pelopis Minerva depasta esset, veri loco eburneum apponere: nobis certe non licet, ubi veros bonorum Poëtarum versus absumpsit vetustas, alios a nobis confictos eorum loco substituere. Docui supra, hoc a Parthenio in versibus Sapphicis factum fuisse: idem (ut incitata semel audacia non novit modum; multisque, ut iterum peccare audeant, satis argumenti est semel peccasse,) hoc etiam loco fecit, Pentametrumque suum Catulli versibus immiscuit: id ipse fassus ni esset, hodie fortasse versus ille sine ulla dubitatione Catullo tribueretur; itaque verba ipsius ascribam: 'Hic quum manifeste desit Pentameter versus, ac, ejus subtractione, sensus Poëtæ sit imperfectus; nemini bono viro arrogans aut impudens, sed potius pius atque officiosus factum meum videri debet, si meo civi, Catullo, de patria nostra bene merito, versum meum, hoc in loco, quonsque suum Poëta inveniet, mutuabo: immo etiam, si Poëtæ placuerit, benigne donabo; omnia enim amicorum inter bonos cives sunt communia: suppleatur itaque hic Catulli nostri locus hoc

modo: *Vilia cum interea quingenta Hortensius uno In pede stans fixo carmina ructat hians.* Hoc mihi faciendum quoque fuit superius, ubi Adonium versum vetustate abolitum Sapphicis supplevi. 'Apage ista officia, Partheni; non placent: nemo, opinor, sauis bonos libros isto modo iuvari velit; ut in signis, ita in scriptis quoque veteribus, si quam labem importaverit vetustas, mutila potius ipsa nos, quam a recenti aliquo artifice interpolata, delectant. At, tanquam unum insanisse non esset satis, accessit alius, qui spatium hoc ita impleret: *Millia cum interea quingenta Hortensius uno Accipit autumno versum ab Antimacho.* Mihi ita videtur: quæ in bonis auctoribus desunt, ut e libris veteribus, adhibita ope ingeniosorum exercitatorumque hominum, suppleantur, omni studio laborari oportere: sin minus τὸν δεύτερον, φασί, πλοῦν, cavendum quidem certe esse, ne quid alieni admisceatur.

5 *Atracis*] In aliis *Athesis*: ego, etsi nihil affirmo, malim tamen, *Atracis*: pro eo, quod verba illa, *penitus mittitur*, fluvium aliquem longinquum, non autem finitimum, et in propinquo situm, exposcere videntur.

6 *Incana*] Valde cana: *καταχρηστικῶς* autem, quod hominum proprium est, tribuit temporis.

7 *At Volusi Annales*] Hujus quoque versus reliqua pars in veteribus libris desideratur. Sunt qui legant: *At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam*: in quo etsi veteres libros auctores habere se dicunt, mihi tamen non probant; qui *Paduæ* nomen barbarum esse, et veteribus incognitum arbitrer: alii, *Patavi morientur ad urbem*: quod reciperem, si veterum librorum testimonio niteretur.

9 *Parva mei*] Hujus quoque versus extrema dictio, quæ esse debeat, incertum est: abest a veteribus libris quos ego quidem viderim; itaque

itum est in varias sententias, aliis legentibus *poëtæ*; aliis *sodalis*; aliis *laboris*: quam postremam scripturam Petrus Victorius in duobus veteribus libris vidisse se dicit: ego, quid fugiam, ut ille dicebat, habeo; quid sequar, non habeo: illud *laboris*, etsi Victorio probatur, mihi, ut verum fatear, non placet: inconcinna enim videtur subita illa e commendatione Cinnæ ad laudem sui operis transitio: *sodalis* reciperem, si quid probare possem, a quo veterum librorum abesset auctoritas. Non enim magnum est, quod adfert Victorius, parva monimenta vocari vix posse, Carmina tanto studio, per tantum tempus elaborata: scimus libros bonitate, non mole spectari, exiguasque gemmas ingentibus sæpenumero Colossis anteponi.

10 *Antimacho*] Tumidum hunc et inflatum Horatiani Interpretes *Poëtam* fuisse aiunt; qui bellum Thebanum scribere ingressus, ante quam Thebas duces perduxisset, viginti quatuor volumina confecerit.

CARMEN XCVI.

1 *Si quidquam*] Commendat Calvi officium pietatemque in deploranda puellæ Quintiliæ, quam vivam adamaverat, præproperea morte; aitque, si qui in umbris, eorum, quæ hic geruntur, permanet sensus, non tam dolere ipsam, quod ante diem extincta fuerit, quam gaudere eo amoris testimonio, quod ediderit Calvus. Hac ipsa de re Propert. 'Hoc etiam docti confessa est pagina Calvi, Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.'

Mutis sepulcris] Sepulcrorum nomine, eos ipsos, qui e vita excesserunt, intelligit *κατὰ συνεκδοχὴν*. 'Mutos' autem vocat, quod antiqui 'silentes' pro 'mortuis' etiam dixere, unde et 'regna silentia,' inferos, et 'sili-cernium,' cœnam, quæ silentibus poneretur: sic infra, 'Et mutum nequid-

quam alloquerer cinerem.' Propert. 'Sed frustra mutos revocabis Cynthia manes.'

CARMEN XCVII.

1 *Non, ita me Di ament*] Deformitatem graveolentiamque oris in Æmilio quodam exagitat, quem cinædum fuisse quod ait Parthenius, unde id colligat, nescio; cinædico quidem vultu non fuit: elegantes oportuisset esse amatores, qui tam pulchellum puerum in deliciis haberent.

Non, ita me Di ament] Idem prope principium Epigrammata Græci, cuius incertus est auctor, τὸ στόμα χ' ὦ πρωκτὸς ταύτων Θεόδωρὶ σου ὕζει.

2 *Utrum ne*] Hæc vera est veterum librorum scriptura. Terent. Adelphis, 'Di vestram fidem, Utrum ne studio id sibi habet, an laudi putat Fore, si perdiderit gnatum?'

6 *Ploxemi*] Transpadanum vocabulum erat: eo significabant capsam. Porro oportuit ea latitudine esse gingivas, in quibus sesquipedales dentes insident: utrunque ridiculi causa ὑπερβολικῶς dictum.

9 *Esse*] Videri.

10 *Atque asino*] Ad agendum videlicet asinum molarium. In nonnullis legitur, *atque asinus*: quod si recipias, exponendum erit, 'ita ut asinus:' ut ipse scilicet Æmilius in pistrino subeat asini molaris vicem.

CARMEN XCVIII.

1 *In te, si in quenquam*] Insulsam Vectii loquacitatem notat.

In te, si in quenquam] Quæcunque, inquit, in verbosos fatuosque dicuntur, ea in te omnia dici queunt. Simile fere orationis genus est apud Terent. Heautont. 'In me quidvis harum rerum convenit, Quæ dicta sunt in stultum.'

Ista cum lingua] Particula, *cum*, in his locutionibus, tacitam quandam significandæ indignationis vim habet, quæ percipi facilius, quam exprimi,

potest. Terent. Ennucho, 'abi hinc, quo dignus es, Cum donis tuis tam lepidis.' Idem Adelphis, 'ut te Syre cum tua Monstratione magnus perdat Jupiter.'

3 *Si usus veniat tibi*] Ridicule: quasi harum quoque rerum usus aliquis incidere possit.

4 *Culos, et trepidas lingere cercolipas*] Cercolipas vocat obscenas partes viriles, ficto ex cauda et pinguitudine vocabulo. *Trepidus* autem dicit, significans id, quod Persius expressit hoc versu, 'Cum morosa vago singultiet ignine veua.' Quod autem Politianus legit, *crepidas carbatinas*, multis de causis non placet: primum, quia est contra fidem veterum exemplarium; deinde, quid habent commune crepidæ carbatinæ cum ea parte corporis, quæ paulo ante nominata est? Insulsum plane fuerit ista conjungere: itaque doctissimi homines, cum hanc, quam nos sequimur, scripturam approbassent, illam Politiani, summo consensu, repndiarunt: ac præter ceteros Marullus, qui, ut et homo Græcus, et supra modum Politiani odio imbutus, distichon scripsit, quo acerbe atque amarulente ait, Politianum Vectio, pro *cercolipis, carbatinas* dedisse, quod suum sibi munus ab eo præripi nollet; 'Lingere carbatinas vult Vectio Eunomus, ipse Ut possit trepidas lingere cercolipas.'

5 *Si nos*] Si decrevisti, inquit, nos omnes miserrimis modis perdere, tædioque ac molestia plane conficere; nullo id modo facilius, quam dicendo apud nos, consequi potes.

CARMEN XCIX.

1 *Surripui tibi*] Ita venustum hoc Epigramma est, ut, ipsa si velit Venus, venustius eo efficere quidquam non queat; difficultatis autem nihil omnino habet: quocirca neque nos in eo explicando diutius immorari necesse est.

6 *Vestra særitia*] Ferocitatis illius

vobis omnibus, qui formosi estis, innata. Tale est illud Ovid. 'quæ vestra libido est.'

8 *Guttis, abstersisti*] Ita est in veteribus libris. Quod autem hic Juvenius fecisse dicitur, ut, quasi ad delendam basii notam, os sibi multa aqua prolueret, digitisque omnibus confriicaret, id puella quædam apud Theocritum facere se, atque etiam basium, volenti sibi a puero rustico impressum, expuere dicit. Τὸ στόμα μεύ πλύρω, καί ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

10 *Commistæ lupæ*] Perinde ac si lupa te aliqua recens a coitu, et ex illo ardore libidinis, spumanti adhuc ore, dissuaviata esset.

CARMEN C.

1 *Cælius Aufilenum*] Cælium et Quintium fratres fuisse ait Parthenius; male omnino: e diversis enim familiis fuisse nomina ipsa indicant.

3 *Quod dicitur*] Vulgare dictum fuisse indicat.

5 *Cui*] Utri.

Nam tua nobis] Erat et alia ratio, cur Quintio favere non posset; amabat enim ipse quoque Aufilenam; eamque, ut ex aliis locis intelligi potest, etiam data pecunia, ad partes suas perducere moliebatur.

CARMEN CI.

1 *Multas per gentes*] Fratris manibus hoc Carmine inferias solvit. Inferias autem vocabant sacrificia in eorum, qui vita excesserant, honorem; in quibus interdum non nulla, quæ grata ipsis fuissent, comburere, macrare quoque hostias, aut etiam captivos homines solebant.

10 *Ave, atque vale*] Sic apud Virgil. Æneas, 'salve æternum mihi maxime Palla, Æternumque vale.'

CARMEN CII.

1 *Si quidquam*] Fidem et taciturnitatem suam Cornelio cuidam pollicetur.

3 *Illorum jure sacramum*] Eorum quasi sacramento adactum. Metaphora a re militari. Est autem hic ἀνακλόουθον, quale in illo Terentii, 'In iis poëta hic nomen proficitur suum.'

4 *Harpocratem*] Supra diximus.

CARMEN CIII.

1 *Aut sodes*] Silo quidam, quantum hinc colligi potest, pollicitus erat Poëtæ, effecturum se, ut ipse puella quapiam potiretur: eoque nomine ab eo decem sestertia, id est decem nummorum millia acceperat: deinde autem urgentem ipsum instantemque, ferociter repudiabat: petit igitur ab eo Poëta, ut vel pecuniam reddat, vel suam illam, si leno esse vult, donat ferocitatem.

CARMEN CIV.

1 *Credis me potuisse*] In his versibus nihil video, in quo explicando magnopere laborare oporteat.

4 *Sed tu cum caupone*] Indicat hunc, quisquis est, sæpe in caupona versari, ac, cum caupone ipso perpotantem, varios de hoc aut illo sermones comminisci solitum fuisse, interdum nullo pacto verisimiles, planeque monstruosos: quale erat hoc, quod Catullum puellæ, quam plus oculis amabat suis, male dixisse fingeat. Porro quem cauponem dicimus, antiqui 'cuponem' vocabant, a cupa videlicet, quod vas vinarium est; quin et mulierem quoque, quæ cauponem exerceret, vocabant 'cupam': unde et nomen Virgiliano Poëmati, quod hodie vulgo copa dicitur: cum, cupam dici debere, ex Flavio Sosipatro constet.

CARMEN CV.

1 *Mentula*] Formianum illum, quem 'Mentulam' vocabat, ait ad poëticæ facultatis laudem contendere, sed rejici a Musis; quasique de monte ipsi sacro, quem ille conscendere conetur, præcipitem dari.

CARMEN CVI.

1 *Cum puero bello*] Formosum quendam puerum a præconis consuetudine revocare cupiens, ait homines, qui tam frequenter eum cum præcone videant, nihil posse aliud cogitare, quam velle ipsum pudicitiam suam ei, qui eam pluris liceatur, addicere: notum enim est, præcones vendendis in auctione rebus adhiberi.

CARMEN CVII.

1 *Si quidquam*] Gratulatur sibi de reconciliato Lesbæ animo; idque eo sibi gratius esse ait, quo minus speraverat fore. nam et in rebus lætis, et in tristibus, ea nos præcipue, quæ insperantibus accidunt, movent.

5 *Refers te*] Hac locutione usus est Propertius, 'Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro Limine formosos intulit ulla pedes.' Hujus epigrammatis tres postremi versus mihi valde suspecti sunt. ita enim varie leguntur, ut appareat eam varietatem non aliunde, quam ex corrigere volentium temeritate, extitisse.

CARMEN CVIII.

1 *Si Comini*] Tantum odium populi in Cominium esse dicit, ut nemo sit, qui non eum a feris discerpi dilaniarique cupiat.

CARMEN CIX.

1 *Jucundum*] Epigramma hoc elegantia multum habet, difficultatis nihil.

CARMEN CX.

1 *Auflena*] Insectatur Auflenam, quod cum promisisset, se ei potestatem sui corporis facturam esse, eoque nomine pecuniam accepisset, postea tamen eum ludificabatur, neque unquam volebat in rem præsentem venire.

Bonæ] Quæ neque faciunt copiam sui, neque a quoquam, ea causa, pecuniam accipiunt.

Amicæ] 'Ἐταῖραι.

4 *Quod nec das*] Dare dicuntur mulieres, quæ se substernunt viris. Græci quoque hoc sensu dicunt *παρ-έχειν*.

Et fers] Munera videlicet: *fers* autem pro 'aufers.'

5 *Ingenuæ*] Ejus quæ nullo rustico pudore a præstanda, quam semel dederit, fide absterreatur.

CARMEN CXI.

1 *Auflena*] Una de præcipuis nuptiarum laudibus est, ab omni illicita Venere abstinere; præ ceteris tamen detestanda est earum libido, quæ se non illicitis tantum, verum etiam incestis coitibus commaculant: quod facere Auflenam ait Catullus, quæ se patruo subjiciebat suo.

4 *Fratres*] Patruorum enim filios, fratres patruelæ vocamus. Quare iidem Auflenæ et filii, et fratres patruelæ erant.

CARMEN CXII.

1 *Multus homo*] Hoc Epigrammate turpem aliquam libidinem Nasoni obijci constat: quæ tamen cujusmodi sit, non intelligere me, ingenue fateor.

CARMEN CXIII.

1 *Consule Pompeio*] Ne hic quidem me pudebit fateri, hos quatuor versus a me non intelligi. Possem, quæ ab aliis afferuntur, refellere: possem ipse quoque, si liberet, aliquid eorum exemplo confingere: malo simpliciter id, quod est, dicere; neque facere, quod isti, qui dum integræ, corrupta, facilia, difficilia, nusquam hæsitantes, sine ullo discrimine interpretantur, imperitis fortasse docti, doctis quidem et intelligentibus imperiti atque audaces videntur. Sed nimirum cæcorum oculis tantundem intempesta nocte, quantum vel meridie, lucet. Accuset in his locis inscitiam meam alius, dum ipse, quod probemus afferat: gaudebimus.

CARMEN CXIV.

1 *Firmano saltu*] Mentulam, de quo superius egimus, id est, ut suspicor, Mamurram, ait non falso haberi divitem, qui saltum habeat pulcherrimum, et fructuosissimum: eundem tamen ita sumptuosum esse, ut tantos fructus, quos ex illo saltu capit, exuperet sumptibus: itaque in tantis divitiis perpetuo tamen egere. Pro *Firmano* autem, in non nullis legitur *Formiano*: et Firmiani, et Formiani populi sunt Italiae: utrum verius sit, haud facile dixerim; quin enim *Formianus* quoque penultima brevi dici queat, dubitari non oportet.

2 *Qui*] Saltus.

4 *Nequicquam*] Frustra, inquit, haec tam multa possidet; homo enim libidinosus.

Fructus sumptibus exuperat] Quo fit, ut in tantis divitiis omnia tamen ei deesse videantur.

CARMEN CXV.

1 *Mentula habet*] Hoc quoque versu ejusdem divitias exagitat, negatque eum, divitiarum causa, pluris fieri oportere; cum hominis nomine indignus, praeter obscenae partis magnitudinem, nihil habeat, quo in aliquo numero poni queat.

CARMEN CXVI.

1 *Sæpe tibi*] Difficile est in tam depravatis versibus, quid verum sit, videre: si quis tamen conjecturae locus est, ita suspicor. Gellius, propter impositas sibi Catullianis versibus notas, cæperat ipse quoque vicissim Catullum, non tam metuendus, quam

ipsa assiduitate molestus hostis, quacunque ratione poterat, lædere. Catullus, ut hanc a se molestiam depelleret, sæpe cogitasse se dicit, de Carminibus quibusdam, quæ ex Callimacho verterat, dono ad eum mittendis, quibus ipsius animus mitigaretur: quem laborem cum sibi frustra sumptum esse videat, intelligatque nulla ratione placari Gellium posse; hoc se fidere ait, quod tela Gellii ejus generis sunt, ut facile vitari queant; at illa, quibus ipse Gellium fixit, eam vim habent ut in omnem posteritatem nefarias ipsius libidines propagatura sint. Primi versus postrema vox desideratur.

4 *Tela infesta*] In aliis, *Infestum telis icere musca caput*: qui versus neque inconcinuus, neque a sententia alienus est; sed, quod in his rebus unum considerari oportet, Catulli non est: hunc autem, quem nos reposuimus, in libris veteribus legi, ipsi quoque, qui enim rejecerunt, confitentur. Porro si, ubi veteres libri aut deficiunt, aut scripturam parum probabilem habent, tamen, eorum auctoritate neglecta, aliquid de suo attexere temeritatis est; ubi perspicue in eis probabile aliquid et idoneum legitur, consulto alia quærere et nova veteribus, adulterina germanis, falsa veris antepondere, cujus insaniam esse dicemus? Hæc habui, quæ in Catullum scriberem; quæ si studiosis hujus Poëtæ placebunt; erit, quod mihi gratuler: sin minus; nunquam me tamen, præstitisse ea, quæ potui, et morem gessisse voluntati amicorum, qui hortati me sunt, ut hoc munus susciperem, pœnitebit.

ACHILLIS STATII COMMENTARIUS.

DE Catullo plura dixissem, nisi hoc Crinitum munere præclare functum viderem; sed tamen, quod ille mihi reliqui fecit, id in principio mearum in optimum poetam commentationum esse ponendum duxi: ac mihi quidem Criniti ipsius scripta legenti valde probatur, quod prænomen *Cai Catullo* præposuerit, auctorem opinor *Appuleium*, atque *Hieronymum Eusebii* interpretem, quod tamen non exprimit, secutus, illum in *Apol. 1. Antonius Augustinus, Ilerdæ Episcopus*, præstante vir ingenio, parique probitate, nummum mihi *Romæ* ostendit ærcum, cujus in altera parte videre erat expressam incudem, tum hæc in orbem ducta, atque exstantia verba, III. VIR. A. A. A. F. F. in altera item in orbem, L. VALERIUS CATULLUS. intra quæ, litteræ singulares erant, s. c. quæ nisi omnia patere jam, ac nota omnibus esse putarem, interpretarer scilicet. *Octaviæ Catullæ* nomine, in hortis *Rodulfi Pii Card. applissimi*, hodieque exstat inscriptum monumentum:

DIS. MANIU

OCTAVIÆ. PATRI. FILII. CATULLI

LIBERTI. DIVI. AUGUSTI. LIBERTI

VIRI

Gravissimum sane testimonium summo hujus ingenio Poëtam tribuit *Cornelius Nepos* in *T. Pomponi Attici* vita, 'L. *Julium Calidium*, quem post *Lucretii Catullique* mortem multo elegantissimum Poëtam nostram tu-

lisse a-tatem vere videor posse contendere,' &c. Hunc ego ipse *Valerium* esse puto, quem *Cic. in Epist. 7. ad Trebatium* nominat, 'Denique,' inquit, 'si cito te rettuleris, sermo nullus erit. Si diutius frustra affueris, non modo *Laberium*, sed etiam sodalem nostram *Valerium* pertimesco; mira enim persona induci potest *Britannici Jureconsulti*,' &c. Nam quod *Laberium* minorum scriptorem nominat, cumque dicacem, hoc probabilius etiam fit, *Valerium*, quem addit, esse *Catullum*, acrem in dicendo hominem, atque in eodem genere acerbitatis prope singularem. In hoc enim, et *Bibaculo*, et *Horatio Iambi acerbitatem* fuisse scribit *Quinctil. in lib. x.* Sodalem vero vocat ob usum, credo, domesticum, summamque familiaritatem; qui pro illo etiam dixerit. Nam *Q. Catullum* intelligere nullo modo possumus, qui antiquior fuerit: auctor *Gellius lib. xix. cap. 9.* *Catullum* idem *Gellius vii. cap. 20.* poetarum dicit elegantissimum. Sed accidit tamen, ut pro antiquiore illo hunc nostrum, ac pro nostro illum fortasse nonnumquam accipiamus: et difficile quidem est judicium, an illius quoque nomen *Catullus* per *LL* duplex scribatur. varie enim legi video. apud *Gellium* geminato *LL* impressum lego *Q. Catullum* antiquiorem illum: at apud *Paterculum* anceps id quoque horum utrum intelligamus; apud quem vul-

gatis in libris per L unicum legitur scriptum. 'Auctoresque carminum,' inquit, 'Varronem ac Lucretium, neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum,' &c. Hunc ego tamen ab eo dici intelligebam, Nepotis, quæ supra posui, verbis adductus. Martial. lib. v. propter varietatem, credo, Carminum, Scænam Catulli facundi poëtæ dicit: sic enim ad Varronem, 'Differ opus, nec te facundi Scæna Catulli Detineat.' Neque enim fabulam illum aliquam docuisse legi. At Diomedes in Iambici carminis illum auctoribus numerat, ut et Quinctil. 'Iambici,' inquit, 'carminis scriptores præcipui apud Græcos Archilochus et Hipponax: apud Latinos Lucilius, Catullus, Horatius, Bibaculus.' Hieronymus Eusebii interpres Lyricum vocat, ac trigesimo ætatis anno Romæ mortuum scribit. Ovidius non una Catullum Lesbia contentum fuisse declarat Trist. lib. II. 'Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo Femina, cui falsum Lesbia nomen erat. Nec contentus ea multos vulgavit amores, In quibus ipse suum fassus adulterium est.' Lesbiam vero, id est, Clodiam, sororem Clodii fuisse dicit Sidonius Apollinaris. Ille vero versus apud Nonium Marcellum de indiscretis adverbis, 'Animula miserula properiter abijt,' vereor ut Catuli sive Catulli sit antiquioris illius. Ad quem autem Catullum referamus etiam illud, quod adducit Servius interpretans Vergilii versum, 'Purpureæ, pretiæque:' 'Hanc uvam,' inquit, 'præcipue Cato laudat in libris, quos scripsit ad filium: contra Catullus eam vituperat, et dicit nulli rei esse aptam, miraturque cur eam laudaverit Cato.' Versus ipsi, quibus utitur primoribus, Hendecasyllabi, ab Sentio Augurino in Epigrammate apud Plinium Juniorem minuti dicuntur, 'Canto carmina versibus minutis, his olim quibus et meus Catullus, et Calvus, veteresque.'

Delph. et Var. Clas.

CARMEN I.

1 *Cui dono lepidum novum libellum]*
In duobus manuscriptis, *cui*, ut est etiam impressum: in uno *quoi*; in Patavino altero *quin*: quæ scriptura ad eam, quam veteres in scribenda voce hac tenebant, consuetudinem propius accedit, si tantum modo N litteram a fine sustuleris. Cujus rei auctor Donatus, illud in Andria Terentii interpretans, 'Exorandus, legitur,' inquit, 'et Expurgandus: si Expurgandus, lege *cui*, non *qui*. quia Cui per Q. veteres scripsere.'

2 *Arido modo pumice expolito Corneli]* Prave ante *Arida*: quod cum est ipsum contra manuscriptorum librorum fidem, tum veterum omnium auctoritatem: eodem enim modo Plaut. in Aulul. 'Pumex non æque est aridus, atque hic est senex.' Servius tamen *Arida* Catullum scripsisse testatur, qui verba interpretans Poëtæ in Æn. XII. illa, 'Inclusas ut cum latebroso pumice pastor Vestigavit apes:' 'Pumicem,' inquit, 'iste in genere masculino posuit, et hunc sequimur; licet Catullus dixerit in genere feminino.' Sed et Atilius Fortunatianus et Victorinus celebres Grammatici, *Arido* legunt hoc ipso in loco. Eam lectionem Plinius videtur agnoscere, cujus in Nat. Hist. lib. XXXVI. verba sunt hæc, 'Sed et ii pumices, qui sunt in usu corporum levigandorum feminis, jam quidem et viris, atque ut ait Catullus, libris,' &c. Et Martial. lib. VIII. 'Nondum murice cultus asperoque morsu pumicis aridi expolitus.' Hunc ipsum pumicis usum in levigandis et tondendis libris idem Catullus post significat, 'Et pumice omnia æquata.' et Tibull. lib. I. 'Pumicet et canas tondeat ante comas; sive aliter, 'Pumex et canas tondeat ante comas.' Summam vero ariditatem qui significant, pumicem adhibent, ut auctor obsceni carminis, 'Quæ succo caret, ut putrisque pumex, Nemo viderit hanc ut expntem.' Sed

Catul.

2 L

quod *expolitum* dicit, elegantem nitidumque significat, cujus contrarium, impolitum. Quod Gell. lib. iv. cap. 12. quid sit, docet, 'Item si quis equus Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitæ notabatur: id verbum significat, quasi tu dicas, incuriæ.' Cornelium vero hunc alii Gallum, alii Nepotem putant. hunc autem Chronicon libros scripsisse declarat Gell. Noct. Att. lib. xvii. cap. 21. et Lactantius Firmian. lib. i. Nepotis Historiam commemorans. Et Julius Solinus cap. 2. Macrobius in Satur. i. Cornelium La-beonem nominat, qui ejus generis aliquid videtur scripsisse. Ego eundem Cornelium esse existimo, ad quem etiam post, 'Si quidquam tacito,' &c. Jornandis quoque in libro rerum Geticarum de Britannia, 'In extrema,' inquit, 'ejus parte Memmia; quam Cornelius etiam, Annalium scriptor, narrat, metallis plurimis copiosam,' &c. Figura vero orationis eadem, quæ post, 'Cui faveam potius? Cæli, tibi.' Et apud Hom. Iliad. A. Τίς τ' ἄρ' σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; Ἀητοῦς καὶ Διὸς υἱός.

4 *Meas esse aliquid putare nugæ*] Per *ταπένωσον nugæ*; ut et Horat. et Martialis. Jam vero, cur duriusculum conterraneum suum Plinius dicat, equidem non dispicio; Proæmio enim operis scribit, 'Namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugæ, ut obiter emolliam Catullum conterraneum meum: agnoscis et hoc castrense verbum, ille enim, ut scis, perinutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit, quam volebat existimari a Veraniolis suis et Fabullis.' Hæc ille. Quod si vitio vertit, quod principes versuum hujus generis et pedes non semper Spondæos, sed et Trochæos et Iambos ponit, in idem crimen optimum quemque vocet Græcorum poetarum, quorum hic non dubitavit exemplum sequi. De quo Atilius Fortunatianus de metris hæc

scribit, 'Nam et Hendecasyllabus, quem Phalæcium vocamus, apud antiquos auctores eodem modo solebat incipere, alias a Spondæo, alias a Iambo, alias a Trochæo, ut apud Catullum, Arido modo pumice expolitum: ab Iambo, Meas esse aliquid putare nugæ. Quæ omnia genera hendecasyllabi Catullus, et Sappho, et Anacreonta, et alios auctores secutus, tamquam vitiosa vitavit, sed non tamquam legitima inseruit.' Hæc Fortunatianus. Mihi quidem hæc scribenti veniebat in mentem versus Alphæi Mitylenæi, ab Iambo incipiens, Τὸ μὴθὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Cur autem Catullum Plinius duriusculum existimarit pedes syllabasque priores permutantem in prima sede, causa erat nimirum suis illis temporibus ejus rei, ut ita dicam, insolentia. Nec enim fere aliter Martialis, aut Statius, aut illorum æqualis temporum aliquis poeta fecit, nisi solius, ut opinor, Martialis, idque scemel in lib. ii. 'Iter jungere quæris ad Camænas.' Quamobrem etiam Plinius, Majoris nepos, præter cetera duriusculos Catulli et Calvi versus fuisse significat in i. ad Erucium. De Saturnino enim Pompeio hæc, 'Præterea,' inquit, 'facit versus, qualis Catullus aut Calvus: quantum illis dulcedinis, amaritudinis, amoris inserit! Sane, sed data opera mollius leviusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Calvus.' Probus in Institutis artium hujus generis Phalæcium, Hendecasyllabum Sapphicum dicit, credo quod eo frequenter Sappho sit usa.

5 *Jam tum, cum ausus es unus Italorum*] Notatio temporum, ad Cornelii laudem omnino pertinens. Nam quod more aliorum fecisset, si Consulnum usum nominibus fuisset, maluit Historiam Cornelii adhiberi, itaque tum tempus scriptionis quoque suæ significare, atque illum summis laudibus adficere.

6 *Omne ævum*] Res omnis ævi; omnem rerum memoriam: sic Cic. in Bruto de Attico, 'An mihi potuit unquam esse aut gratior ulla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius liber, quo me hic adfatus quasi jacentem excitavit.' Tum ille, 'Nempe cum dicis,' inquit, 'quo iste omnem rerum memoriam breviter, et ut mihi visum est, perdiligenter complexus est.' Ac post idem Cic. 'Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa, et eam utilitatem, quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem.' Ego hæc Ciceroni de Attici dici Annalibus puto, quos citat Pedianus, in commentatione in Orationem contra Pisonem, 'Tradunt,' inquit, 'et Antiochi regis filio obsidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in Annalibus.' Et Corneli quidem hujus Annales fuisse existimo. Valerius Max. in Proœmio totius operis, omnis ævi gesta dixit: 'Quis enim,' inquit, 'omnis ævi gesta modico volumine numero comprehenderit?' ἐν ἐπιτομῇ. Legi aliquid Græce scriptum ejusdem sententiæ, inscriptum sic, 'Ἐπιμήεις ἐν ἐπιτομῇ τῶν χρόνων.

6 *Tribus explicare chartis*] Eodem prope modo Martialis, 'Versibus explicatum est omne duobus opus.' Et Cic. 'Explicatis ordinibus temporum.' Tribus autem quod dicit, paucitatem eo numero sic alibi significat, 'Si tria amatorum basia repererit.' Et tribus verbis, cum paucissimis, etiam dicimus.

7 *Doctis, Juppiter, et laboriosis*] Similiter Cato senex, 'Vita Deum immortalium,' quam Statilius Maximus, ut scribit in lib. II. Garisius, ἐκφώνησεν ἀρχαῖκην, ὡς δὲ πόποι, dicebat. Sic Terentius in Euncho, 'Juppiter magne, o scelestum atque audacem hominem.' Idem Catullus, alique similiter dicunt, 'Di magni.' Et idem Catullus alibi, 'Juppiter ut tristi lumina sæpe manu.' Livius, ut

opinor, Andronicus apud Festum in verbo 'Quando,' 'Juppiter ut muro fretus magis,' &c. similiter Aristophanes, Ἦ Ζεῦ τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν.

9 *Qualecunque quidem ora per viro- rum*] In manuscriptis omnibus erat, *Qualecunque quod patrona virgo*. Alii, quo versus staret, fecerunt, *Qualecunque quidem patrona virgo*. Alii etiam non *patrona*, sed *patroa* legendum fecerunt: idque fortasse propter πατρόφους θεός, in quibus est Minerva; quorum Deorum et Pausanias, et Macrobius in lib. III. Saturn. meminere. quibusdam etiam venit in mentem hoc loco *Charta Virginis*, cujus et Martialis, et, ut opinor, etiam Plinius mentionem fecerunt. Ego vero, quid scriptum viderim, testari volui, legebam tamen, *Qualecunque quod est, patrona virgo*: sed ante hunc verbum desit fortasse quippiam; aut si nihil deceat, ea sententia sit, Quod qualecunque est, id tu Minerva diu vivere, ac pervenire ad posteros velis. Patronamenim Minervam dicit, cujus in clientela tutelae sint ingenia. Eam vero ut hic Patronam, Ennius et Domnam et Heram dixit; et eandem virginem dici, Delphica illa Tabula, de qua Plin. Nat. Hist. lib. VII. indicio est, cujus verba sunt, 'Veteres Græcas, fuisse eandem pæne, quæ nunc Latinæ, indicio erit Delphica Tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono Principum Minervæ dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali: ΝΑΥΣΙ- ΚΡΑΘΗ. ΤΙΣΑΜΕΝΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. ΚΟΡΑΙ. ΚΑΙ. ΑΘΗΝΑΙ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. Sic enim est nonnullis in libris. Κόρα vero etiam Virginem significat. Romæ quoque in Ædib. Melinorum eandem Deam virginemque significare videtur monumentum vetus,

ΘΕΑΝ. ΚΟΡΗΝ
ΚΑΡΔΙΑΝΟΙΟΝ
Α. ΑΥΡ. ΚΑΤΥΡΟΣ
ΑΓΕΑ. ΚΕΒΑΚ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

10 *Perenne*] Metaphora nota, non

ut torrens aliquis, qui, cum imbre creverit, idem mox defecit, sed ut majora flumina sempiterno cursu feruntur, sic etiam hoc opus duret in omnis ævi memoriam. Græci perenne sic ἀέναον dicunt, ut in Antipatri Carmine Epig. 1. Πάσας ἀεννάων ἐργατίδας σελιδιών. Vergil. Æn. ix. famam perennem, perpetuam dicit et constantem, 'Dicite: prisca fides facta, sed fama perennis:' sic etiam Horat. 'Exegi monumentum ære perennius.' Plus uno sæculo] Id est sæcula: Cinna de Diana Catonis, ut est apud Sueton. de Illustr. Grammat. 'Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.'

CARMEN II.

1 *Passer, deliciae meae puellae]* Sic erat omnibus in manuscriptis; alii se legisse adfirmant, pro *deliciae, delictum*: sed illo modo scriptum fuisse, videtur indicare Martial. lib. vii. de sua puella, illis versibus. 'Accidit infandum nostræ scelus, Anle, puellæ, Amisit lusus deliciasque suas. Non quales teneri ploravit amica Catulli, Lesbia, nequitiis passeris orba sui.' Hoc autem blandimento utebantur in rebus carissimis appellandis. Idem post, 'Amabo mea dulcis Ipsithilla, Meæ deliciae, mei lepores.' In veteribus monumentis, quæ Romæ viderim, mariti conjuges suas, et matres filias blande vocant, DELICIO, et DELICIO SVO, et DELICIO SVO CARISSIMO. Ego vero post hunc versum legerem libenter illum, *Et solaciolum sui doloris*; minus enim molestiæ legentibus adferet horum sententia atque ordo versuum: nec erit, cur, *Et, in, Ut*, mutemus, cum sit illo modo scriptum in libris omnibus: sæpe vero factum id animadvertimus in hoc præsertim Poëta, ut suis locis moti versus alienissimis legantur.

2 *Qui cum ludere, quem in sinu tenere]* Similis sæpe apud optimos auctores frequentatio. Cic. 'Cui in manu sit, quem esse dementem velit, quem sa-

pere, quem in morbum injici, quem contra amari, quem accersiri, quem expeti.'

Qui cum ludere] Ingenuorum lusus hic puerorum olim fuit. Plaut. in Capt. 'Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ, aut anates, aut coturnices dantur, quis cum lusit.' Et Ovid. Metam. x. de Pygmalione, et virginis statua, quam ille amabat: 'Munera fert illi conchas, teretesque lapillos, Et parvas volucres, et flores mille colorum.'

3 *Cui primum digitum dare adpetenti]* Theocr. ἄκρα δὲ χειρῶν Δακτύλα. Uno in manuscripto veterum more *Qui*, pro *Cui* scriptum legebatur. *Primum* vero *digitum* dicit quod Chrysostomus, τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου et Hippocrates in Aphorismo xii. τὰ ἄκρα τῶν δακτύλων.

4 *Et acris solet incitare morsus]* 'Acris morsus' etiam dicit Cic. Offic. lib. ii. 'Acriores autem morsus,' inquit, 'sunt amissæ libertatis, quam retentæ.'

5 *Cum desiderio meo nitenti]* Id est puellæ meæ, sic Cic. ad Terentiam, opinor, 'Meum desiderium, mea lux.' Sic Phanocles de Orpheo, Πολλάκι δὲ σκieroῖς εἰν ἄλσεσιν ἕζ'ετ' ἀείδων* Ὀν πόθον οὐδ' ἦν οἱ θυμὸς ἐν ἡσυχίῃ. Et Bion in Bucolicis, Θανατῶν ἀθανάτων τε πόθους. Et in veteribus monumentis Romæ nomen puellæ legitur, inde deductum, POTHUSÆ.

Carum nescio quid lubet jocari] In Maffei libro erat *Rarum*; quod factum opinor ex eo quod erat *Charum*: sic enim id verbum veteres scripsisse nonnumquam, multa vetustatis monumenta declarant. *Carum* autem id exprimit hoc loco, quod etiam Græcis est φίλον τι.

8 *Credo, ut cum gratis acquiescet ardor]* Legendum censeo, ut et Aldus olim impressit, *Credo ut tum gratis acquiescat ardor*. Similiter Tibull. lib. i. 'Infelix dum requiescit amor.'

9 *Tecum ludere, sicut ipsa possem]* Sic quoque erat in manuscriptis oni-

nibus. Aldus olim impressit, *Secum ludere, sicut ipse, possem.*

10 *Et tristes animi levare curas*] In manuscriptis veterum more, *Tristis*, ut supra *Acris*, non, *Acris. Tristes*, i. e. amaras. Horat. Od. lib. iv. 'amaraque curarum.' Namque triste, anarum dicitur. Idem alibi de Venere, 'Quæ dulcem curis miscet amaritiam.' *levare, κουφίζειν.* Theocritus in Δυσέρωτι, Οὐ λόγος οὐχὶ φίλαμα τὸ κουφίζον τὸν ἔρωτα.

11 *Tam gratum mihi*] In manuscriptis omnibus, *Tam gratum est mihi.* Guarinius signum ἐλλείψεως suo in libro fuisse demonstrat. Et vero hæc cum superioribus usquequaque non coherent.

13 *Quod zonam soluit diu ligatam*] Adducit Priscian. lib. i. quo doceat consonantem r pro vocali accipi. Ab hujusmodi vero zona Βαθύζωνοι, et Χρυσόζωνοι γυναικες a Græcis dicuntur. Eadem de zona Martial. 'Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.' Solvendæ zonæ morem referunt ad Lycurgum auctorem. Sed, cum fere zonam solvere plerique intelligent id esse tantum quod vitiare, aut gravidam relinquere, Hyperides etiam parere videtur interpretari, cujus verba sunt apud Hermogenis Interpretem hæc: Δέγεται γὰρ τὴν Λητῶ κύνουσαν τοὺς παῖδας ἐκ Διὸς ἐλαύνεσθαι ὑπὸ τῆς Ἡρας κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν' ἥδη δὲ αὐτὴν βαρυνομένην καὶ ἀποροῦσαν εἰς τὴν γῆν ἐλθεῖν τὴν ἡμετέραν, καὶ λῦσαι τὴν ζώνην ἐν τῷ τόπῳ ὃς νῦν Ζωστήρ καλεῖται. Idem scribit Stephanus Περὶ Πόλεων, in verbo Ζωστήριον. Interpres quoque Apollonii templum Athenis fuisse dicit Dianæ dicatum λυσίζώνη. quod parturientibus scilicet præesse putabatur: quam ob causam etiam auctor Hymni in Dianam, λυσίζωνον eandem vocat. Hanc 'pelli- ceam zonam' fuisse docet Placiades in Glossis: 'Incastum,' inquit, 'puto,

a litteram debere retinere: ab eo quod est Incastum venit. Cæstum dicunt zonam pelliceam Veneris, quæ legitimas nuptias ligat. Siquis ergo alieni legitimique matrimonii jura violaverit, incastum dicitur admisisse, id est, quasi castitatis vinculum zonamque Veneris violasse.'

CARMEN III.

2 *Et quantum est hominum venustiorum*] Sic Plaut. in Capt. 'O mihi quantum est Hominum optimorum optime.' Et Terent. 'Quantum hominum est in foro.' Et alibi, in Phorm. ut opinor, 'O omnium, quantum est qui vivant, hominum honoratissime.'

3 *Passer mortuus est meæ puellæ*] Post hunc versum in Aldi libro sequitur ille, quem supra posuit, *Passer, delicie meæ puellæ*, qui tamen in manuscriptis hoc loco non legitur.

5 *Quem plus illa oculis suis amat*] Sic veteres de his quæ sibi essent carissima. Terent. in Adel. 'Di me pater omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos:' sic quoque Callim. hymno in Dianam. Καὶ δέ σε φασὶ Καλὴν Ἀντίκλειαν ἴσον φαέεσσι φιλεῖσαι.

7 *Ipsam tam bene*] In manuscriptis quibusdam *Ipsa*; quod placet etiam.

10 *Ad solam dominam usque pipillabat*] In Maffei libro erat, *iplabat*: scriptum fuisse opinor, *pipilabat*: alii viderint, nihil enim asfirmo.

11 *Qui nunc it per iter tenebrosum*] In manuscriptis omnibus *tenebrosum*; sed illud rectius: *per iter tenebrosum*, id est, sub terras, ut ait poëta: similiter Theocr. in Epig. Οἶχεται ἄ χίμαρος, τὸ καλὸν τέκος, οἶχετ' ἐς ἕδαν.

12 *Illuc*] In manuscriptis omnibus, *Illud*; quod non displicet. Seneca ludo suo de morte Claudii Cæsaris versiculum hunc Catulli uno verbo minus inseruit, 'Nec mora,' inquit, 'Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos et cælo, unde negant redire

quemquam.' Sic autem significat quam alii dicunt viam irreducem, οὐκ ἀψόρρον.

14 *Quæ omnia bella decoratis*] Metitis. Horat. 'Si metit Orcus Grandia cum parvis.'

16 *O factum male, o miselle passer*] Aldus olim edidit, *O factum male, bellus ille passer*. In manuscriptis omnibus erat, *Bonus factum male, bonus ille passer*. Ego vero, Latini sermonis adductus proprietate legendum puto, quomodo supra posui, *O factum male, o miselle passer*: in rebus enim tristibus usurpabant, *O factum male*. Cic. in lib. xv. Epist. ad Att. 'O factum male de Alexione.' Contra in secundis rebus, 'factum bene.' Plaut. in Mostell. 'Factum optime.' Ac post, 'Male hercle factum.'

17 *Tua nunc opera*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis. Aldus tamen impressit olim, *Vestra nunc opera*; sed illud aptius videtur, ut ad passerem scilicet referamus: est autem *Tua opera*, idem quod propter te, tua causa: sic enim veteres loquebantur; quale illud Atti apud Non. Mar. 'Numquam erit tam immanis, cum mea opera extinctum sciat, quin frangescat.' et Æmili Probi illud de Lysandro, 'Hac victoria Lysander elatus, cum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulset, ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæm. pervenerint.'

18 *Flendo turgiduli rubent ocelli*] Sic melioribus in libris: in aliis, pro *rubent, tument*: quod esse supervacaneum videtur, cum *turgiduli* dicat: quomodo etiam Propert. lib. i. 'Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?' Martialis hunc Lesbix fletum commemorans lib. xiv. de Cavea lussit, 'Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo Lesbia plorabat, hic habitare potest.'

CARMEN IV.

1 *Phasellus ille*] Sic omnino scri-

bendum verbum *Phasellus*, auctoribus libris duobus antiquissimis Vergili, Vaticano, et illo altero Rudolphi Pii Cardinalis Carpensis, in quibus versus ille in Georg. iv. scriptus legitur hoc modo, 'Et circum pictis vehitur sua rura phasellis.'

2 *Ait fuisse narium celerrimus*] Sic omnino legendum vel auctore illo, qui, Catulli abusus versibus his, Sabido cuidam convicium fecit; et sane Græca tota ratio est.

3 *Neque ullius natantis impetum trabis*] Impetum dixit navis ipsius celeberrimi cursum, ut etiam Ennius in xrv. Annal. ut Macrobius citat, 'Labitur uncta carina, volat super impetus audas.' Et auctor Hymni in Neptunum, Καὶ νηῶν εὐδρομον ὁρμήν. Et idem in Lencotheam, Ἐν σοὶ γὰρ νηῶν πελαγοδρομὸς ἄστατος ὁρμή. Ennius quoque 'trabem' pro 'navi' posuit, apud Varr. lib. vi. de Ling. Lat. illius versus est non integer: 'Una trabes remis rostrata per altum.'

4 *Sive palmulis Opus foret*] Ovid. lib. i. Trist. videtur imitatus, 'Est mihi, sitque, precor, flavæ intela Minervæ Navis; et a picta casside nomen habet. Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram; Sive opus est remo, remige carpit iter. Nec comites volucris contenta est vincere cursu: Occupat egressas quamlibet ante rates.'

9 *Propontida, truncem-ve Ponticum sinum*] Ultimam syllabam verbi *Propontida* producit, propter duas verbi sequentis consonantes principes litteras, ut post, 'Per impotentia freta;' et alibi, 'Nec deprecor jam si nefaria scripta.' Et Ennius apud Cic. Divin. lib. i. 'Conspicit inde sibi data Romulus esse priora Auspicio regni stabilita scamna solumque.' Quod est factum more Græcorum. 'Truncem sinum' sic dixit, ut Hor. Od. i. 'Qui fragilem truci commisit pelago ratem.'

10 *Ubi iste, post phasellus*] Post phasellus, τὸ ὕστερον πλοῖον' more enim Græco dicit.

12 *Loquente sæpe sibilum edidit coma*] Sibilum ψιθύρισμα, ut Theocr. Verg. 'Argutumque nemus, pinosque loquentes:' sic etiam apud Athenæum Bion in Bucolicis: 'Ἐνθα καὶ ἦν πνεύση πολὺς ὄνεμος ἅ πίτυς ἄδει. Lycophron Argo navem Κίσσαν λάλητρον, sed alia de causa; namque κίσσαν avem esse dicunt humanæ imitatricem vocis, eoque sic dictam navem illam, quod e lignis Dodonæ, unde reddebantur oracula, facta esset. Id quod et Claudian. de bello Getico significat: 'licet omnia vates In majus celebrata ferant, Ipsamque secandis Argois trabibus jactent sudasse Minervam; Nec nemoris tantum junxisse carentia sensu Robora, sed cæso monitu Jovis augure luco, Arbore præsağa tabulas animasse loquaces.'

13 *Et Cytore buxifer*] Vibius Sequester de Montibus: 'Cyturus in Ponto Paphlagonia buxo potens.'

15 *Ultima ex origine*] Sic Corn. Nepos in Vita Attici, 'Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanæ fuit.'

16 *Tuo stetisse dicit in cacumine*] Tuo in vertice. Verg. 'Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus.'

Stetisse] Sic Columella lib. v. cap. 8. 'Vel ubi arbutus, aut ilex steterant.'

20 *Juppiter Simul secundus incidisset in pedem*] Juppiter secundus is ab eo dicitur, qui a Pausania in Laconis Ζεὺς εὐάνεμος. Cujus esse illis in locis templum scribit. De eodem Jove Papinius, 'Ductorque secundi Quod superest convexa Jovis.' 'Pedem' vero quid in navi dicerent, alii docent. Cic. de Orat. lib. III. 'Nam, si res,' inquit, 'suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi:' et Plin. Nat. Hist. lib. II. 'Isdem autem ventis in contrarium navigatur,

prolatis pedibus, ut noctu plerumque vela concurrant:' et Seneca Tragicus in Medea, 'Nunc præalto pede trans-versos captare notos:' Eripiodes in Iphigenia, 'Ἄερί δ' ἰστία, πρότονοι κατὰ Πρῶραν, ὑπὲρ στόλον Ἐκπετάσουσι πῶδα Ναὺς ὠκυπόπου. Lusitani dicunt, Ροζμ, rudentem scilicet, sive funem, quo velum trahitur ac tenetur, pes ipse et quasi veli radix.

21 *Incidisset*] De ventis etiam Homer. Σὺν δ' Ἐὐρός τε Νότος τ' ἔπεσε, Ζέφυρός τε δυσαῆς. Et Apoll. R. lib. I. totidem prope verbis, quod Catullus eandem efferens sententiam, 'Ἐν δὲ λιγὺς πέσεν οὐρός' ἐπ' ἰκρίφην δὲ κάλωας, &c. Sic etiam Cic. in Arateis versibus, 'Sin gravis incidit vehementi flamine ventus:' et Verg. 'Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus.'

22 *Nec ulla vota litoralibus Diis*] Αἰγιαλοῖς. Ovid. 'Di maris et terræ.' Hoc de genere votorum intelligendum illud Ποῖτæ, 'Votaque servati solvunt in litore nantæ.' Diis autem διασουλάβως etiam Lucan. extulit in lib. II. 'O utinam cælicæ Diis eretique liceret,' sic enim est in vestusto, optimoque Fulvii Ursini libro.

23 *Cum veniret a mari*] In Maffei libro, a mare, in aliis, amaret; itaque legendum omnino, a mare: quod et Grammatici veteres Priscian. et Caris. in lib. I. notarunt, et Lucr. lib. I. posse fieri declarat, 'E mare primum homines, e terra possent oriri Squamigerum genus.' Et Ovid. in Ibin, 'Et summam Libyco de mare carpat aquam.'

24 *Novissime*] Sic omnibus in manuscriptis, non *Novissimo*.

Hunc ad usque limpидum lacum] Idem post de eodem lacu, 'Salvete vosque Lydiac lacus undæ.'

25 *Sed hæc prius fuere*] Prius, Olim. Idem alibi, 'Otium et Cives prius et beatas Perdidit nrbes.' Et Hom. Iliad. Σ. Πρὶν μὲν γὰρ Πριάμοιο πόλιν μέροπες ἄνθρωποι Πάντες μυθέσκοντο πολὺ-

χρυσον, πολύχαλκον. Similiter Cic. ad Cornificium, 'Sed illud et præterit, et levius est.'

Nunc recondita Senet quiete] Mirari satis non possum, cur hos versus contra metricam rationem aliter Priscian. legerit in lib. VIII. cujus verba sunt, 'Et multa præterea a vetustissimis similiter sunt prolata participia præteriti a neutralibus verbis, ut a Seno Senectus.' Ac deinde exempli causa subjicit, 'Catullus, Sed hæc prius fuere, nunc recondita Senecta quiete.' Senesco enim inchoativum est. Sallust. Histor. lib. IV. 'Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat.' Qui autem versus in Sabinum fecit, legisse hoc loco videtur, *Sedet*, quo modo hoc ipso in genere Claudius Rutilius in Itinerario loquitur, 'Tranquilla puppes in statione sedent.' Tametsi Carisius, quo loco de Inchoativis disputat, et Diomedes *Senet* agnoscere ac legere videntur hoc loco. Eodem verbo Lucr. utitur lib. V. 'Nunc etiam senet, et trepido terrore repleta est.' Vid. Non. Marcell. in verbo 'Macore.' Sententia vero similis Enniana illa apud Cic. 'Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.'

CARMEN V.

Viramus mea Lesbia] Fulvius Ursinus meus Ζῆν sic Græcos quoque dicere annotavit, quale illud Agathiæ, Πῦνε γέρων, ζῆσι. Sic quoque Cic. 'Quando vivemus.' Et Martial. 'Postume vive hodie.' Et Non. Marcel. 'Vitulantes veteres gaudentes dixerunt, sicuti qui nunc est in summa lætitia vivere enim dicimus.'

Rumoresque senum severiorum, Omnes unius æstincmus assis] Mimnermus eodem prope modo, τὴν σαντοῦ φρένα τέρπε, δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν Ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἔμεινον ἐρεῖ. Simillimis verbis et sententia Cato apud

Festum Pompeium in verbo, *Obstinato*, 'Rumorem famam floccifecit, captus stupris, obstinatus insignibus flagitiis.' Severiores senes morosos dicit Horat. I. Od. 'Douce virenti canicies abest morosa.'

3 *Omnes unius æstincmus assis*] Nihil curemus. Sic obsceni auctor Carminis, 'Matronæ procul hinc abite castæ, Turpe vos legere impudica verba: Non assis faciunt, euntque recta.' Et Plant. in Capt. 'Neque ridiculos jam teruncii faciunt.' Augent hujus leporem Carminis ἄνθηρα, *Omnes, unius*.

4 *Soles occidere, et redire possunt*] Ejusdem sententiæ totum est illud asma apud Flaccum IV. Od. 'Diffugere nives,' et quæ sequuntur.

5 *Nobis cum semel occidit brevis lux*] Sic omnino distinguendum, ut sit, *Nobis cum occidit*. Sic Homer. in Odys. Ὅϊζυράδ δέ οἱ αἰεὶ θθίνουσιν νύκτες τε καὶ ἡμέρατα δακρυχεύουση.

6 *Nox est perpetua una dormienda*] Hoc ipso de somno etiam auctor Hymni in Mortem, τὸν μακρὸν ζωῶσι φέρων αἰώνιον ἕπνον. Venustissime vero monosyllabum superioris versus, *lux*, excipit sequentis monosyllabum, *Nox*.

7 *Da mi basia mille, deinde centum, Dein mille altera, da secunda centum*] Posterior versus in manuscriptis legitur, *Dein mille altera, deinde secunda centum*: legendum puto, *Dein mille altera, dein secunda centum*.

9 *Dein usque altera*] In manuscriptis, *Deinde usque altera*; quod retinendum censeo, ne semper, *Dein* dicat, et εἰφώνότερον videtur propter sequentem dictionem a vocali incipientem.

10 *Millia multa*] Sic alibi, 'Multa millia lusuum.'

11 *Conturbabimus illa*] Proprie dixit. Namque rationes conturbari proprie dicuntur.

12 *Aut ne quis malus invidere possit*] Malus, invidus. Ut post, 'Nec pos-

sit mala fascinare lingua.' Et Vergil. 'Ne noceat vati mala lingua futuro.'

13 *Cum tantum sciat esse basiorum*] Quam post segetem dicit osculationis.

CARMEN VI.

1 *Flavi delicias tuas Catullo*] An Flavius hic Caper fuit, Ennii, atque, ut opinor, antiquiorum Interpres Poëtarum, quem sæpe citat Carisius: an potius ille, cujus meminit Horat. i. Sat. 6. quem veteres Interpretes fuisse calculatorem scribunt: an Flavius Tribunus plebis factus biennio ante Cæsarem Consulem primo: an alter ille, cujus meminit Cic. lib. i. Epist. ad Q. Frat.?

6 *Nam, te non viduas jacere noctes*] Sic *noctes viduas* videtur dicere, ut et alibi 'Lectum cælibem.'

7 *Nequidquam tacitum cubile clamet*] Frustra tacitum, cum vestros lusus tam multis rebus aliis prodat. Nisi si forte legendum sit, *Nequaquam tacitum cubile clamet*: sin illo modo malumus, sit, quale Cic. illud in Divin. 'Etiam si tacent, satis dicunt.' et quod addit Pedianus, 'Cum tacent, clamant.'

8 *Sertisque Assyrio fragrans olivo*] In manuscriptis, *Sertis Assyrio*: legendum omnino, *Sertis ac Syrio*: Assyrii namque idem postea dicti Syrii, auctor Justini. lib. i. Hoc opinor de genere olivi Martial. lib. viii. 'Si sapis Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat.' Et Propert. ii. 'Levis odorato cervix manabit olivo.' Et ante hos Callim. Hymno in Apoll. *Αἰ δὲ κόμαι θύβεντα πέδω λείβουσιν ἔλαια.* Horat. Od. ii. 7. Malobatrū Syrium vocat.

9 *Pulvinusque peræque et hic illic*] In manuscriptis omnibus non *illic*, sed *ille*: subaudiendum, 'pulvinus.' Potest et illo etiam modo subaudiri, ut sit *illic* nomen, non adverbium. Ovid. Amor. iii. similiter, 'Cur pres-

sus prior est interiorque torus.' 'Pulvinus,' inquit Placiades in Glossis, 'privati hominis cervical, vel culcital; pulvinar vero, ac pulvinaria principum sunt vel regum; id est, lectisternia.'

10 *Tremulique quassa lecti Argutacio*] Illa ut ita dicam, lecti garrulitas Fest. Pomp. in verbo, 'Tacitus:' 'Tacitus,' inquit, 'etiam argutus, quia potest aliquando tacere.' Sic alibi idem Catul. argutam soleam dixit crepitantem: nisi qui brevem malit intelligere. Cratinus apud Ephæstionem hanc dicere videtur, *ἰκρίων ψόφησον* ejus enim versum illum ponit, *Εὐδαίμων* ἔτικτέ σε μήτηρ *ἰκρίων ψόφησις.* Ovid. Amor. iii. similiter, 'Spondaque lasciva mobilitate premat.'

11 *Inambulatioque*] Verbo perambulare uti videtur eodem in genere alibi, 'Perambulabit omnium cubilia.'

12 *Nam ni pravalet ista, nil taceres, Cur non tam latera exfututa pandas, Ne tu quid facias ineptiarum*] In manuscriptis omnibus leguntur hi versus hoc modo, *Nam in ista pravalet nihil tacerere. Cur non tam latera et futura panda, Nec tu quid facias ineptiarum.* Difficilis omnino veræ germanæque lectionis investigatio: conabar tamen ipse a scriptæ lectionis vestigiis quam poteram minime longe discedens: *Nam ni est turpe, volens nihil taceres, Cui nunc tam latera exfututa, pandas Ni tu quid facias ineptiarum.* Res ipsa tota obscœnissima: latus autem exhauriri nimia venere, et consumi solet. Ovid. Amor. lib. ii. 'Et lateri dabit in vires alimenta voluptas.' Et lib. iii. 'Invalidum referens emeritumque latus.' Facere vero ineptias sic dixit, ut Plant. 'Stultitiam facere.' 'Indidem,' inquit, 'unde oritur, facito ut facias stultitiam inseparabilem.'

15 *Quidquid habes boni malique*] Venusti, invenustique. Belli, non belli. Idem alibi, 'Verum a te metuo, tuo-

que pene, Infesto pueris bonis, malisque.'

Habes] Græce, ἔχεις, possides. Vergil. 'Postquam nos Amarillis habet.'

16 *Volo te, ac tuos amores Ad cælum lepido vocare versu*] Sic Cic. lib. II. de Legibus, 'Et illos, quos in cælum merita vocaverint.' Et pro Deiotaro, 'Rex enim Deiotarus vestram familiam abjectam et obscenam e tenebris in lucem vocavit.'

CARMEN VII.

3 *Quam magnus numerus Libyssæ harenæ*] Eodem genere contentionis utitur Callim. Hymno in Dianam. Ἐπὶ δὲ στρατὸν ἰππηολῶγων Ἦγαγε Κιμμερίων ψαμμόφ Ἰσον. Et idem Catullus alibi; 'Illa pulveris Eretrii, Siderumque micantium Subducatur numerum prius.' Quod autem modo harenam, modo pulverem dicit, utrumque Ὀμηρικῶς. Ὅσα ψάμαθός τε κόβις τε.

4 *Laserpiciferis jacet Cyrenis*] Laser herba: cur autem *Laserpiciferas* Cyrenas dicat, intelligi potest ex iis, quæ scribit Suidas in verbo Σίλφιος. Capter Grammat. 'Laserpicium,' inquit, 'florem, aut caulem aiunt.' Sic autem Ovid. Met. xv. 'Lentisciferum Linternum' dicit.

6 *Et Battii veteris*] Battus urbem Cyrenas condidit, de quo Callim. in Hymno in Apoll. Φοῖβος καὶ βαθύγειον ἐμὴν πόλιν ἔφρασε Βάττω. Battum vero veterem sic dixit, ut et Horat. Od. III. 'Saturnum veterem.'

7 *Aut quam sidera multa, cum tacet nox, Furtivos hominum vident amores*] Et silentem, et tacentem noctem dicunt. Tibul. 'Devovit tacito tempore noctis anus.' Vergil. 'Aut intempesta silet nox:' et, 'Sub nocte silenti.' et, 'Per amica silentia noctis:' et Tibul. 'Vota novem Veneri nocte silente tuli.' Neque vero semper mediam atque intempestatam noctem debemus intelligere, quotiens silentem audimus. sed nonnumquam etiam serenam, et, ut Vergil. vocat,

puram, 'Quid quæ te pura solum sub nocte canentem Audieram.' Plinius 'silens cælum' dicit N. H. lib. XVIII. cap. 28. 'Alia sunt illa, quæ silente cælo serenisque noctibus fiunt.'

8 *Furtivos hominum vident amores*] Auctor Hymni in Apoll. astra ipsa noctis oculos dicit, et silentem noctem, silensque cælum, et pacatum significat, Νυκτὸς ἐν ἡσυχίαισιν, ἐπ' ἀστεροδύμματον ὄφρηται. Et Juvenal. Sat. VIII. de nocturnis adulteris, 'Nocte quidem; sed Luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos.' De nocte namque circumvagantur amatores. Ex hoc genere est illud Theocr. Ἄλλὰ σελήνα φαῖνε καλόν.

9 *Tam te basia multa basiare*] Velut, 'Te ipse basia tam multa basier.' vel potius ut, 'Tu tam multa basiere basia.' dixit enim ante, 'Da mi basia mille.'

12 *Nec possit mala fascinare lingua*] 'Malam' invidiam dici, jam monui: sic Vergil. 'Ne noceat vati mala lingua futuro:' et auctor incertus Carminis illius, 'Effundit mala lingua virus atrum.' Callim. Hymno in Delum, mala lingua feminam dixit, Σὺ δὲ τέκνα κακογλώσσοιο γυναικὸς Ἑλλαχες.

CARMEN VIII.

2 *Et, quod tides periisse, perditum ducas*] Pro perdito habeas, ut loquitur Festus in verbo 'Valescit.' Plaut. Cistellaria similiter, 'Quod periit, periit.' Et alibi sic verbo 'duco' est usus Plant. 'Ego illum perisse duco, cui periit pudor.'

3 *Fulsero quondam candidi tibi soles*] Dies ipsos Poëtæ soles dicunt. Lucr. VI. 'Nec tamen omnino temere illis solibus ulla Comparebat avis:' et Vergil. 'Cantando longos memini me condere soles:' et apud Stobæum Euphoriion, Ἡελίοις ἦτις σε τρηκασίους ἐφόρησα. Candidum solem felicem diem Catullus appellat, ut Horat.

nigrum, infelicem. 'Huncine solem Tam nigrum surrexe mihi.' Lucret. 'candentem solem,' diem cum significaret, etiam dixit lib. vi. 'Octavoque fere candenti lumine solis:' est enim is lucis color. Sic Ennius apud Festum, 'Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent.'

6 *Ibi illa multu tum jocosa siebant*] Πολλὰ τερπνὰ, quomodo apud Stobæum Tyrtaeus loquitur.

7 *Quæ tu volebas, nec puella nolebat*] Similiter Ovid. Amor. iii. 'Cupiens pariter cupiente puella.'

9 *Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens esto*] In manuscriptis et mancus hic versus, et varie legitur. In aliis, pro *impotens, impote*. In aliis, *inepte*: atque in omnibus pes deest extremus. Ego conjecturam faciebam hanc, *Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens noli*: sic ut Impotens ἐπιτακικῶς dictum accipiamus. Vel illo modo legamus, *Nunc jam illa non vult, tuque inepte jam nolis*.

10 *Nec quæ fugit sectare*] Theocr. Cyclope, Τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

Nec miser vive] Græcorum more, ut et Horat. 'Et sine vivat ineptus.' Idem post, 'Sed tu insulsa male, et molesta vivis.'

11 *Perfer, obdura*] Sic Ovid. Amor. iii. 'Perfer et obdura, postmodo mitis erit.'

14 *At tu dolebis, cum rogaberis nulli. Scelesti te ne*] In manuscriptis aliis, *Cum rogaberis nulla Scelestu ne te*: in aliis, *Cum rogaberis nulla Scelesti nec te*. Legendum puto, *Cum rogaberis nulla Scelesti nocte*. Utitur eodem verbo, atque eodem in genere Ovid. 'Casta est, quam nemo rogavit.'

15 *Quæ tibi manet vita*] Idem pæne dixit Arianus illis verbis, Βίωσιον ὅς κ' ἐπιδενῆς Στραφᾶται.

CARMEN IX.

1 *Veranni, omnibus e meis amicis Antistes mihi millibus trecentis*] In manuscriptis omnibus *Antistes*, ut nomen id

sit, non verbum, quasi id dicat, Veranni trecentis millibus, ex omnibus meis amicis, præposite, ac prælate. Verbum vero ipsum translatum a religionibus. Placidus in Glossis interpretans 'Antistant,' inquit, 'meliores sunt.' Macrob. Saturn. iii. Veranium quandam citat de verbis Pontificalibus, quem esse eundem puto, cujus utitur testimonio Festus in verbo 'Oletum.' Et, quod ad hunc ipsum scriberet Catullus, propterea fortasse Pontificali verbo libentius est usus.

3 *Venistine domum ad tuos penates, Fratresque unanimos, tuamque matrem*] In manuscriptis aliis, *Fratresque uno animo, sanamque matrem*: in aliis, *Fratresque uno animo, suamque matrem*. Gabriel Faërnus, vir acerrimo iudicio præstanteque doctrina, legendum putabat, *Fratresque unanimos, anumque matrem*: quod eo probabilius esse dicebat, quod meminisset Gell. lib. iii. cap. 15. in Annalibus Romanis scriptum commemorare, 'Qua tempestate apud Cannas exercitus Pop. Ro. cæsus est, animum matrem nuntio de morte filii allato luctu atque mærore adfectam esse.' Legi etiam possit, *Fratresque unanimos, tuamque matrem*: et *Fratresque unanimos senemque matrem*. 'Senem' enim feminino etiam genere dicebant. Varro de Ling. Lat. lib. v. versus ponit Pomponii, 'Ridiculum est cum te Cascam tua dicit amica: Casca Philotonis ipsa senex puerum.' Unanimos fratres et Vergil. Æn. vii. sic dixit, 'Tu potes unanimos miscere in prælia fratres:' et lib. iv. 'Cum sic unanimem alloquitur male sua sororem.' 'Unanimos' autem pro 'Unanimis,' etiam alibi idem posuit, 'Unanimis false sodalibus:' et alibi, 'Non prius unanimis corpora conjugibus.'

6 *Visam te incolumem*] Εὐτυχούντα καὶ σεσωσμένον ut Menander apud Macrob. Saturn. v. loquitur.

CARMEN X.

1 *Varrus me meus ad suos amores Visum duxerat*] Alii Varum per unum r scribunt, et Quintilium Varum hunc esse adfirmant. In manuscriptis omnibus erat *Varius*; quod quidem ipsum vitiosum est, sed ad eam propius scripturam, quam sequimur: ac nescio an Q. Varrum intelligat, præfectum equitum Domitii, de quo Cæsar de Bello Civili lib. III. an potius, si modo non idem est, Varrum Cinnæ contubernalem, de quo L. Cæcilius Minutianus de Batto Iambico Poëta Ovidi contubernali, in iis Fragmentis, quæ scripta extant apud paucos, 'De quo,' inquit, 'Varrus et Cinna contubernales in suis poematis meminere.' Servius in illud Vergili in Bucolicis, 'Tu post carecta latebas,' Varrum tragædiarum scriptorem appellat. Ad eundem, credo, post scribit illa, 'Suffenus iste, Varre, quem probe nosti,' &c. Quod autem dicit se a Varro ad suos amores ductum esse visum, simile hoc illius est Plauti, Pænulo, 'Hem amores tuos si vis spectare.

3 *Scortillum mihi tum repente visum est*] In manuscriptis omnibus, *Scortillum ut mihi tum repente visum est*: quod est probandum: ut autem pro ubi: sic post, 'Litus ut longe:' et alibi, 'Vernum totius ut lacus.'

5 *Huc ut venimus*] Ad eam postquam propius accessimus ad colloquium: sic Horat. 'ut huc novus incola venit:' et Æmil. Probus in vita Pausaniæ, 'Huc ut venit, ab Ephoris in vincula publica conjectus est.'

7 *Quomodo se haberet*] In manuscriptis, *Quomodo posse haberet*: quod factum puto, quod supra verbum *modo* scriptum esset *pacto*: e quo et sequente verbo se coaluit alienum huic loco verbum *posse*.

8 *Et quonam mihi profuisset ære*] In manuscriptis omnibus eodem modo. Legendum forte, *Ecquonam*. Sic post, 'Ecquidnam in tabulis patet lucelli?'

Sic Cic. in Part. Orat. 'Ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent?'

9 *Respondi, id quod erat, nihil nec ipsi*] In manuscriptis omnibus, *nihil neque in ipsis*. Ego legendum putabam, *mihi nec ipsi*. Idque eo magis, quod et Cicronem, et Cæsarem sic fere loqui animadverto: 'Est cur,' 'Non est cur.'

11 *Cur quisquam caput unctius referret*] Unctum caput, divitiarum argumentum. Lucil. 'Hi, quos divitiæ producunt; et caput unguunt:' et uncti divites dicuntur. Juvenal. 'Unctamque Corinthon.' Facete Cic. in IV. contra Verrem, 'Ita palæstritas,' inquit, 'defendebat, ut ab illis unctior discederet.' Itaque ære dirutos omnes ea in provincia fuisse dicit, idque prætoris culpa ipsius.

12 *Præsertim quibus esset inrumator Prætor*] Qui prætorem haberent libidinosum, ac luxu perditum.

13 *Nec faceret pili cohortem*] Sic post, 'Nec pili facit uni.'

14 *At certe tamen inquit*] Sententia postulare videtur, et Dialogi ratio, ut Hadriani Turnebi, eruditi viri, conjecturam sequamur, *At certe tamen, inquit, id quod illic*.

Quod illic Natum dicitur, ære comparasti] In manuscriptis omnibus non *ære*, sed *esse*, id est, quod illic esse natum dicitur; nisi quis *esse*, in *asse*, mutandum putet. Quod natum, genere neutro sic dixit, cum de homine loquatur, ut et Terent. in Andria, 'Nam quod peperisset, jussit tolli:' item Plaut. Amphitr. 'Verum quod erit natum, tollito:' et Cic. Epist. ad Att. lib. XI. 'Hæc ad te die natali meo scripsi: quo utinam susceptus non essem, aut nequid ex eadem matre postea natum esset:' et Horat. v. Od. de Diis, 'At o deorum quidquid in cælo regis Terras, et humanum genus.'

15 *Ære comparasti*] Sic Sallust. In Jugurth. 'Servi ære parati injusta imperia dominorum non perferunt:' et

Colum. lib. IX. 'Sequitur, ut examina desideremus: ea porro vel ære parta, vel gratuita contingunt, sed quas pretio comparabimus, studiosius prædictis comprobemus notis.'

16 *Ad lecticam homines*] Non lexicarios, hi namque lexicarum fabri sunt, sed qui portant: a quibus exaphorum et octophorum lexicarum genera a portantium numero, qui fere Cappadoces erant. Lexicarios esse docui fabros lexicarum. Si quis autem in eo error est meus, Cic. verbis eo sum inductus illis in Orat. pro Sex. Roscio Am. 'Familiam vero quantam, et quam variis cum artificibus habeat, quid ego dicam? mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lexicarios:' et veteri inscriptione Romæ in æde D. Cæciliæ,

D. M.

TIB. CLAUDIO. AVG. LIB

TIGRANO. EX. CORPORE

LECTICARIORVM. CÆ

SARIS. &c.

Namque Corpora non nisi artificum, opinor, et fabrum dicuntur esse: fieri vero potnit, ut qui portant, idem lexicas facerent. Lexicarium quoque mentionem facit Colum. in Proœmio lib. I.

17 *Unum me facerem beatorum*] In manuscriptis omnibus, *beatiorum*: illud rectius videtur. Sic Cic. pro Plancio, 'Feci me unum ex his, qui ad aquas venerant.'

19 *Ut, provincia quod mala incidisset*] Sic in Maffei libro: in aliis, *Qui mala incidisset*: legendum forte, *Ut provincia quum mala incidisset*.

20 *Non possem octo homines parare rectos*] Octophorum significat. Rectos autem, proceros præstanti corpore. Sic post de Quinctia, 'Mihi candida, longa, recta est:' et Horat. I. Serm. 'Candida, rectaque sit.' 'Parare,' pro 'Emerere' etiam Horat. 'Opinor, pretio majore parandi:' et Plin. Nat. Hist. xxxvii. 'Sed Nero, ut par erat principem, vicit omnes,

ccc. sestertiis capidem unam parando memoranda res, tanti imperatorem patremque patriæ bibisse.'

22 *Fractum qui ceteris pedem grabat[i]*] Major esse extenuatio non potest. Vetus autem grabatum sic dicit, ut alibi, 'Vetus ploxemum.'

23 *In collo sibi collocare posset*] Venuste *παρῶνίμως*, *In collo collocare*.

24 *Ut decuit cinædiorem*] Impudentiorem, callidiorem. Ut a Cinædo autem *Cinædiorem* Catullus, sic a Patico 'Paticissimos' fecit Martial. lib. XII. ad Rufum, 'Musæi paticissimos libellos.'

25 *Quæso, inquit, mihi mi Catulle paulum Istos commoda: nam volo Serapin*] Sic etiam erat omnibus in manuscriptis, præterquam in uno, in quo erat, *paululum*, ut ultima syllaba a sequenti excipiat. Versus autem ipse stare ac procedere non videtur, impediendo extrema syllaba verbi *commoda*: nam, quod ante Aldus impressit *commodita*, id sine consensu scriptorum librorum fecit. Ego sic emendabam: *Quæso, inquit, mihi mi Catulle paululum Istos: nam volo commode ad Serapin*: ut illud prius *ἐλλειπτικῶς* dixerit; ejus generis multa sunt exempla. Serapis autem Romæ post Pisonem et Gabinum Coss. coli cæpit: auctor Arnobius.

27 *Deferri, mane me inquit puellæ*] In manuscriptis omnibus, *Deferri, mane me inquit puellæ*. Nec dubitandum, quin, *inquit*, legendum sit. Ego vero legendum puto, *Deferri, mane inquit puellæ*; abundare namque *me* usus ipse antiquorum docet. De quo Caris. lib. II. 'Mane mane,' inquit, 'porro ut audias, cupiditatis adfectus est.' Sic Plaut. Casin. 'Cedo, mane, unum venit in mentem modo:' et alibi, 'Sed mane dum, num ista populna sors, aut abiegna est tua:' et Pseud. 'Hem mane quanti istuc unum coquinare doces:' et Plin. lib. VIII. Epist. ad Motanum, 'Finem existimas: mane dum, et majora accipe:'

et eodem modo Soph. Œdipo Tyr. Ποίους; μείνον' τίς δέ μ' ἐκφύει βρωτῶν;

30 *Cinna est Caius*] C. Helvius Cinna cujus citat Epigrammata Non. in verbo 'Clypeat.'

32 *Utor tam bene, quam mihi pararim*] In manuscriptis quibusdam extrema littera verbi *pararim* sic scribit, ut a figura s elementis parum absit: quomodo hodieque nonnumquam m scribimus in extremo: legendum fortasse sit, *Utor tam bene, quam mihi paratis*. Sic enim nihil desideremus.

33 *Sed tu insulsa male*] Sic legendum videtur conjuncte, *male insulsa*; ut apud Horat. 'male salsus,' quo modo, molestum sibi id esse, cui adderetur verbum *male*, significabant.

CARMEN XI.

1 *Furi, et Aureli, comites Catulli*] Furius, opinor, hic est Bibaculus, sive, si modo non idem est, P. Furius, quem accusavit Cato pro direptis Lusitanis. Auctor Ascon. in extrema commentatione in Divin. Aurelius autem sit ille fortasse, L. Aurelius Cotta prætor, qui legem promulgat de restituendis judiciis equestri ordini. Idem Ascon. in Cic. II. contra Verr. Ad eundem credo post, 'Aureli, pater esuritionum:' et 'Aureli, veniam peto pudentem.'

3 *Litus ut longe resonante Eoa Tunditur unda*] Sic non semel loqui Catullum docni, nunc ostendam *ἴνα* sno Græcos etiam sic uti. Soph. Œdipo Tyranno, Σὺ καὶ δέδορκας, κ' οὐ βλέπεις ἴν' εἴ κακοῦ; Eurip. Phœnissis, Καλλιποτάμους ἕδατος ἴνα τε Νοτίς ἐπέρχεται Δίρκας χλοηφόρους καὶ βαθυσπόρους γυίας et in Bacchis, ἴνα θελήστροφες νέμονται Θνατοῖσιν ἔρωτες; Et in Alcesti, [Hippol. 744.] ἴν' ὁ ποικτομέδων πορφύρας λύμης Ναύταις οὐκ ἔθ' ὄδδν νέμει; et Hymni Auctor in Parcas, Οὐρανίας, ἴνα λευκὸν ἕδωρ νυχίας ἀπὸ θερμῆς; Callim. Lavacro Palladis, ἢ π' ἰ Κορωνείας, ἴνα οἱ τεθωμένον ἄλσος.

Litus ut longe resonante Eoa Tundi-

tur unda] Boëtius, auctor non contemendus, Consol. Philos. lib. IV. similiter, 'Nemo miratur flamina Cori litis furenti tundere flatu:' et multo ante Tibulli, lib. II. 'Stare vel insanis cautes obnoxia ventis Naufraga quam vasti tunderet unda maris.' Eodem modo Priscianus, sive quisquis alius Interpres Dionysi de Situ Orbis, 'Post hæc Æoliæ tellus protenditur oræ, Fluctibus Ægypti primis quæ tunditur alti.' Et legendum forte, *Litus ut longe resonans Eoa Tunditur unda*. Sic Verg. Georg. I. 'Aut resonantia longe Littora.'

5 *Arabesque mollis*] Teneros. Tibul. 'Quos tener e terra divite mittit Arabs.'

6 *Seu Sacas, sagittiferosque Parthos*] Sic etiam post secunda sede Trochæum posuit, 'Pauca nuntiate meæ puellæ;' quod ad Græcorum fecit imitationem, eodem enim modo Sappho, Ποικιλόθρον', ἀθανατ' Ἀφροδίτα. Et eodem modo sæpe in eodem asmate.

7 *Qua septemgeminus colorat Æquora Nilus*] In manuscriptis quibusdam, non *qua*, sed *qui*: in Maffei libro *que*: legendum puto, *quæ*. Septemgeminus, ἑπτάπορος.

10 *Cæsaris visens monumenta magni*] In veteribus monumentis, quotquot aut Romæ aut alibi mihi videre contigit, in verbo 'Monimentum,' quarta semper est u, ut vetustissimo in saxo ad eam portam, quæ sancti Pancratii hodie Romæ dicitur. Quid autem Monumentum sit, indicant insignes loci apud Cic. in Orat. pro Marcello, 'Obstupescunt posteri certe, imperia, Provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innnumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes et legentes tuos;' et pro Fonteio, 'Partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab Senatu agris nrribusque multati:' et apud Ennium Africanus patriam adloquens,

‘Namque tibi monumenta mei peperere labores:’ et Propert. lib. III. ‘Hannibalis spolia, et victi monumenta Siphacis:’ et idem lib. IV. ‘Actia Juleæ pelagus monumenta carinæ.’ Nicolans Florentinus Batavus gemmam veteris artificii mihi ostendit Romæ, Victoriæ imagine ac tropheo insignem, et singularibus notatam litteris, his, H. V. M. Quas interpretabatur, Hispaniæ utriusque monumentum, vel, Hostium victorum monumentum. Callim. Hymno in Dianam, *Σημελα νίκης* videtur dicere, *Ὁὐ μιν ἐπικλητοὶ Καλυδωνίου ἀγρευτῆρες Μέμφονται κέπροιο· τὰ γὰρ σημήλια νίκης Ἀρκαδίην εἰσῆλθεν, ἔχει δ’ ἔτι θηρὸς ὕδοντας.*

11 *Gallicum Rhenum, horribilis et ultimosque Britannos*] In manuscriptis omnibus est, *Horribilesque et ultimosque Britannos*: itaque legendum censeo, ut inoffense concurrant vocales, E, et, U. Sic enim Catullus solet, et sit qui sequitur versus *προκέφαλος* quod cum multi non intelligerent, Poëtæ numeros corruperent.

15 *Pauca nuntiate meæ puellæ Non bona dicta*] Translata omnia ab angulari disciplina, et qua sunt, ‘Nuntiare,’ et ‘Nuntiatum’ et ‘Bona’ et ‘mala verba.’

17 *Cum suis vivat, valeatque mæchis*] Sic veteres, ut Terent. in Adolph. ‘An pro hujus peccatis ego supplicium sufferam: immo habeat, valeat, vivat cum illa.’

18 *Quos simul complexa tenet trecentos*] Hoc utebantur numero, cum nimis multos significabant. Idem alibi, ‘Quare aut hendecasyllabos trecentos expecta.’ Horat. in I. Sermon. ‘Trecentos ingeris obe.’ At apud Jul. Capitolinum in probrosis versibus, in eandem factis sententiam, centum sic mæchi dienntur: ‘Vidimus in somnis cives, nisi fallor; et istud Antoninorum nomen puer ille gerebat, Qui patre venali genitus, sed matre pudica Centum nam mæchos passa est, centumque rogavit.

Ipse etenim Calvus mæchus fuit, inde maritus, En prins, en Marcus, Verus nam non fuit ille.’

19 *Sed identidem omnium Ilia rumpens*] Sic Verg. ‘Rumpantur ut ilia Codro.’ Et Martial. opinor, de quodam, ‘Rumpitur invidia.’ Sic autem dicebant de his, quos agi rabie et furore significabant.

21 *Nec meum spectet, velut ante, amorem*] Legi omnino debet, ut est in manuscriptis omnibus, *Nec meum re-spectet ut ante amorem.*

22 *Qui illius culpa cecidit, velut prati Ultimus flos*] In manuscriptis omnibus haud paullo concinnius legitur, *Ultimi flos*. Ultimum enim pratium eleganter dicit partem extremam et quasi oram prati ipsius.

23 *Præcreunte postquam Tactus aratro est*] Idem alibi de flore, ‘Nulli contusus aratro.’

CARMEN XII.

1 *Marrucine Asini, manu sinistra Non belle uteris in joco atque vino*] Læva, furto infamia. Plaut. Per. ‘Ubi altera est furtifica læva.’

2 *In joco atque vino*] Idem alibi, ‘Reddens mutua per jocum atque vinum.’ Furandi morem per jocum refert Sueton. Nerone, ‘Vetiti,’ inquit, ‘quadrigariorum lus, quibus inveterata licentia passim vagantibus fallere ac furari per jocum jus erat.’

4 *Hoc salsum esse putas*] Eodem modo obsceni auctor carminis, ‘Nimirum tibi salsa res videtur.’

5 *Quamvis sordida res, et invenusta est*] Eodem modo loqui Cic. videtur in Orat. VII. in Verr. ‘Expectate facinus quam vultis improbum;’ et Ovid. Fast. IV. ‘Nulla mora est operi: vestrum dare vincere nostrum est, Quam velit Æneas ista negata mihi.’

6 *Non credis mihi, crede Pollioni Fratri*] Ex his verbis intelligitur hic Asini Pollionis frater fuisse. Et Pollio ipse Marrucinus fuisse, qui tum puer esset, æqualis Horatii.

8 *Mutari velit*] Sic Horat. 'Hic mutat merces surgenti ab sole:' et Vergil. Georg. III. 'Quamvis Milesia magno Vellera mutantur.' Mutator hoc modo Græcis opinor dicitur, μεταβολεύς. Demosth. Εἰ δὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας, καὶ παλιγκάπηλος, καὶ μεταβολεύς. Est enim, ut Grammatici tradunt, λέξις ἐμπορικὴ ὅθεν μεταβολεῖς ὀβολῶν, καὶ ἀλφίτων, καὶ τῶν τριούτων, οἱ αὐτὰ καταλλάσσοντες. Mutari ergo, redimere. Plin. lib. XIX. 'Quaternis denariis stipula ejus permutata quondam, frater Pollio tua furta vel talento emerit; nam, ut et lepidus et facetus, tua furta minime celat.'

12 *Quod me non movet aestimatione*] Tanti mihi non est.

Verum est μνημόσυνον μεῖ sodalis] Monumentum, memoriæ causa donum. Sic enim est in veteri monumento Romæ in ædibus Angeli Colitii.

JVLIVS. VALENTIO
ET. ANTONIA. ERMI
OME. JVLIAE. VALEN
TINAE. FILIAE. BENE
MERENTI. MEMORI
Æ. CAUSÆ. DONUM

DEDERVNT. AN. V. P. M. II

Erat autem sculptum ibidem Causæ, cum Causa esse debeat.

16 *Hoc amem, necesse est*] Rectius in manuscriptis omnibus, *Hæc amem, necesse est*; sudaria, scilicet.

17 *Ut Veraniolum meum, et Fabullum*] Nec male isdem in libris, *Et Veraniolum meum et Fabullum*.

CARMEN XIII.

4 *Non sine candida puella*] Idem alibi, 'Quamvis candida millies puella Euntem revocat.'

5 *Et sale*] Lepore, Facetiis.

6 *Hæc si, inquam, attuleris Fabulle noster*] In manuscriptis omnibus, *tenuste noster*, quod retinendum censeo.

7 *Nam tui Catulli, Plenus, &c.*] Summam inopiam sic, et egestatem significabant. Sacculum vero pro cru-

mena posnit. Placiades enim in Glossis crumenam sacculum interpretatur: 'In arca vero et sacco reponebant pecunias.' Juvenal. Sat. XI. 'Ignorat quantum ferrata distat ab arca Sacculus:' et Horat. 'Congestis undique saccis Indormis inhians.' Dicit ergo pecuniæ sibi tantum non esse, unde cenam parat.

9 *Sed contra accipies meros amores*] Ut alia ulla de re sermo sit omnino nullus, nihil nisi amores audiantur, id enim *meros amores* dicit. Sic 'meros honores' Horatius dixit, cum nihil illi inter se nisi honores et speciosos titulos alter alteri tribuentes loquerentur, II. Epist. ad Florum, 'Ut alter Alterius sermone meros audiret honores.' Possit etiam legi, *meos amores*, id est, meæ quoque amicæ copiam tibi faciam. Atque alibi idem Horat. 'Sulcos, et vineta crepat mera:' et Cic. Epist. ad Attic. lib. IX. 'Dolabella suis litteris Id. Mar. datis merum bellum loquitur.' Accipere vero, si illo modo interpretamur: sic dixit, ut et alibi, 'Nam quasdam volo cogitationes Amici accipiat sui meique.'

11 *Nam unguentum dabo*] Eadem utitur permutatione Horat. IV. Od. ad Vergil. 'Nardi parvus onyx eliciet cadum.'

14 *Totum ut te faciant, Fabulle, nasum*] Sic Martial. 'Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.'

CARMEN XIV.

2 *Munere isto Odissem te odio Vatiniano*] Propter id munus: ἐπὶ τῷδε τῷ δώρῳ. Odisse odio dicit, ut Græci, ἔχθος ἐχθαίρειν. Soph. Philoctete, Πλεῖς δ' ὡς πρὸς οἶκον, ἐκλιπῶν τὸ ναυτικὸν Σπράτευμ' Ἀχαιῶν, ἔχθος ἐχθήρας μέγα.

5 *Cur me tot male perderes pœtis*] In manuscriptis omnibus erat *malis*, pro *male*. Sed hoc omnino male.

6 *Isti Di mala multa dent clienti*] Malefaciant. Quale illud Metelli

Consulis in Nævium poetam, apud Ascon. Pedianum, 'Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.'

7 *Qui tantum tibi misit impiorum*] Dirarum. Græci opinor dicunt, 'Ανδρία' et eodem prope modo Aristoph. in Avibus dixit, 'Ανδρία τ' ἐπάθομεν.

8 *Norum, ac repertum*] Sic etiam in manuscriptis: mi legendum videbatur, *hoc norum, hoc repertum Munus*. Sic enim solet, ut alibi, 'In misero hoc nostro hoc perduto amore fore.' Et id videtur esse concinnius. *Munus* autem *repertum* dicit, in quod ille forte incidisset.

10 *Sed bene ac beate*] Sic sæpe Cic. 'Bene ac beate vivere;' ut Plato de Leg. lib. vii. Ζῆν εἶδ' τε καὶ εὐδαιμόνως.

11 *Quod non dispereunt tui labores*] Dispereunt, οἴχοιται. Sic Cic. ad Att. 'Non οἴχεται industria tua:' et apud Gellium Musonius, 'Ο μὲν νόσος οἴχεται.

12 *Di magni, horribilem, et sacrum libellum*] *Di magni*, quale apud Græcos, ὁ πόποι. Sic autem 'sacrum' dixit, ut et Afranius in Fratribus, 'O sacrum scurræ, et malum.'

13 *Quem tu scilicet ad tuum Catullum Misti, continuo ut die periret, Saturnalibus, optimo dierum*] Ego vero sic dispungo, *Quem tu scilicet ad tuum Catullum Misti continuo*. Deinde sequitur, *ut die periret Saturnalibus*, scilicet *optimo dierum continuo*. Nam Saturnalium diem unum fuisse, demonstrant Porcii Latronis verba in Orat. contra Catilinam, 'Quos vero,' inquit, 'tetenderit ibi conjurationis laqueos, aut quas catenas scelerum conflaverit nobis, ac facultatibus nostris, Saturnalium dies patefactura fuerat:' ac post, 'Præsto sunt Saturnalia nobis otiosus, atque oscitantibus, quem unum diem sæpenumero nuncupare solitus es eversorem superbissimi ordinis:' et Macrobius, multorum tamen varias ea de re sententias exponens, declarat, et diserte Festus Pompeius in verbo 'Quinquatrus,'

Delph. et Var. Clus.

'optimum dierum' dicit, ut et Plut. in Rerum Romanarum Quæsitis, Μεγίστην Ῥωμαίων ἑορτὴν τῶν Κρονίων.

16 *Non, non hoc tibi salse sic abibit*] Sic Terent. 'Mirabar, si sic abiret.'

18 *Cæsios, Aquinos*] Cæsii ejusdam meminit Cic. in Epist. ad Q. Fratrem, 'Si quis est,' inquit, 'eorum, qui tibi biennii spatio numquam in suspicionem venerit, ut ego Cæsius, et Cherippum, et Labeonem audio:' et in iii. contra Ver. 'Namque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos et M. Cæsius.' Aquini vero idem meminit in Tuscul. lib. v.

19 *Omnia colligam venena*] Sic inepta atque incondita vocabant Poëmata conviciantes. Hor. in ii. Epist. ad August. 'Defluxit numerus Saturnius et grave virus Munditiæ pepulere:' et in i. Serm. de inepto scurra, 'Proscripti regis Rupili pus atque venenum.'

22 *Illuc, unde malum pedem attulistis*] Lævum. Ovid. in Ibiu, 'Ominibusque malis, pedibusque occurrere lævis.' Contra Faustum pedem dixit Horat. in ii. Epist. ad Florum, 'I pede fausto.' Malum autem legere, *tulistis*, quam, *attulistis*: sic enim Terent. 'Numquam huc tetulisset pedem:' et Verg. 'Ferte citi Fauniquæ pedem, Dryadesque puellæ:' et Horat. 'Quam nec ferre pedem dedecuit choris.'

23 *Sæcli incommoda, pessimi poetæ*] Eodem modo 'sæcli luxuriam' Propert. opinor, dixit, 'Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ Turpior, et sæcli vivere luxuria.' Qui sequitur versus, 'Legistis, male me marem putastis,' et reliqui tres, alieno loco ponuntur.

CARMEN XV.

2 *Aureli, veniam peto pudentem*] Id est, ut Cic. loquitur pro Sex. Roscio Amer. 'Postulationem hanc adfero sane æquam:' significat enim se ab

Catul.

2 M

Aurelio rem petere, quam honeste ille negare non possit. Idem paulo post, 'Hunc nnum excipio, ut puto, pudenter.'

3 *Ut, si quicquam animo tuo cupisti*] Ennius, 'corde cupitus,' dixit. Sunt ejus illa, 'Ne sese dedit in conspectum corde cupitus. Quamquam multa manus ad caeli cœrula templa Tendebam lacrimans, et blanda voce vocabam. Vix ægrorum corde meo me somnu' reliquit.' Extremus versus sic opinor legendus, 'Vix ægro cum corde meo me somnu' reliquit.'

8 *In re prætereunt sua occupati*] Sic Terent. in Heautont. 'Tantum ne est otii tibi ab re tua?'

10 *Infesto pueris bonis, malisque*] Bellis, et non bellis; venustis, invenustisque.

11 *Quem tu, qua lubet, ut lubet, morcto*] In manuscriptis deerant illa verba, *ut lubet*; in meo erat, *Quem tu qualubet re morcto*. Scriptum fortasse fuit, *Quem tu, qualubet, ut velis, morcto*. Sed illud rectius. Simili concessione Plaut. utitur in Amphitruone, 'Ut lubet, quod tibi lubet, fac.'

12 *Ubi erit furis paratum*] In quod impetum facias. In Maffei quidem libro sic erat: in aliis, *tibi erit furis paratum*.

16 *Ut nostrum insidiis caput lacessas*] Nobis carissimum puerum. Pythagoram, opinor, solitum dicere, scribit Plut. φίλος ἄλλος αὐτὸς, ἴσους ἐμῇ κεφαλῇ.

17 *A te tum miseri, malique futi*] A interjectio sine aspiratione scribenda, ut est vetustissimis in libris. Etsi Græci & suum aspirant. Bionis enim adducit illud Stobæus, 'Ἐς ποσὸν & δειλοὶ καμῆτως κ' εἰς ἔργα πονεῦμες; Ἄτ' contra sine aspiratione apud Callim. Hymno in Dianam scriptum lego, & δειλὸς βασιλέων. Sed erudite, et copiose de toto hoc genere Hesychius, sui illius operis principio, et Suidas.

Malique futi] Malum fatum dicit etiam Sophocles in Œdipo Tyranno,

κακὰ νῦν ἔλοιτο μοῖρα. Et Moschus, Τί νύ μ' ἄδε κακῆ γονέες τέκον αἴση; Δύσμορος. Contra Boni homines fati 'Ολβιόμοιροι' quo sæpe verbo utitur in Hymnis Auctor is, qui falso Orpheus creditur. Et Callim. Boni fati mortales Εὐμοίρους dicit in Hymno in Delum. Simplicius in Epictetum, Bonum fatum dicit Εὐμοίριον. Valer. Max. lib. iv. de Amore Conjugalī, ac de Admeto agens ipso, dixit, 'Diri fati crimine.' Fatum melius dixit Juven. in Sat. xiv. 'Longa tibi posthæc fato meliore dabuntur.'

18 *Quem, attractis pedibus*] Cic. in vii. Epist. ad Volumm. sed aliud, opinor, significant, 'Trahantur,' inquit, 'per me pedibus omnes rei non laboro.' Idem fortasse significat apud Macrobinum Lucilius, 'Non male sic ille ut dico me extenderat unus:' et obsceni auctor Carminis, 'Trajectus conto sic extendere pedali, Ut culum rugas non habuisse putes.'

19 *Percurrent Rhapsanique, mugilisque*] Hoc quoque supplicii genus declarat ἐν Συναγωγῇ, Tarrhæus, et Didymus in verbo ᾧ Λακιάδη, his verbis: 'Ἐπὶ τῶν μοιχῶν λέγεται δῆμος γὰρ τῆς Ἀττικῆς οἱ Λακιάδαι ἐν ᾧ ῥαφανίδες πολλαί, αἷς ἐχρῶντο κατὰ τῶν ληρθέντων ἐνυβρίζοντες, καὶ στελεοῖς δὲ ἐχρῶντο μὴ παρουσῶν τοῦτων ἀναβάστοι.' Idem fortasse significat Flaccus 1. Serm. 'Ne nunni pereant, aut pyga, aut denique fama.'

CARMEN XVI.

4 *Quod sint molliculi*] Obscæni. Vibius Sequester de Fontibus, 'Salmacis,' inquit, 'Cariæ, ex quo qui bibit, mollescit,' id est, obscænus fit.

5 *Nam castum esse decet pium poëtam* *Ipsum*] Hoc adducit versus, et Plin. lib. iv. Epist. ad Paternum. et Appul. Apol. lib. 1.

7 *Qui tum denique habent salem, ac leporem*] Suavitatem habent. Plaut. in Asin. 'Quasi piscis, itidem est amator lænæ; nequam est, nisi re-

cens. Is habet succum, is suavitatem, eum quovis pacto condias.' Quod vero addidit, *leporem*, quid sallem dicant, explicat in eandem prope sententiam Plut. Symp. *Κινδυνεύουσι γὰρ οἱ ἅλεις τῶν ἄλλων ὑψων ὕψον εἶναι καὶ ἥδυσμα* διὸ καὶ χάριτας ἐνιοὶ προσαγορεύουσιν αὐτοῦς, ὅτι τῆς τροφῆς τὸ ἀναγκαῖον ἤδὴ ποιοῦσιν.

9 *Et quod pruriat, incitare possunt*] Eodem alibi verbo est usus, 'Prurit, et abjectis pervigilat tunicis:' et Martial. lib. 1. ad Cornelium in eandem prope sententiam, 'Lex hæc carminibus data est jocosis, Ne possint, nisi pruriant, juvare. Quare deposita severitate Parcas lusibus et jocis, rogamus: Nec castrare velis meos libellos. Gallo turpius est nihil Priapo:' et lib. XII. ad Rufum, 'Musæi patieissimos libellos, Qui certant Sybariticis libellis, Et tinctas sali pruriente Chartas.'

11 *Qui duros nequeunt movere lumbos*] Anctor obsceni Carminis, 'Nec dein movere lumbos in crocotula:' atque alibi, 'Crissabit tibi fluctuante lumbo.' Sequuntur hunc versum in manuscriptis omnibus, *Vos qui milia multa basiorum Legistis, male me marem putastis. Padicabo ego vos, et inrumabo.* Illi vero tres alii, 'Si qui forte mearum ineptiarum,' et qui sequuntur, absunt. et quidem hic alieno esse videntur loco.

CARMEN XVII.

1 *O Colonia, quem cupis ponte lædere longo*] In manuscriptis omnibus erat, *O Colonia, quæ cupis ponte lædere longo.* Legendum forte, *quæ cupis ponte ludere longo*; id est, quæ ludos facere, atque adparare vis.

2 *En salire paratum habes*] In manuscriptis omnibus, *Et salire*, et quidem habes jam paratum hominem ad salientium.

3 *Crura ponticuli, sub his totus inredireus*] In manuscriptis omnibus, *Crura ponticuli, ac sulcitantis inredireus.*

Ego vero legendum suspicabar, *Crura ponticuli assulis tantus inredireus Ne supinus eat.* Vereris, inquit, ne tantus homo, tamque vastus ex assulis, e quibus pons is esset factus, eat inredireus, id est, eo casu vitam amittat.

6 *Salisubsuli*] In manuscriptis, *Salisubsuli*, a Subsiliendo. Sed, cum in manuscriptis hic versus sic legatur, *In quo vel Salisubsili sacra suscipiant, In quo vel Salisubsilis sacra suscipiantur.*

7 *Munus hoc mihi*] *Munus*, ut in ludis, in quibus munera exhibebantur, feræ, gladiatores, et cetera ejus generis.

9 *Ire præcipitem in lutum, per caputque pedesque*] Id est, nulla ut ejus pars extet: sed altissimo luto totus obruatur. Sic Horat. 'Aliena negotia centum per caput atque pedes saliant.'

12 *Nec sapit pueri instar*] 'Nihil sapere,' dixit Cic. in Divin. contra Verr. 'Nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, nunquam proferet:' et in II. Philipp. 'Ut tanta mercede nihil sapere disceres.'

14 *Cui cum sit viridissimo nuptu flore puella*] 'Viridem Calain' sic dixit Phanocles in Elegia, *Θαλερόν δερκομέου Κάλαιν*, et ante hunc Hom. II. Δ. *ἤθεον, θαλερόν* et Horat. 'Ille virentis et Docte psallere Chlæ.' 'Florentem,' autem dixit Terentius, de florente ætate, 'Flos ipse.'

18 *Nec se sublevat ex sua parte*] Idem alibi, 'Ex parte reperta mea.' Sic et opinor Plato, *Τὸ σὸν μέρος*, dicit. Varro, 'Pro sua parte;' cujus verba sunt apud Non. Marcell. hæc: 'Si qui patriam, majorem parentem, extinguit, in ea est culpa, quod facit pro sua parte is qui se ennuchat.'

Sed velut alius] Simile videtur illud Homer. II. Δ. *ὁ δ' ἐν κοίῃσι χαμαὶ πέσειν, ἀγχείρος ὤς,* "Ἡ ῥά τ' ἐν εἰαμενῇ ἔλεος μεγάλοιο πεφύκει, Λέλη' ἀτάρ τε οἱ ὕξει ἐπ' ἀκροτάτῃ πεφύασιν. Τὴν μὲν θ' ἄρμα-τοπηγὸς ἀνὴρ αἰθωνί σιδήρω 'Εξέταμ'

ὄφρα Ἰτυν κάμψη περικαλλεῖ δίφρῳ, Ἡ μὲν τ' ἀζομένη κείται ποταμοῖο παρ' ὄχθας.

19 *In fossa Liguris jacet separata securi*] Legendum omnino, *supernata*, ut apparet e vestigiis iis, quæ sunt apud Festum, quem Antonius Augustinus, Episcopus Herdensis, novissime edidit. Nam in verbo 'Supernati' hæc adhuc leguntur fragmenta, 'Et Catu. fossa Ligari in.' Nec dubitandum, quin illud, *in*, fuerit, *ja*, principium verbi *jacet*; et *Ligari*, *Liguri*. Quamobrem miror extitisse, qui Politianum eo nomine reprehenderit, cuius castigatio Festi Pompei verbis et auctoritate nitatur. *Liguris* autem dixit, quod Ligures, qui ad Apenninum siti sunt, lignariæ negotiationi vel in primis studerent: quod facile intelligitur ex Julii Capitolini verbis quæ in Pertinace prima posuit.

20 *Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam*] Legendum suspicor non *quam si*, sed *quasi*: et stabit enim versus, et eodem modo, quo Ennius apud Varronem de Ling. Lat. lib. vi. dixerit, 'Tantundem quasi feta canes sine dentibus' latrat: apud Varronem tamen prave, opinor, legitur, 'Tantidem.' Et in verbo, *quasi*, ultima est anceps.

21 *Talis iste meus stupor*] Vitia ipsa pro vitiosis ponimus, cum insigniter, ac summe vitiosos significamus. Sic dictus olim a Bibaculo Orbilius Litterarum oblivio.

22 *Ipsæ quis sit*] Legendum e manuscriptis, *qui sit*.

23 *Hunc ego*] Legendum omnino ut est in manuscriptis omnibus, *Nunc eum*.

24 *Si potest olidum*] Recte Victorius, *Si pote stolidum*. Et eodem vero genere versuum Poëma illud Catulli in Priapum fuit, e quo versus tantum quatuor Priapei Carminis exempli causa Terentianus posuit, 'Hunc lucum tibi dedico, consecroque Pria-

pe, Qua domus tua Lampsaci est, quoque Priape: Nam te præcipue in suis urbibus colit ora Hellespontia, ceteris ostriosior oris.' Sed in secundo versus pes unus desideratur. Secundus autem pes Dactylus. Finalem enim vocalem prioris verbi excipiunt duæ principes consonantes litteræ sequentis, quod more suo, atque aliorum fecit Catullus.

CARMEN XXI.

1 *Aureli, pater esuritionum*] Quid Esuritio sit, indicant Martialis versus illi lib. v. ad Torannium, 'Post hæc omnia forte si movebit Bacchus, quam solet, esuritionem, Huc current tibi nobiles olivæ, Piceni modo quas tulere rami, Et fervens cicer, et tepens lupinus.' Sed Catullus alibi pro esurie, posuit: Sole, et frigore, et esuritione.

5 *Nec clam: nam simul et jocularis una, Hærens ad latus omnia experiris*] In manuscriptis omnibus erat, *Nec clam: nam simul exjocularis una, Hærens ad latus omnia experiris*. Ego vero sic legebam, *Nec clam: nam simul, et jocularis una et Hærens ad latus omnia experiris*.

6 *Omnia experiris*] Dispungendum hoc loco. Ut quod sequitur, *Frustra*, unum id verbum per se legatur. *Omnia* vero *experiri* dicebant in rebus iis, ad quas efficiendas omnem operant contulissent. Cæsar de Bello Gall. lib. vii. 'Omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt oppido fugere:' et Cic. ad Attic. lib. i. 'Quod ad me sæpe scripsisti de nostro amico placando, feci, et expertus sum omnia: sed mirandum in modum est animo abalienato.'

8 *Tungam te prius inrumatione*] Legendum, ut est omnibus in manuscriptis, *prius*, non, *prius*.

9 *Atqui, si id faceres*] In manuscriptis omnibus, *Atque ipsi faceres*: legendum videtur, *Atque id si faceres*.

11 *Ne meus puer*] In manuscriptis omnibus, *Me me*: legendum forte, *Me meus*. Ut ne absentem esuriat, ac sitiatur; quod eum laud paulo, quam tu, liberalius tractarem: quod tamen usquequaque non placet. Faërnus legendum putabat, *Ve meus*.

12 *Dum licet pudico*] Eodem modo Pudicum dixit Sueton. Nerone, 'Ex nonnullis comperi persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte pudicum esse.'

13 *Ne finem facias, sed inrumatus*] *Sed*, alieno loco positum videtur: itaque legendos hos duos versus putabam hoc modo, *Quare desine, dum licet, pudicus Ne finem facias, sed inrumatus: vel illo modo, Quare desine, dum licet pudico, Ne finem facias, sat inrumatus*. Nam pro varietate lectionis varie quoque dispungendum.

CARMEN XXII.

1 *Suffenus*] Dubito legendum ne sit, *Suffenas*; de quo Plin. 'Rheatini Trebulani, qui cognominantur Mutisici et Suffenates:' quæ dubitatio tolleretur, si de ultimæ syllabæ in verbo *Suffenas* quantitate constaret. Certe Volcatius Sedigitus in Iambis de Comicis Poëtis Spondæum quoque secundo loco ponere non dubitavit.

2 *Homo est venustus, et dicax, et urbanus*] 'Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus.' Cic. in Clodium, et Curionem, ut citat Rufinianus in exemplo Ironiæ.

4 *Puto esse ego illi*] Sic erat in Maffei libro, et in meo; in aliis, *Puto ego*, quod minime probandum.

5 *Nec scit*] In manuscriptis tribus, *Nec sis*: in uno, *Nec scit*: itaque legendum, ut autè Aldus impressit, *Nec sic*.

6 *Novi libri*] Nescio, an per 'libros' ipsa librorum tegumenta dicat, atque involucria.

7 *Novi umbilici*] De quibus Inter-

pres Horatii Epod. xiv. in illud, 'Ad umbilicum adducere.'

Lora rubra] Quibus stringerentur, et quasi clauderentur.

Membrana Directa plumbo] In manuscriptis omnibus, *Detecta*, non, *Directa*. Legendum videtur, *Derecta*: sic enim veteres, *Derigere* et *Derectus*, quod in meo vetustissimo Commentariorum Cæsaris exemplo videre est, et in veteri inscriptione, quæ est Romæ in Basilica Sancti Petri, in qua nomen equi, *Derector*: itaque ex *Derecta* factum *Detecta*: hodieque scriptores ad derigendum plumbo utuntur.

8 *Et pumice omnia æquata*] Compladata: sic Plin. 'silicem æquatam,' Nat. Hist. lib. xxxvi. 'Græci,' inquit, 'e lapide duro, ac silice æquato construunt veluti latericios parietes.'

9 *Hæc cum legas, tum bellus ille*] In manuscriptis omnibus, *Hæc cum legas tu*.

10 *Suffenus unus*] Hoc loco dispungendum censeo.

Caprimulgus] Ejusdem formæ est apud Callim. Hymno in Dianam, ἰσπηρολογῶν ἤγαγε Κιμμερίων.

11 *Tantum abhorret, ac nutat*] Tam dissimilis suorum est ipse ornamentorum, aut ipse sui, qui alioqui urbanus esset. Est autem in manuscriptis omnibus *mutat*, non *nutat*.

Tantum abhorret, ac nutat] Id est, a se ipse altero illo in genere differt, ac degenerat. Sic Gell. lib. ii. cap. 23. 'nutare' videtur posuisse. 'Sed enim,' inquit, 'postquam in manus Menander venit, a principio statim Di boni, quantum stupere, ac frigere, quantumque nutare a Menandro Cæcilii visus est.' Verbo ipso 'abhorre,' eodem modo Livius videtur usus in v. ab U. C. 'Tum septem et viginti virgines, longam indutæ vestem, carmen in Junonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus inge-

niis, nunc abhorrens, et inconditum, si referatur:’ et Q. Curt. lib. vi. ‘Turbae quippe captivæ femiuarum jubebantur suo ritu canere inconditum, et abhorrens peregrinis auribus carmen.’

12 *Hoc quid putemus esse*] Adeo ne quemquam sibi placere, et iis ornamentis indignissimos versus adficere?

Qui modo scurra, Aut si quid hac re tristius videbatur, Idem inficeto est inficetior rure: Simul poemata attigit] ‘Quid hoc putemus esse?’ Quasi idcat, An non mirandum, eum, qui nuper scurra et ridicula multa diceret, tam inficetos versus facere? In manuscriptis autem omnibus erat, *tristius*, non *tritius*, hoc enim post fecerunt Pontanus, aliique, quod ipsum placet, ut tritum scurræ sic dicat, ut Demosth. Æschinem *περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς*, Callidum scilicet, et versatum diu in eo genere. Nisi *tristius*, odiosus quis interpretari malit. Poëmata vero attingere, id est, poetica studia colere ac tractare, sic dixit, ut et Cic. Remp. ‘attingere.’ Et Sueton. in Caligula, ‘Militiam resque hellicas semel attigit.’

15 *Neque idem unquam Æque est beatus*] Cujusmodi fere sunt omnes *μουσοπάταιοι*.

16 *Ac poemata cum scribit*] Cum versus facit. Cic. in Pisonem, ‘Poëmata porro facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius.’

17 *Tam gaudet in se*] Horat. II. Epist. ad Florum de eodem genere, ‘Gaudet scribentes, et se venerantur amantque.’

18 *Idem omnes fullimur*] Accusativi figura, idque more Græcorum; vel sit *ἐλλειψις τοῦ κατά*.

CARMEN XXIII.

1 *Furi, cui neque serrus est, neque arca*] Idem post, ‘Isti, cui neque servus est, nec arca.’ Hæc autem omnia sunt egestatis argumen-

ta. Sic Lucil. apud Non. in verbo ‘Bulga.’ ‘Cui neque jumentum est, nec servus, nec coines ullus:’ et Cato apud Gell. lib. XIII. cap. 22. ‘Neque mihi ædificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est in manu pretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla. Si quid est, quo utar, utor: si non est, ego sum, cui per me uti ac frui licet.’ Erat autem in manuscriptis, *Furi, cui neque serro, neque arca*: quod scriptum forte veteri in libro fuisset, *serros est*.

Neque arca] Titinius apud Festum in verbo ‘Succerda,’ ‘Quid habes nisi unam arcam sine clavi? eo condid succerdas.’

4 *Dentes vel silicem comesse possent*] ‘Comesse,’ non ‘Comedere,’ fere dicebant. Favorinus apud Gell. de cena lauta, ‘Qui negant ullam avem, præter Ficulam, totam comesse oportere.’

5 *Est pulchre tibi cum tuo parente*] Idem post, ‘Pulchre convenit improbis cinædis.’

6 *Et cum conjuge lignea parentis*] ‘Ligneam’ dicit, ‘tenuem.’ Admonitus sum a Fulvio Ursino meo, sic ‘tennes’ etiam Græcis dici: apud Athenæum enim legerat Alexidis *ἰλιυδ*, *Ἀκρολίπαροι*, τὸ δ’ ἄλλο σῶμα ἀπόξυλον. Græci eodem modo graciles, ac macilentos *καννάβους* vocant; a ligno scilicet, ad quod certæ fingantur imagines. Lucret. lib. IV. ‘Nervosa et lignea Dorcas:’ Terent. ‘Puellas curatura junceas reddi,’ dixit, id est, tennes.

7 *Nec mirum*] Eodem modo post, ‘Nec mirum maculæ pares utrisque.’ Utrumque enim Poëma eodem versatur in genere.

8 *Pulchre concoquitis*] Id est, bene. Cato de Re Rust. ‘Farinam in mortarium indito, aquæ paulatim addito, subigitoque pulchre: ubi bene subegeris, defingito. Pulchre concoquitis:’ cibum scilicet. Varro lib. III. de Re Rust. ‘Bis die cibum dant,

observantes ex quibusdam signis, ut prior sit concoctus.'

12 *Atqui corpora sicciora cornu*] In duobus libris Maffei scilicet, ac meo, legebatur, *Aut qui*: legendum puto ad sententiam aptius, *Ut qui*. Cornu quoque comparat tenuissimam puellam auctor Lusus in Priapum: quod quia totum hujus est Poëma sententiæ, ponam: 'Uvis aridior puella passis, Buxo pallidior, novaque cera, Collata sibi quæ suisque membris, Formicas facit altiles videri. Cujus viscera non aperta Tuscus Per pellem poterit videre haruspex. Quæ succo caret ut putrisque pumex, Nemo viderit hanc ut expument, Quam pro sanguine pulverem scobemque in venis medici putant habere. Ad me nocte solet venire, et adfert Pallorem, maciemque larvalem. Ductor ferreus insularis æque Laternæ videor fricare cornu.'

19 *Purior salillo*] Ut 'salillum purum' Catallus, et Horat. et 'mortarium purum' Cato de Re Rust. dixit, 'Alicam in aquam fundito, ubi mollis erit, in mortarium purum indito.'

26 *Et sestertia, quæ soles precari Centum desine*] Ego vero sic distinguo, *Et sestertia, quæ soles, precari centum desine*.

27 *Nam sat es beatus*] In omnibus manuscriptis, *Satis beatus*; sed illud rectius.

CARMEN XXIV.

O qui flosculus es Juventilorum] In manuscriptis omnibus est, *Juventilorum*; quod est etiam ab aliis jam pridem animadversum: sed id quoque confirmari scriptorum librorum testimoniis, dicere volui. 'flosculus' vero dixit, illius præstantiam, atque excellentiam formæ significans. Sic idem alibi, 'Flos Veronensium deperunt juvenum.' Plaut. quoque Casina, excellentes Poëtas intelligens, dixit, 'Ea tempestate flos poëtarum fuit.' Et Theocr. τᾶμος ναυτιλίας μιμνάσκετο θεῖος ἄωτος Ἡρώων. Et sæpe

Pindarus ἄκρον ἄωτον, sic dicit.

4 *Mallet delicias mihi dedisses, Quam isti, cui neque servus est, nec arca*] In manuscriptis omnibus erat, *Mallet delicias mihi dedisses, Isti, cui neque servus est, nec arca*. Ea sane sententia: Mallet, inquit, tu homini divitias egenti darcs, quam paterere ab illo te amari: nam, 'mihī,' sic nonnunquam ponunt scriptores, cum suum id esse consilium significant, et iudicium interponunt suum: duriusculum tamen hoc loco sic positum videatur. sed aptius nihil in mentem veniebat: inconcinne enim *Quam*, particulam repeteret, et sententia esset ipsa sane inelegantior: sin hoc non probatur, videndum etiam, atque etiam mendose ne legatur hic versus.

6 *Quam sic te sineres ab isto amari*] In manuscriptis omnibus, non *ab isto*, sed *ab illo*; quod est ei, quam dixi, sententiæ aptissimum.

7 *Qui non est homo*] Legendum, puto, ac dispungendum hoc modo, *Cui non est. homo bellus, inquit est*. Bellum vero hominem dicebant elegantem atque urbanum. Sic Cic. lib. vii. Epist. ad Trebat. 'Ego si foris cenitarem, Cn. Octavio familiari tuo non defuissem, cui tamen dixi, cum me aliquotiens invitaret, Quis tu es? sed mercales, extra jocum homo bellus est:' et lib. i. ad Att. 'Durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem; et quam homines belli solent.'

9 *Hæc tu quamlibet abice, elevaque*] In manuscriptis omnibus, *Hoc, non Hæc*.

CARMEN XXV.

2 *Vel anseris medullula, vel inula mollicella*] In manuscriptis omnibus erat, *Vel anseris medulla, vel inula moricula*; et emendatum in nonnullis *moricilla*. Ego conjecturam faciebam legendum, *Vel anseris medullula, vel inula amuricilla*. Inulam enim amaram esse, Plin. docet lib. xix. 'Brevior,' inquit, 'his est, sed torosior amariorque inula, per se stomachi inimicissima.' Et

enim verbum scriptæ lectioni nullum hoc propius inveniri potest. Quod si quis inusitatum dicat, sciat apud Catullum esse etiam quæ sic nova dici possint, quod apud alios non reperiantur. Versus autem procedit ipse, et Tribrachus par Iambo ejus loco recte ponitur.

3 *Vel pene languido senis*] Retrito rutabulo, ut dixit Nævius apud Festum in verbo 'Rutabulum.' 'Nævius,' inquit Festus, 'obscenam viri partem describens, Vel quæ sperat se nupturam viro adolescentulo, ea licet senile tractet retritum rutabulum.'

Situque araneoso] Situ ipso araneoso nihil mollius, facillimeque omnium cedit ponderi.

5 *Cum Diva mater alites ostendit occinentes*] In manuscriptis sic legitur hic versus, *Cum Diva mulier aris ostendit oscicantes*: in aliis, *Cum Diva mulier alios ostendit oscitantes*. Videndum autem, an *Dira mulier* ab eo dicatur Juno, quæ præest aëri, cujus in primis aves mutationem sentiunt: qua de re multa Aratus, multa Vergil. Georg. 1. Mulier vero Juno sic ab eo dicatur, ut ab Horatio, atque aliis eadem Matriona dicitur. Faërnus de verbo *oscitantes*, sive *occinentes*, faciebat *oscinentes*; quod scilicet Oscines aves dicerentur quæ voce augurium facerent. Quomodo Horat. Od. III. 'Oscinem corvum' dixit. Itaque legendus sic forte sit hic versus, *Cum dira mulier aves ostendit oscinentes*.

6 *Remitte pallium mihi meum, quod involasti*] Involare, furari dicebant. Cornelius Fronto, de nominum, verborumque differentiis, 'Furtim,' et 'furaciter,' et 'furtive:' furtim, cum incipit, furaciter, quasi artificiose, a consuetudine involandi.'

7 *Catagraphosque Thynnos*] Thynnos in sudario *εικονικῶς* acu pictos fuisse significat, ut *εικονικῶς* aulæis Britannos intextos Vergil. ostendit Georg. III. 'Purpurea intexti tollunt aulæa Britannii.' *Καταγράφειν* enim est unguibus

et manibus quasi scribere, quo verbo Homer. utitur, 'Ἐγραψε χροά καλόν' et Herod. de partu læanæ utitur apud Gell. lib. XIII. cap. 8. de fetu namque læanæ scribit, 'Ὁ δὲ, ἔχων ὕνυχας θηρίων πολλὸν πάντων ὀξυτάτους, ἄμυσσει τὰς μήτρας, ἀξαναθρόνους τε δὴ πολλῶ μᾶλλον ἐξικνέεται καταγράφων' [Sed non hæc citat Gell. quem vide XIII. 7. et Herodot. III. 108.] et Theophrast. lib. II. Πλὴν ὑπὸ τὸν φλοιδὸν ὑποδύμενοι σκώληκες ἐπιπολῆς ἐγγράφουσιν. Sed hæc exempla magis ad ostendendam verbi 'scribo' significationem fortasse pertinent, quo statim utitur.

11 *Inusta turpiter tibi flagella conscribillent*] Plin. lib. XXXV. *κατάγραφα*, ut est quibusdam in libris, ut in aliis, *κατάλυφα*, obliquas imagines interpretatur: 'Quique inventa,' inquit, 'ejus excoluerit, Cimonem Cleonæum.' Hic *κατάγραφα*, invenit, hoc est, obliquas imagines: viderint alii, utrum in Plinio magis probent. Hoc e genere videtur esse, quod adducit Julius Pollux lib. VIII. c Sophocle, *Κατὰ τὴν δὲ παρ' Ἐυπόλιδι ἔστιν ἐν τοῖς Κόλαξι' καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ Ἰολκεῖ λέγοντι' ἀλλὰ καὶ λισογράφος τυλεία*.

Inusta turpiter tibi flagella conscribillent] Sic in manuscriptis, nisi quod pro *Inusta*, vitiose est *Insula*. Extremus vero pes omnino molestus: quod sit is pro Iambo Spondæus. Mihi vero veniebat in mentem verbi *conserillent*, a serilibus facti: quid ea sint, docet Festus.

CARMEN XXVI.

1 *Furi, villula nostra non ad Austri*] Hujus loci facetia in verbo *opposita*: ducitur enim ab ambiguo, cujus generis ut belle, et litterate dicta laudantur a Cic. Orat. lib. II. 'Ingeniosi enim,' inquit, 'videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere.' 'Opponere' autem est etiam Oppignerare, quo verbo sic accepto usus est Juvenal. Sat. XI. 'Lancibus oppositis.' Ex eodem prorsus genere est cum hoc Catulli, illud Bibaculi

apud Tranquillum de inlustribus Grammat. in Catonem; nam ut hic verbo ambiguo 'oppono' est usus, sic ille 'nodo:' est enim apud illum hoc modo: 'Catonis modo Galle Tusculanum, Tota creditor urbe venditabat. Mirati sumus unicum magistrum, Summum grammaticum, optimum poctam, Omnis solvere posse quæstiones, Unum difficile expedire nodum. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.' 'Opponere' etiam 'vento' dixit Plin. lib. xvii. sed idem aliter ac ceteri. A vento dixit opponere, nisi si mendii quid in verbis. 'Aquilone,' inquit, 'maxime gaudent, densiores ab afflatu ejus lætioresque, et materiæ firmiores.' Qua in re plerique falluntur, cum in vineis pedamenta non sint a vento eo opponenda, et id tantum a Septentrione servandum. Sic Verg. Georg. iii. 'Et stabula a ventis liberno opponere Soli.' Quibus ex verbis intelligitur, quid eodem modo locutus Plinius sibi voluerit.

O ventum horribilem atque pestilentem] Horat. 'nec pestilentem sentiet Africum.'

Horribilem] Δυσαιή, Hom. Ξὺν δ' Ἐβρός τ' ἔπεσε Ζέφυρος τε Νοτός τε δυσαιής.

CARMEN XXVII.

1 *Minister vetuli puer Falerni*] Ministrum absolute posuit Tibull. pro Pocillatore lib. iii. 'cessas, o leute minister? Temperet annosum Marcia lympham erum.' Horat. verbo 'ministrare' sic est usus, 'Mensa ministratur pueris tribus.'

2 *Ingere mi calices amariores*] Dactylum posuit κατ' ἀνάλυσιν Spondæi. Inger. vero Μεταφορικῶς, opinor, posuit. Vergil. proprie Æn. xii. 'Aut raptas fugientibus ingerit hastas:' et Horat. 'Tum pueri nautis, pueris convitia nautæ Ingerere:' et apud eundem, 'Trecentos ingeris ohe:' et Sueton. Nerone, 'Ingestæque aves, ac lemnisci, et bellaria.' Eo autem

verbo frequentiam et crebritatem significant rerum esculentarum, poculentarum, injectarum. Itaque hoc loco Calices ingerere, id est, quod ἄθρον τὸ ποτὸν εἰσχεῖσθαι: sic enim Xenophon loquitur Cyr. Pæd. lib. viii. Οὕτω δὲ ἡμεῖς ἦν μὲν ἄθρον τὸ ποτὸν εἰσχεώμεθα, ταχὺ ἡμῖν καὶ τὰ σώματα καὶ αἱ γυνῶμαι σφαλοῦνται. Nemesianus in Cynegetico sic ut Catullus, 'Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno Ingerit.' amariores vero quod dicit, eo vini præstantiam ac vetustatem significat; de quo Plin. lib. xxiii. 'Quo generosius,' inquit, 'vinum est, hoc magis vetustate crascescit, et in amaritudinem corpori minime utilem coit:' et lib. xiii. 'Vina primo dulcia austeritatem annis accipiunt, et rubra fiunt.'

4 *Ebriosa acina*] In manuscriptis, *Ebriosæ acino*. Legendum omnino de Gelli sententia, *Ebriosa acino*. Cic. tamen de Senectute, siquidem libri non fallunt, 'Acino vinaceo' dixit. 'Ebriosam' vero 'acinum' dicit ab effectu, quod ea, id est, vinum ipsum, ebrios faciat. Sic Tibull. lib. i. 'Sobria' dicit pocula quibus aquæ multum esset admixtum, 'at ipse bibebam Sobria supposita pocula victor aqua.' Plin. tamen, inebriari uvas, dicit Hist. Nat. lib. xiv. 'Conduuntur,' inquit, 'et musto uvæ, ipsæque vino suo inebriantur.'

6 *Vini pernicies*] Sic fere Σίνω dicunt Poëtæ Græci, ut Callim. quem admodum citat Interpres Apoll. R. Βῶων σίνω Εὐρηπύλοιο.

7 *Hic merus est Thyonianus*] Bacchus, quem Ovid. Met. iv. 'Thyoneum' vocat. 'Indetonsusque Thyoneus.' Ausonius ad Paulinum 'Thyonianum' etiam dixit. 'Accipe igitur,' inquit, 'opusculum de inconnexis continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum; ne in sacris et fabulis aut Thyonianum mireris, aut Virbium: illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reforma-

tum.' Interpres Lycophronis *Θείων* illum dici adfirmat; *Θείωνος*, inquit, *δ Διονύσιος*, quasi vini potens: quæ vox Thyonei non multum dissimilis.

CARMEN XXVIII.

1 *Pisonis comites*] De quo postea, 'Porci et Socration duæ sinistrae Pisonis scabies.' Is autem Piso prætor Hispaniam obtinuit: auctor Sallustius.

4 *Sulis ne cum isto Vappa*] Plin. lib. xiv. 'Vitiumque musto quibusdam in locis, iterum fervere: qua calanitate deperit sapor, vappæque accipit nomen probrosam etiam hominum, cum degeneraverit animus.'

6 *Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expensum*] Quod mihi accidit, qui refero datum lucello. Tabulas autem milites circumferebant, quæ consignabantur: secundum quas, opinor, stipendiuntur his denumerabatur. Plaut. in *Mil. Glor.* 'Videtur tempus esse, ut eamus ad forum, Ut in tabellis, quas consignavi hic heri latronibus, Ego denumerem stipendium.' Alii tabulas stipendiorum apud Quæstorem fuisse adfirmant. 'Patere' verbo hoc in genere Cic. est usus in *ii. Philippic.* 'Ubi est,' inquit, 'septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat:' et pro Roscio, 'Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit.'

8 *Refero datum lucello*] Singulare opinor hoc apud Catullum, 'referre datum;' sed jocus id ipse posebat; vel, *Refero datum*; id est, expensum fero lucello, ut pro lucro sumptum se fecisse dicat.

9 *O Memmi, bene me, ac diu supinum Tota ista trabe lentus inrumasti*] Hoc vero Poëma mihi quoque videtur factum de inconnexis continuum, de diversis unum; in manuscriptis enim libris, qui sequuntur versus, aliter leguntur, quos nonnulli antea, quo

cum his duobus cohærent, mutarunt etiam repugnante sententia: quod jam ostendemus. Hic vero Memmius is est Poëta, cujus et Ovid. meminit in *Trist.* lib. ii. 'Quid referam Tindæ, quid Memmi, carmen, apud quos Nomen adest rebus, nominibusque pudor:' et Gell. lib. xix. cap. 9. 'Nam Nævius implicata, et Hortensius invenusta, et Cinna inlepidata, et Memmius dura.' Credo ego eundem hunc esse C. Memmium, cujus asperrimis orationibus, ut inquit Suetonius, C. Cæsar non minore acerbitate rescripserat, eidemque suffragator mox in petitione Consulatus fuerit.

10 *Tota ista trabe lentus inrumasti*] Sic Afrianius in *Emancipato*, ut est apud Carisium, 'leute' posuit: 'Quam lente tractat me, atque inludit.'

11 *Sed, quantum video, pari fuisti Casu*] In manuscriptis omnibus non fuisti, sed fuistis: et quod sequitur, *num nihilo minore verpa Furti estis*: ut appareat hæc esse conjungenda, sejungenda vero et a superioribus illis versibus, et ab eo, quod sequitur, *Pete nobiles amicos*: ut fragmentum hoc sit, et avolsum aliunde; ut superiora illa. Qui vero sequuntur versus duo, *At vobis mala multa Di Deæque, Dent opprobria Romuli Remique*: hæc quoque *οὐδὲν πρὸς ἔπος*, et alieno loco ponuntur. Nec enim, si quis recte consideret, ullam omnia probabilem sententiam, et Catullo dignam efficiunt.

CARMEN XXIX.

1 *Quis hoc potest videre, quis potest pati*] Hi atque illi post, 'Pulchre convenit improbis cinædis,' &c. sunt versus illi, quibus Cæsar's perpetua imposita stigmata scribit Suetonius: sic enim scribit in C. Cæsar's Vita, 'Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisficientem eadem die adhibuit cenæ,

hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.' Et Plin. lib. xxxvi. 'Primum,' inquit, 'Romæ parietes operuisse totius domus suæ in Cælio monte Corn. Nepos tradit, Mamurram Formiis natum, præfectum fabrum C. Cæsaris. Neque indignatio sit tali auctore inventa re. Hic namque est Mamurra, Catulli Veroneusis Carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarior, quam Catullus, dixit habere quidquid habuisset comata Gallia.'

3 *Mamurram habere, quod comata Gallia Habebat et cuncta ultima Britannia*] Posterior versus in manuscriptis legitur, *Habebat cum te et ultima Britannia*. Ingeniose Faërnus ex *Cum te fecit Uncti*; ut sic legatur, *Habebat uncti et ultima Britannia*: idem enim alibi sic 'uncta' dicitur 'patrimonia.' Legi etiam possit, *Habebat ante et ultima Britannia*.

5 *Cinæde Romule*] In P. R. aut ipsum Cæsarem.

7 *Et ille nunc superbus, et superfluens*] Sic Cic. v. contra Verrem, 'Istum rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere, et abundare:' et Tibull. lib. II. II. 'Ut mea luxuria Nemesis fluat.'

9 *Ut albulus columbulus Dionæus*] In manuscriptis hic versus legitur hoc modo, *Ut albulus columbus aut idoneus*; itaque est in Maffei libro: in meo, *Ut ulbulus columbus aut ydoneus*. Itaque conjecturam faciebam legendum omnino, *Ut albulus columbus, aut Adoneus*. Sic enim Adoneum efferunt Latini. Plaut. Menæch. 'Ubi Aquila Catamitum raperet, aut ubi Vennis Adoneum.' et Ausonius in Myhobarbo, 'Ogygiæ ne Bacchum vocant, Osyrium Ægyptus putat. Mystæ Phænacem nominant: Dionyson Indi existimant. Romana sacra Liberum. Arabica gens Adoneum.' Sic Ulyseum et Achilleum dicebant; ac denique ea sic efferebant nomina, quæ in

eis Græcis desinerent. Romæ vetue monumentum vidi hujusmodi:

	D.	M.	
APHNIO	.	.	QVI
VIXIT.	ANN.	.	XIII
MENS.	XI.	.	DIEBUS
XVI.	ACHILLEVS.	.	ET
CLEOPATRA	.	.	PA
RENT.	FIL.	.	DVLCCISSI

et Horat. 'Nec cursus duplices per mare Ulyssci:' et idem, 'Currus Achillæi.' Nam cur penultimam in *Dionæus* corripiamus, contra omnium quotquot unquam eo verbo sint usi, normam? Vergil. enim quotiescunque est usus, produxit, 'Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:' et, 'Sacra Dionææ matri.' et Horat. 'Mecum Dionæo sub antro.' 'Album' vero 'columbum' dicit hunc pulchrum concubinum. Sic alibi 'Niveum columbum' dixit, 'Nec tantum niveo gavisus est ulla columbo Compar.' Sin autem 'columbum Dionæum' hoc omnino loco dici, ac retineri velimus, interpretemur Columbum Dionæum sic a Catullo dictum, ut ab aliis Pullum Jovis. Nam auctore Q. Fabio apud Festum Pompeium in verbis Pullus Jovis, puerum quem quis amabat, pullum ejus dicebant. Columbum autem Dionæum, qui et avis sacra Veneri sit, a qua Dea genus Cæsar ducere putabatur; quamvis Fabii verba non Pullus Jovis, sed Pullus ejus apud Festum legendum esse demonstrant: quod si est, illud omnino malim, et Columbum pro Pullo, id est, speciem pro genere, positam dicamus. Exstat autem apud Athenæum versus Alexidis, quo albus Veneris Columbus dicitur, 'Ὁ λευκὸς Ἀφροδίτης εἶμι γὰρ περίστερος. Itaque Catullus et verum expressit Alexidis, et Adonei illum pulchritudine atque elegantia cumulavit.

12 *Eone nomine Imperator unice*] Unicos Imperatores honoris causa dicebant. Sueton. Salvio Othone, 'For-

tissimum virum, unicum Imperatorem prædicantes.’

16 *Quid est? an hæc sinistra liberalitas?* In manuscriptis, *Quid est? alit sinistra liberalitas.* Faërnus ex eo faciebat, *Quid abstulit.* Ego vero, sic ut est in manuscriptis, lego, et interpretor, *Quid est alii* (quid est aliud) *sinistra liberalitas.* Et commode quidem reticetur nisi hoc: nam *alid*, sive *alit*, pro *aliud*, dixerunt antiqui; et eo nonnunquam Lucretius utitur: et ut in veteribus monumentis hodieque Romæ, et veteribus in libris ‘*aliut*,’ pro ‘*aliud*,’ legimus; sic illud etiam *alit.* Apud Soderinos enim Romæ, intra Augusti Mausoleum in veteri saxo est, HOC. EST. SIC. EST. ALIUT. FIERI. NON. LICET. Et sæpe in veteri Vergili exemplo sic legebam.

17 *Parum expatratit?* Indignatur, *an parum expatratit.* Sic etiam Suetonius, ‘*Paternas facultates consumpsit, et expatratit.*’ Qua de re etiam Plut.

An parum helluatus est? Citat Calphurnius Brixienis versum hunc Heautont. Terentii interpretans, Hello, Vorax, inquit, Catull. in Cæsarem, ‘*An parum helluatus est.*’ ‘*An*’ vero particula sic usurpatur ab optimis auctoribus, cum quid *ἐμπατικῶς*, sive *ἀγανακτικῶς* dicunt. Corn. Tac. Ann. xi. ‘*An parum, quod Veneti, et Insubres curiam intruperint, nisi cætus alienigenarum velut captivitas inferatur:*’ et Ovid. in Epist. ‘*An si quis rapiat stabulis armenta reclusis, Arma ferat, rapta conjuge lentus eris.*’

18 *Paterna primum?* Placet Hadriani sententia, qui legendum putavit, *prima*, quo sint omnes Iambi pedes.

21 *Hunc Gallia timent, timent Britannia?* In manuscriptis, *Hunc Gallia timent, et Britannia.* Sed sic tamen, ut inter verbum *Timet*, et id quod sequitur, paululum quid desit. Ita-

que acute Faërnus legendum conjiciebat, *Hunc Gallia timentis, et Britannia;* quod etiam faciebat probabilius, quod Gellium meminisset in extremo xviii. libro scribere Metricorum id esse præceptum, duos primos pedes, item extremos duos, habere singulas posse integras partes orationis, medios haud umquam posse: quod accideret, si sic hunc versum, ut est impressus, legeremus, et alienum id foret a consuetudine Catulli, quam semper tenuit in Senariis; nusquam enim contra metricorum hoc præceptum fecit. Nam monosyllaba cum sequentibus sic coherent, ut ejus partes esse videantur. contra hoc præceptum fecit Volcatius Sedigitus in Iambis, quos de Comicis Poëtis scripsit, ‘*Si quid quarto detur, dabitur Licinnio.*’ Si modo versus depravatus non est. Britannias vero ut Gallias multitudinis numero dixit Plin. lib. xxxiii. ‘*Gallia, Britanniaque inde modico dicuntur usæ.*’

23 *Nisi uncta devorare patrimonia?* Sic etiam Macrobius est locutus Saturn. lib. iii. ‘*Et ut,*’ inquit, ‘*taceam Gurgitem, a devorato patrimonio cognominatum.*’ Insigne vero illud, quod et Cic. de Cæsaris rapinis in Offic. lib. ii. scripsit, ‘*Cæsar,*’ inquit, ‘*suos non poterat remunerari, nisi divites bonis spoliarentur ab illo.*’

Socer, generque? In Pompeium, etiam, ut videtur, hoc extremum.

CARMEN XXX.

1 *Atque unanimis false sodalibus?* False, active, qui fefellerit. Sic Verg. Georg. i. ‘*Sol tibi signa dabit; solem quis dicere falsum Audeat?*’

2 *Dulcis amiculi?* Horat. ‘*Dulcis amicis occurram in triviis.*’ Amiculus, idem Horat. ‘*Pauper amicus:*’ et Plaut. in Cistellaria, ‘*Amiculum hoc sustolle saltem.*’

3 *Jam ne prodere, jam non dubitas fallere perfide?* In manuscriptis, *Jam*

me non dubitas. Me, cum supra positum fuisset a Grammatico, interpretante hæc ipsa, inrepsit inde in contextum.

4 *Nec facta impia]* Nec, pro Non, posuit more veterum. Cic. de Leg. lib. III. 'Magistratus nec obedientem, et noxium civem multa, vinculis, verberibusque coercendo.'

6 *Eheu, quid faciant, dico, homines, cuire habeunt fidem]* Sic etiam erat in manuscriptis. Pontanus, pro dico, fecerat dic. Ego legendum putabam, dehinc homines: aptius id mihi videbatur sententiæ, et mutatio non magna.

7 *Certe tute jurabas animam tradere]* In manuscriptis, ut multis in impressis, non jurabas, sed jubebas. Illud enim est contra legem carminis. Sic idem alibi, 'Non hoc miseram sperare jubebas.' et Verg. 'Quid me cælum sperare jubebas?' Animam vero tradere, id est, summam meam tibi voluntatem deferre, nihil ut reliqui esset meum, quod eodem jure tuum non foret. Sic de eo, qui nihil non debet, Animam debere, dicit Comicus.

8 *Inducens in amorem]* Tanquam in laqueos. Sic Tibull. 'Semper ut inducar, blandos offers mihi vultus.'

9 *Idem nunc retrahis te]* Sic Horat. 'At ne te retrahas.'

Ac tua dicta] Promissa. Idem alibi, 'Qui dum aliquod cupiens animus prægestit apisci, Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt. Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est, Dicta nihil metuere, nihil perjuriam curant.'

10 *Ventos irrita ferre ad nebulas ærias sinis]* Legendum omnino, ut est in manuscriptis, 'Ventos irrita ferre, ac nebulas ærias sinis.'

11 *Si tu oblitus es, ad di meminerunt, meminit fides]* In manuscriptis, ut di meminerunt. Illud itaque probabilis: sic Vergil. 'At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.'

Meminit fides] Cic. de Leg. lib. II.

'Ast olla, propter quæ datur homioi ascensus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunt, nec ulla vitiorum sacra solcinnia obeunto.'

CARMEN XXXI.

1 *Peninsularum Sirmio, insularumque Ocelle]* Locus hic multis optimorum auctorum similibus exemplis a Petro Victorio est illustratus. Ad dam præterea Sapphus illud apud Achillem Tatium in lib. II. de Leucippes et Clitophontis amoribus, de Rosa, Γῆς ἐστὶ κόσμος, φυτῶν ἀγλαΐσμα, ὀφθαλμὸς ἀνθρώπων. Plin. lib. III. simile quiddam significare videtur; 'Ab altero,' inquit, 'ejus latere ad Padum annem ditissimum omnia nobilibus oppidis nitent.'

3 *Marique vasto feret utevque Neptunus]* Superum inferumque mare; vel, Tyrrhenum mare atque Oceanus.

5 *Thyniam atque Bithynos Liquisse campos]* Idem utrunque Claudianus, 'Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.' Sed Thyniam barbaros dicere, quam Græci Thyniada, scribit Appoll. Grammaticus lib. II. cujus hæc sunt: Περὶ τῆς Θυνιάδος νήσου προεῖρηται. ἦς μέμνηται Νύμφης ὁ Ἡρακλεώτης. Φησὶ δὲ αὐτὴν ἐπτά σταδίους ἔχειν τὸν περίμετρον. Καλλισθένης δὲ, ἐν τῷ περίπλῳ, ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων φησὶ προσαγορεύεσθαι τὴν τε χάραν καὶ τὴν νήσον Θυνιάδα: ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Θυνίαν. A Thynia Sinus Thyniacos fecit Ovid. Trist. I. 'Thyniacosque sinus, et ab his per Apollinis urbem.' Bithynia dives a Manilio dicitur Astronomicon lib. IV. Bithynos campos, ut ante Phrygios campos dixit.

7 *O quid solutis est beatus curis]* Sic et Vergil. loquitur Georg. I. 'Indulget genialis hyems, curasque resolvit:' et Sappho in Asmate in Venerem, Ἐλθέ μοι καὶ νῦν, χαλεπῶν δὲ λύσον Ἐκ με μεριμῶν: et Martial. lib. X. 'Nox non ebria, sed soluta curis.'

Solntis autem, id est, solntis hominibus curarum pondere ac magnitudine.

9 *Venimus larem ad nostrum*] Sic Cic. ad Att. lib. XVI. 'Ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum.'

12 *Salve o venusta Sirmio*] Eodem modo Aristophanes in Georgicis, ut citat Hephæstio de pæonico metro, ὦ πόλι φίλη, Κέκροπος αἰτοφυῆς, Ἀττική χαῖρε λιπαρὸν δάπεδον, οὖθαρ ἀγαθῆς χθονός.

Atque hero gaude] Mihi gaude. Vel ut illud, Gaude hæc sorte tua, quod me receperis.

13 *Gaudete vos quoque Lydiæ lacus undæ*] In manuscriptis etiam nonnullis, *Gaudete vosque Lydiæ lacus undæ*. Lydium lacum Benacum dicit. Etenim transpadanam regionem Veronam usque Tuscos tenuisse aiunt. Lydii vero Tusci dicuntur, quo modo accepit Vergil. Æn. II. 'Ubi Lydius arva, Inter opima virum leni fluit agmine Tiberis:' et lib. X. 'Classem conscendit jussis gens Lydia Divum.' Causam docet Servius.

Ridete quidquid est domi cachinnorum] Sic dixit 'Cachinnum ridere,' ut et Ridere risum, et Gaudere gaudium, dicunt optimi auctores. Cachinni vero de aquis cur dicantur, alibi pluribus verbis docebimus.

CARMEN XXXII.

3 *Jube, ad te veniam meridiatum*] Meridiari nonnumquam in obscenis est; significat enim rem cum amica habere: sic alibi, 'Quanta gaudia, quæ vaga Nocte, quæ media die Gaudas.' Eodem modo et Græci διημερεύειν. Cleomedes enim Περὶ κυκλικῆς θεωρίας de Epicuro, Καὶ τὰς παλακίδας, μεθ' ὧν ἐπὶ ταῖς κλίμαις διημερεύεις: et Ovid. nisi fallor, in eodem genere, 'Provenient medii sic mihi sæpe dies.'

4 *Illud adjurato*] Adde 'ad id.' Sic prope Livius eodem verbo utitur

lib. II. ab U. C. de bonis Tarquini Regis; 'Ne non reddita,' inquit, 'belli caussa, reddita belli materia et adjumentum essent.' Ac post, de insula in Tiberi, 'Postea additas credo moles, manuque adjutum.'

5 *Ne quis liminis obscet tabellam*] Sic legendum e manuscriptorum consensu. Obserere tabellam, perinde est ac si dixisset, Obdat pessulum ostio.

9 *Verum, si quid ages, statim jubeo*] 'Statim' id significare hoc loco videtur, quod, re perfecta, continuo: quasi id dicat, Simul id quod agis confeceris, statim ad me mitte. Nonius, 'statim,' id est, perseveranter, priore ait esse producta: sed id alii videntur.

10 *Nam pransus jaceo, et satur supinus Pertundo tunicamque pulliumque*] Sic etiam in manuscriptis. At ego haud paulo concinniores fieri sententiam existimo, si pro *satur, sathe* legamus; quod verbum Græcum quidem est ipsum, sed quo etiam, ut nonnullis aliis, usus Catullus videri possit; significat autem membrum virile: auctor Macrobi. Satur. I. Sed verbo 'pertundere' idem proprie utitur: ab hoc enim verbo Deæ Pertundæ nomen finxerant. Auctor Arnob. Adversus Gentes lib. IV. 'Etiamne Pertunda,' inquit, 'quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis,' &c.

CARMEN XXXIII.

1 *O furum optime balneariorum*] Optimum furum, id est, furum omnium furacissimum, et furandi magistrum. In balneis autem fures versari solitos, etiam Epicetetus in Enchiridio, Ἐὰν λουσόμενος ἀπίης, πρόβαλε σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλαναίῳ, τοὺς ἀποβραίνοντας, τοὺς ἐγκρουμένους, τοὺς λοιδοροῦντας, τοὺς κλέπτοντας. Et in furem balnearium dictum extat Diogenis ἐπ' ἀλειμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἰμάτιον. Fures balnearum, dicit etiam Tertullia-

nus in extremo libro de fuga in persecutione.

3 *Nam dextra pater inquinatiore]* Comparativis utitur pro primitivis. Inquinatas, autem manus vel propter furta, vel obscenitatem aliquam dixit, qua se ille dexteramque coinquinaret.

CARMEN XXXIV.

1 *Dianæ sumus in fide Puellæ, et pueri integri]* Integros dicit virgines, intactos: quod ita esse, cum aliorum, tum Cn. Gellii verba e III. Annali illa apud Gellium lib. XIII. cap. 21. ostendunt, 'Uti nos itidem integras raperent unde liberos sibi, et suis posteris patriæ pararent.'

3 *Dianam pueri integri]* Impressit hunc olim versum Aldus, qui tamen nullo est in manuscripto. Itaque addititium pnto, atque alienum, ac germanum Catulli versum desiderari.

7 *Quam mater prope Deliam Deposuit olivam]* Petrus Victorius, singulari doctrina vir et industria, primus docuit legendum hoc loco, *Deposivit*, antiquorum more.

9 *Montium domina ut fores]* Eurip. Iphigenia *Δίκτυνν' ὄρπελα*. Horat. 'Montium custos nemorumque virgo.'

12 *Anniumque sonantium]* Sic etiam Græci sonantes fluvios vocant, ut est in Sibyllæ Acrostich. *Σὺν πηγῶν ποταμοὶ καχλάζοντες λείπονσι*: et Theocritus Ptolemæo, *καὶ ποταμοὶ κελᾶδοντες*: et Vergil. 'Transque sonantem Ascanium:' et *Æn.* XII. 'Stagnis quæ fluminibusque sonoris Præsidet.'

13 *Tu Lucina dolentibus]* Ὀδινούσας. Dolores etiam in hoc genere videtur dicere Festus in verbo 'Molucrum.'

15 *Tu potens Trivia]* Hæc de Diis dicebantur, 'Potens,' 'Pollens,' 'Potentiæ,' 'Potestates.' Auctor Arnobius.

Et notho es Dicta lumine Luna] Eodem modo Lucret. lib. v. 'Lunaque

sive notho fertur loca lumine lustrans, Sive suam proprio jactat de lumine lucem.' Quinctilianus, opinor, testari Catonem in oratione quadam scribit, Latinum se nomen pro eo quod est non habere. Quamobrem Græco verbo sunt usi Lucretius et Catullus.

21 *Sis quocumque placet tibi Sancta nomine]* Expressisse sic videtur id, quod in extremis Hymnis fere ponunt Græci Ποῦτᾶ, χαίρε.

23 *Antiquam]* Uno in manuscripto, *Antiqui*, ut ad Romuli referatur.

Bona Sospites ope gentem] Sic post, 'Salve, teque bona Jupiter auctet ope.'

CARMEN XXXV.

4 *Lariumque litus]* Cato in Originibus ait Larium lacum vicinum Alpibus per sexaginta tendi miliaria. Hæc Servius, 'Itaque litus dixisse propterea videri possit, quamquam de fluminibus litus etiam dicitur.' Vergil. 'Quique Numici Litus arant.'

7 *Viam torabit]* Ἰδιωτικῶς hoc opinor. Alii, 'Viam,' et 'spatium corripere.'

8 *Quamvis candida millies puella Euntem rerocet]* Similiter Horat. 'Et nisi cena prior, potiorque puella Sabinum Detinet.'

11 *Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur]* Similiter Pollio apud Cic. Epist. lib. x. 'Nam et robur et suboles, militum interiit, siquidem, quæ nuntiantur, ulla ex parte vera sunt.'

12 *Illum deperit impotente amore]* Deperit, perditte amat. Placidus Gramm. in Gloss. Idem Catullus alibi, 'Cælius Aufilenum, et Quinctius Aufilenam Flos Veronensium deperunt juvenum.' Terent. in Heantont. 'Minimeque miror Clinia hanc si deperit.' Plaut. in Mil. Glor. demori dixit. 'Non me,' inquit, 'dico, sed heram meam, quæ te demoritur.'

Impotente amore] Impotente. Catullus: *Deperit impotente amore*: quod itaque dictum notat Plinius. Carisius lib. 1. 'Impotens, impos, vel sine potentia: interdum præpotens.' Placidus in Glossis.

14 *Ex eo]* Sneton. in Domitiano absolute posuit, 'Neque cessavit ex eo insidias struere fratri clam, palam.'

CARMEN XXXVI.

1 *Annales Volusi]* Malivolentia fecisse Catullum apparet, si quidem hic est Volusius, de quo et Vatinius in Epistol. ad Cic. honorificentius videtur sentire; 'Defenditur,' inquit, 'a Quint. Volusio tuo discipulo, si forte ea res poterit adversarios fugare, in eo maxima spes est:' et Corn. Tacitus Ann. III. de L. Volusio; si forte hic idem est, de quo Catullus. 'Fine anni,' inquit, 'concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen præturam egressa: ipse consulatum intulit: censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus; opumque, quis domus illa immensum vigit, primus accumulator.'

3 *Nam sanctæ Veneri]* Idem post, 'Quem neque sancta Venus:' et Ennius Ann. 1. 'Te nunc sancta precor Venus, et genetrix patris nostri:' et idem Catullus post de Cupidine, 'Sancte puer.' De aliis quoque Divis eodem modo, ut Romæ in Divi Pauli:

DI. SECVRITATIS
Q. VIBIVS. HERMA
ANTISTES
SANCTI. SILVANI
ANNVM. AGENS
LXX. FECIT
SIBI. B. B

Et Interamnæ apud Statium Donatum,

JVLIO. EVBYLIDAE
C. V. CORR. TVSCIAE

XVIRO. PRAEFECTO
AERARII. S. SATVRNI
OB. INLVSTRIA. IPSIVS
MERITA. ET. AMOREM. IVX
TA. CIVES. ORDO. INTE
RAMNATIVM. PATRONO

5 *Vibrare iambos]* Apte ad Iamborum *ἔτυμον, παρὰ τὸ Ἰαμβίζειν.*

7 *Scripta tardipedi deo daturam]* Quæ scripta perire volumus, hoc fere modo perdimus. Tibull. lib. 1. 'Illa velim rapida Vulcanus earmina flamma Torreat:' et Propert. lib. IV. 'Et quoscunque meo fecisti nomine versus, Ure.' et Ang. de Vergili scriptis, 'Ergo ibit in ignes, Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis.' Tardipedem deum, id est Vulcanum, etiam dixit Columella lib. x. de Cultu Hortorum, 'Quin et tardipedi sacris jam rite solutis Nube nova seritur.'

8 *Ustilanda lignis]* In manuscriptis omnibus, *ustilanda*: quæ opinor vetus est, et vera scriptura.

9 *Et hoc pessima se puella vidit Jocose et lepide vorere divis]* In manuscriptis omnibus, *Et hæc pessima se puella vidit Jocose, lepide vorere divis.* Atque in nonnullis etiam non hæc, sed hoc.

11 *Nunc, o cæruleo creata ponto]* Versus antiqui Poëtæ citatur a veteribus Grammaticis hic, 'Candida cæruleo nota Venus pelago.'

12 *Quæ sanctum Idalium, Uriosque apertos]* Aldus olim pro *Urios, Erios* impressit; de sententia, credo, Petri Bembi, quem audio ita sensisse legendum hoc loco: ac dictos populos sic ab Eria, conditore templi Veneris Paphiæ. Ego vero suspicor legendum *Arios*: de quibus Strabo, lib. XI. Qui populi vel in solitudine sunt, de qua eo ipso loco Strabo, vel Ereino proximi. Eos autem apertos dicit, quod is locus vastus, nec ullis sit consitus arboribus: scribit enim, *Μεταξὺ δὲ αὐτῶν καὶ τῆς Ἰρκανίας καὶ τῆς Παρθυαίας, μέχρι Ἀρίων, ἔρημος κεῖται πολλὴ καὶ ἄνυδρος.* Quibus in locis etiam

Venerem ἀναΐδα coli, idem Strabo docet.

13 *Cnidumque arundinosam Colis, quæque Amathunta*] Ovid. Met. x. de Venere, 'Piscosamque Cnidou, gravidamque Amathunta metallis.'

17 *Si non inlepidum neque invenustum*] Idem alibi, 'Non sane inlepidum, neque invenustum.'

18 *Venite in ignem*] Eodem modo Propert. lib. II. 'Inque tuos ignes, dure poëta, veni.'

19 *Pleni turis, et inficetiarum*] Quod Turis sine aspiratione veteres scribebant, factum similitudine utriusque litteræ, ut alii aliud legerint. Sed et utrumque legi potest. Turis, quod chartis etiam tus et odores involuti darentur emptori. Horat. 'Deferat in vicium vendentem tus et odores.' Sed et ruris legi potest, eodem Horatio auctore; cujus in eadem ad Augustum Epistola, et hæc ipsa sunt, 'sed in longum tamen ævum Manse-runt, hodieque manent vestigia ruris:' et idem Catull. alibi, 'Idem inficeto est inficetior rure.' Inficetum autem, non infacetum, veteres dixisse constat. Sic in veteri exemplo Plin. lib. xxxv. 'Ostendens in tabula inficetissime Gallum exerentem linguam:' et Solinus cap. I. 'Non inficete Toramius.'

CARMEN XXXVII.

1 *Salax taberna, vosque contubernales*] In tabernis fere perditii homines versabantur. Porcius Latro contra Catilinam, 'Quæ vero non tabernæ potius, aut qui non greges infamium hominum Sibillinum istum principem concelebrarunt.' Atque idem Catullus alibi, si Aldinum sequimur lectionem, 'Te quasivimus in minore campo, Te in circo, te in omnibus tabernis.' Verbum autem militare, 'Contubernales.' Vegetius lib. II. 'Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo, quod conjunctis manibus pariter dimicabant:' atque alibi,

Delph. et Var. Clus.

'Erat decani, qui decem militibus præpositi, nunc Caput contubernii vocantur.'

2 *A pileatis nona fratribus pila*] 'Pileos Castori et Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos est.' Fest. Pomp. At Mart. etiam Parthos pileatos dicit lib. x. 'Ad Parthos procul ite pileatos.' Arnob. Adversus Gentes lib. vi. Pileum etiam Vulcano tributum significat, 'Cum pileo,' inquit, 'Vulcanus et malleo.' Ego vero nummum sæpe Romæ vidi argenteum, cujus in parte altera verbum erat ROMA. in altera fratres hi pileati, equis insidentes ac præfulgentibus stellis.

5 *Et putare ceteros hircos*] Vel, nondum maturos, atque aptos Veneri, vel, aptos tantum glubere.

6 *An, continenter quod sedetis insulsi*] Sedere, in obscenis est.

10 *Frontem tabernæ scipionibus scribam*] Στιγματίζειν id Græci dicunt. Eodem modo Macrobi. Saturn. I. 'Servus compeditus inscripta fronte.'

11 *Puella nam mea, quæ meo sinu fugit*] Sic prorsus legendum, cum omnibus in manuscriptis sit, *Puella nam, me quæ meo sinu fugit*. In uno quidem, *Quæ meo e sinu fugit*, Fugisse e sinu dicit, quam valde amaret. Terent. in Adelph. 'Hic non amandus, hicine non gestandus in sinu.'

13 *Pro qua mihi sunt magna bella pugnata*] Sic Græci et Latini veteres loquebantur. Demosth. περὶ Στεφάνου. Οἱ πόλεμον συνεχῆ καὶ μακρὸν πολεμοῦντων ὑμῶν: et Xiphilinus, sive potius Dio, Πόλεμος πολεμῆται: Verg. Æn. VIII. 'Pugnataque in ordine bella:' et Lucil. apud Donatum in Commentationibus in Eunuch. Terentii, 'Vicimus, o socii, et magnam pugnavi' pugnami:' et idem Donatus in Adelph. verba interpretans illa, 'Vitam duram, quam vixi,' ἀρχαῖσμός inquit: ut Lucil. 'magnam pugnavi' pugnami.'

16 *Et semitarii mæchi*] Sic in ma-

Catull.

2 N

nuscriptis omnibus. 'Semitarii,' autem, in semitis usque versantes, viles, abjecti; qui tenuiorum uxores in semitis sectarentur; aut qui cenas et prandia captarent in semitis. Cic. Offic. lib. II. 'Et, si quando aliqua res major atque utilior populari largitione adquiritur, ut Oresti nuper prandia in semitis decumæ nomine magno honori fuerunt.'

17 *Tu præter omnes, une de capillatis Cuniculose Celtiberiæ fili*] His Catulli versibus Caper Grammaticus *une* vocandi casu dictum a veteribus ostendebat: auctor Priscian. lib. v. apud quem posterior versus aliter legitur, prave omnino, *Celtiberose Celtiberiæ fili*.

19 *Egnati, opaca quem bonum facit barba*] Bonum, *καλόν*, pulchrum, ut sæpe alibi; ut Terent. in Phorm. 'Ut, ni vis boni in ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent:' et Propert. lib. II. 'Palladis aut oculos ausa negare bonos.' 'Opacam barbam' dicit illum *βαθυπύγωνα, καὶ βαθυχαίταν* significans. Verbo 'opacare' eodem in genere est usus Pacuvius apud Festum Pompeium in verbo 'Genas,' 'Nunc primum opacat flore lanugo genæ:' et Soph. Trachiniis idem prope quod Catullus de Acheloo fluvio, 'Ἐκ δὲ δασκίου γενειάδος Κρουνοὶ διεββαίνοντο κρηναίου ποτοῦ.'

20 *Et dens Ibera defricatus urina*] Ab eodem verbo, 'defricate.' Nævius in Tarentilla, 'Facete et defricate.'

CARMEN XXXVIII.

1 *Male est, Cornifici, tuo Catullo*] Cornificium Poëtam etiam fuisse, declarat Ovid. Trist. II. 'Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser: Et leve Cornifici, parque Catonis opus.' Atque *is*, opinor, est Cornificius, ad quem tot extant Cic. Epistolæ. Versus ejus ponit lib. VI. Macrobi. 'Diducta mi voce garrienti:' et e Glauco ejus hos, 'Centauros

fodere bimembres, Caprigenumque genus nullo custode per herbas.' Loquitur autem eodem modo Plaut. Cistell. quo hic Catullus, 'Male excrucior Gymnasium mea: male mihi est, male maceror.'

2 *Merchule*] Scriptum fortasse fuit *Merchule*, quomodo in vetustissimis libris scriptum animadverto. Sed et illud stare etiam potest. *E* vero finalem syllabam non elisit.

3 *Et magis magis*] Sic alibi, 'Post vento crescente magis magis increbrescent.'

5 *Qua solatus es adlocutione*] 'Adloqui' et 'hortari' pro 'consolari,' nonnumquam ponebant: quo de nos in Commentationibus in Horat. Græci Ποῦτᾶ, Παραίφασιν et Παραμυθίαν. sic in hoc genere, ut Latini 'adlocutionem' dicebant. Naumachius apud Stobæum, 'Ἄνδρι γὰρ ἀσχαλόωντι παραίφασις ἔστιν ἄκοιτις.'

6 *Irascor tibi*] Dispungendum hoc loco. Eodem modo Statius Silv. lib. IV. in risu Saturnalitia ad Grippum, 'Irascor tibi, Grippe.'

Sic meos amores Paulum] Et hoc loco distinguendum.

7 *Quid lubet adlocutionis*] Versum desidero qui post hunc sequeretur; nisi si cui videtur *Mestius* in *Misisses*, mutandum, ea sententia, Saltem aliquid solatii et adlocutionis misisses lacrimis Simonideis, id est, meis.

8 *Lacrimis Simonideis*] Τοὺς θρήνους intelligit Simonidis; qui et ab Interprete Theocriti et Stobæo citantur.

CARMEN XXXIX.

1 *Egnatius, quod candidos habet dentes*] Egnati Poëtæ meminit Macrobius Saturn. lib. VI. cujus etiam versus e libris de rerum natura ponit. Cic. lib. XIIII. Epist. ad Q. Gallium, L. Egnati mentionem facit, quem suum vocat familiarissimum. Plin. N. H. lib. X. M. Egnatium Calvinum commemorat præfectum Alpium. Quorum aliquis an hic idem sit, mihi

quidem non liquet. Plinianus Egnatius omnino posterior, quam ut ejus fieri mentio possit a Catullo.

2 *Renidet usquequaque*] Diductis labris ut dentes exserat, nec enim plane ridentem significat.

Seu ad rei] Diphthongum elisit.

3 *Cum orgtor excitat fletum*] Ubi risui nullus est locus, et cum maxime est *παθητικὸς λόγος*.

5 *Lugetur*] Ἀπροσώπως.

11 *Aut parcus Umber*] Umbrorum convivia pro parcissimis dicebant. Auctor, opinor, Plut.

Aut obesus Etruscus] Pinguis Vergil. Georg. II. 'Hic laticis, qualem pateris libanus et auro, inflavit cum pinguis ebur Tyrrhennus.' Dionysius lib. IX. de L. agens Æmilio, Etruscos laute solitos vivere scribit.

13 *Aut Transpadanus*] Ex Italia Transpadana. Plin. lib. XVIII.

14 *Puriter*] Ennius, ut scribit Priscianus, his utebatur adverbis, 'proturviter,' 'ignaviter,' 'inimiciter,' 'superbiter,' 'temeriter,' 'præclariter,' 'torviter,' 'ruriter,' 'reverecunditer,' 'miseriter,' 'properiter.'

Larit] Antiquæ, pro larat.

17 *Nunc Celtiberus, Celtiberia in terra*] In manuscriptis, *Nunc Celtiber Celtiberia in terra*. Gabriel Faërnus legendum putabat, *Nunc Celtiberque, Celtiberaque in terra*. Mihi vero, si sic legerem, novum omnino atque insolens videretur, in penultima Scanzonis sede positum fuisse Spondæum. Celtiberiam vero terram si dixit, sic scilicet dixit, ut et C. Cæsar Galliam terram, et Africam terram, in Commentariis de bello Gallico, ac Civili. Et Gellius Noct. Att. lib. II. cap. 22. 'Sed quod ait ventum, qui ex terra Gallia flaret, Circium appellari.' Atque idem alibi Gellius, lib. VII. opinor, 'Ex terra Phocide.'

19 *Dentem, atque rufam defricare gingivam*] In manuscriptis omnibus, *rusam*, non *rufam*: sed facilis hic lapsus fuit, nisi *russam* legamus: quod

verbum in veteribus libris etiam legitur. Appuleius eodem modo videtur legisse, ac pro *defricare, pumicare*, in Apol. lib. I. 'Quem multo,' inquit, 'æquius erat spurcissimo ritu Hibernorum, ut ait Catullus, Dentem, atque russam pumicare gingivam.'

20 *Iste vester*] Vester, de uno, per indignationem. Sic Poëta, 'Crimen amor vestrum.'

CARMEN XL.

1 *Quanam te mala mens, miselle Ravide, Agit præcipitem in meos iam-bos*] Faërnus pro *Ravide, Ravide* legendum censebat, cum mutare nihil necesse esset. *Agit præcipitem*: sic dixit, aliter quoque Latine dicimus eodem usi verbo, 'Diversum agi.' Cic. in Verrem lib. III. eodem modo, 'Agunt eum præcipitem pœnæ civium Romanorum; id est, in supplicium rapiunt.' Ovid. Met. V. verbo eodem usus, 'Et mentem adhibens quæ te germane furentem Mens agit in facinus.'

Mala mens] Dira. Vergil. Æn. II. 'Quæ mens tam dira, miserrime conjux, Impulit his cingi telis?' 'Agere' autem nonnumquam persequi, exagitare, torquere. Horat. 'Diris agam te:' et idem Horat. alibi, 'Non res, et agentia verba Lycambem.'

3 *Quis deus tibi non bene advocatus*] Inauspicato vocatus.

5 *An ut pervenias in ora vulgi*] In manuscriptis omnibus *perveniamus*, prave omnino. Loquitur autem eodem modo etiam Hor. I. Epist. ad Florum, 'Quid Titius, Romana brevi venturus in ora.'

6 *Quid ris, qualubet esse notus optas*] Sic omnino distinguendum: *Vis*, inquit, esse notus qualubet: nec enim laboras, quæ sit hominum de te opinio, quis populi sermo, dum innotescas modo. Uno tamen in manuscripto legebatur, *Quia vis*. Ego posse etiam legi putabam, *Quovis qualubet esse notus optas*. Esse vero ali-

quem quid vis. Horat. dixit, 'Imceillus, iners, simi quid vis, adde popino.' Cic. in Epist. ad Luceium, 'Neque enim tu is es, qui, quid fis, nescias?' et Tusc. lib. iv. 'Qui autem dicuntur iracundi, aut miserieordes, aut invidi, aut tale quid.'

7 *Eris*] Mos, inquit, tibi geretur, teque æternis figam maledictis.

8 *Cum longa voluisti amare pæna*] Longa, sempiterna. *Cum* præpositionem addidit suo et veterum more. Idem alibi, 'Magno cum pretio atque malo.'

CARMEN XLI.

1 *Acme illa, illa puella defututa*] Omnibus in manuscriptis est, *Ameana puella defututa*: quod retinendum censeo; aut mutandum sic, *Acme, una puella defututa*. ut E postrema littera verbi *Acme*, a principe sequentis U non elidatur.

2 *Tota millia me decem poposcit*] Cic. ad Att. 'Tota tempora pomeridiana' dicit: et Virg. Æn. i. 'Hic jam trecentum totos regnabitur annos.' Verbum enim 'totum' apponebant, cum certam summam ac numerum significabant.

4 *Decoctoris amica Formiani*] Si vel *Ameanum*, vel *Ameanum* legimus, non est hæc illa *Acme* Septimii.

5 *Propinqui, quibus est puella curæ*] Esse enim hæc cognatorum cura solet, ac debet; nam eorum fidei salus et pecunia insanientis committitur. Sic in *Lege XII*. 'Si furiosus est, agnatum gentiliumque in eum pecuniamque ejus potestas esto:' et Horat. in ii. Epist. ad Florum, 'Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus, Expulit helleboro morbum,' &c. Columella lib. i. 'Quorum si alterum deesset, ac nihilominus quis vellet incolere, mente esse captum, atque eum ad agnatos et gentiles deducendum.'

7 *Nec rogare Qualis sit, solet*] In manuscriptis aliis sic, *Nec rogare Qualis*

sit solet, et imuginosum: in aliis sic, *Nec rogare Qualis sit solet, nec imuginosum*. Quæ sit aliorum loci hujus interpretatio, scio; quam sequeretur, si liqueret modo Latine speculum, etiam hoc verbo *Imuginosum* dici. Alii hoc modo legunt, *Nec rogare Qualis sit, solet hæc imuginosum*. Quasi id dicat, Ne nunc illud quærite, quo morbo hæc laborat, solet hæc imuginosum, id est, solet ea *φαντάστικόν τι νοσῆν*. Seneca Nat. Quæst. lib. i. morbum ejusmodi commemorat. 'Quidam,' inquit, 'hoc genere valetudinis laborant, ut ipsi sibi videantur occurrere, ut ubique imaginem suam cernant.' Imaginari autem dicitur is etiam, qui sibi visum, ut sic hoc dicam, sibi videre. Sueton. Cæsare, 'Et Calpurnia uxor imaginata est conlabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi.' Sed desit hoc loco fortasse quippiam: itaque, quid affirmem, prorsus non habeo.

CARMEN XLII.

3 *Jocum me putat esse mæcha turpis*] Sic Horat. ii. Serm. 'Ne quid tu perdas, neu sis jocus:' et Propert. lib. ii. 'A peream, si me ista movent dispendia, sed me Fallaci dominæ jam pulet esse jocum.'

4 *Et negat, mihi nostra redditurum Pugillaria*] In manuscriptis, *restra*, non *nostra*: quod est aptius. Caris. lib. i. 'Pugillaria,' inquit, 'sæpius neutrum dicit idem Catullus.'

8 *Turpe incedere, myrmice*] Videndum, an 'Myrmex' vestis id nomen sit, qualis Syrna, et Cyclas; an *Turpe* in *Turpi* mutandum sit. Deinde, quod sequitur conjungendum cum sequenti versu, ac moleste *Ridentem Catuli ora Gallicani*: sed *myrmice* cur legendum sit non video, cum nec penultimam *μυρμηκ* versus ferat, et libri manuscripti repugnent, in quibus fere legitur, *myrtinae, myrmice*; prave utrumque ac perplexè. In Maffei libro erat, *myrmice*. Ego, dum quid norim

rectius, leviter mutans legebam, *illa, quam videtis Turpe*, sive *Turpem, incedere mimice, ac moleste Ridentem Catuli ore Gallicani*. Mimice autem, id est, scænice, turpiterque gesticulantem, ac mollem. Porcius Latro contra Catilinam, 'Omitto,' inquit, 'pestis hujus impurissimas voces, mollietiam scænicam, obtinuit impudicos, blanditias muliebres, et omnem denique copiam non mediocrium vitiorum.' Ore autem *Catuli Gallicani* ridentem dicit, aut impudentem risum, aut mordacem significans. E Gallia diversos optimosque canes esse, scribit Gravius; et Gallicanum, pro Gallicum dicebant. Sic Cato lib. 11. Originum, 'Papaver Gallicanum.' Auctor Caris. lib. 1. nisi homines Gallicos, res Gallicanas dici velis.

11 *Mæcha putida redde codicillos, Redde putida mæcha codicillos*] Verbum, *Redde*, genuit, ut reflagitantium morem, et furtum opprobrantium significaret. Sic Ovid. de Arte amandi lib. 111. 'Redde memm clamante spoliata sæpe puella, Redde memm toto voce boante foro.'

13 *Non assis facis o lutum, lupanar*] Sic in manuscriptis; sed, sententia quæ sit, non apparet: legendum suspicabar, *O lutum, o lupanar*; vel illo modo potius, *O lutum lupanarum*. Plant. Pseudolo simile quiddam significare videtur, 'Turba est nunc apud Deam, an ibi vis inter istas versarier Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, Miseras, cæno delibutas, servilicolas sordidas:' et post, 'Magisque meretricem pudorem, quam aurum congerere concedet. Pulchrum ornatum turpes mores pejus cæno collinunt.' Legendum forte etiam *Os litum*. Nam Placidus in Glossis, 'Litum os patientiam calcatam, vel crudelitatem in rictu.' Cic. in Pisonem: 'O tenebræ, o lutum, o sordes, o paterni generis oblite, materni vix memor.' Vir quidam eruditus legit *O blitum*, duobus verbis. Et a Plau-

to 'Blitera' meretrix dicitur. 'Lupæ' vero meretrices dicebantur, ut post magis etiam docebimus. Inde 'Luparia' in Suburra, regione secunda Cælimontana: auctor est Victor.

16 *Quod si non aliud potest, ruborem, Afferre o canis exprimamus ore*] Legendum omnino, ut est in manuscriptis, *Quod si non aliud potest, ruborem, Ferreo canis exprimamus ore*. Alii pro *potest, pote est* faciunt. Ergo vel post duos hosce versus aliquid deest, vel hæc sit sententia: Quando nihil aliud fieri potest, saltem hunc illi pudorem incutiamus: sed apte quæ per se ipsa significant insignem impudentiam conjunxit, 'ferreum os.' Tale illud in Nerone Suetonii, vel potius Licinii Crassi Oratoris: 'In hunc,' inquit, 'dixit Licinius Crassus orator non esse mirandum, quod a-neam barbam haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum.' Artemidorus lib. 1. de Insomniis, impudentiam quoque ejusmodi ore significari scribit, capite, *περὶ Μετώπου*, cujus hæc sunt: *Χάλκειον δὲ, ἢ σιδήρεον, ἢ λιθικὸν μέτωπον δοκεῖν ἔχειν, τελώναις καὶ καπηλοῖς καὶ τοῖς μετὰ ἀναιδεῖας ζῶσι μόνον συμφέρει*. 'Os canis' etiam significavit Homer. illis verbis, *κυνὸς ὄμματ' ἔχων*.

22 *Mutanda est ratio*] Sic Cic. pro Muræna, 'Abiit illud tempus, mutata ratio est:' et lib. 111. Epist. ad Trebatium, 'Posteaquam mea mutata ratio est.'

24 *Pudica, et proba*] Feminarum laus vel maxima. Sic Afran. Epistola Commissa, 'Nam, proba, et pudica quod sum, consulo, et parco mihi, Quoniam comparatum est, uno ut simus contentæ viro:' et Horat. Epod. 'Tu pudica, tu proba Perambulabis astra sidus aureum:' et Pompon. Mela lib. 11. 'Probæ formosæque in pretio sunt.' Proba, casta, incorrupta. Ovid. de Rem. Amor. lib. 1. 'Et poterit dici rustica, si qua proba est:' et Prop. lib. 11. 'Nullis erit castis juvenis corruptor in agris,

Qui te blanditiis non sinat esse probam: atque alibi, 'Nec proba Paspiphae.'

CARMEN XLIII.

1 *Salve, nec minino puella naso*] In Acmen hæc, opinor, dicuntur, et Septimum, cum hic quoque sit idem versus, qui supra, *Decoctoris amica Formiani*: formæ vitium vel maximum nasus grandior. Horatius, 'Depigis, nasuta.'

2 *Nec bello pede*] Horat. ibidem, 'Ne crure malo, ne sit pede turpi:' et paulo hæc ante, 'Brevi latere, ac pede longo:' idque vitio ducens.

8 *O sæculum insipiens*] Omnibus in manuscriptis *insipiens*. Sic autem in sæculum inveli solitos veteres, declarant Senecæ verba in Proæmio lib. 1. Declamationum ad Novatum, 'Solebat autem et hoc genere exercitationis uti, ut nihil præter epiphonemata scriberet aliquo die, nihil præter enthymemata aliquo die, nihil præter translativas, quas dicimus, sententias; tamquam quæ de fortuna, de crudelitate, de sæculo, de divitiis dicuntur.'

CARMEN XLIV.

2 *Nam, te esse Tiburtem, autumant, quibus non est, Cordi Catullum ledere*] 'Cordi est,' honeste dictum, animo sedet. Non. Mar.

7 *Malamque pectore expuli tussim*] Sic pridem eruditi homines fecerunt ex eo, quod omnibus in manuscriptis legitur, *aliamque, pectore expulsus sum*. Sed ex illo, *aliamque*, faciebam ipse, *aridamque*.

8 *Non immerenti vertitur mihi quam mens*] Cum in manuscriptis varie legatur, *Quam mihi mens vertitur, Quam mihi mens veretur, Quam mihi mens fertur*: primus omnium Gabriel Faërus ab hinc annos plus minus novem fecit, *Quam mihi meus venter*; quod suum ille inventum, ut erat homo aperto liberalique ingenio, cum li-

bentissime cum multis communicasset, non defuit, qui pro suo ederet: quod ut testarer suo nomine, multis ille me verbis antequam die obiret, est obtestatus.

10 *Nam Sextianus*] Is credo Sextius est pro quo Cic. extat Oratio, quam Servius, illud in Georg. 1. 'Sæpe exiguns mus,' interpretans, Sextianam dicit.

11 *Orationem minantium petitorum*] Probabilius omnino, quod olim Aldus impressit, in *Actium petitozem*, nisi e scripta lectione facias, in *Antium*. Petitozem autem eum, qui magistratum peteret, dicebant. Scipio Africanus in Orationem contra Legem judicariam Tiberii Grachi, ut adducit Macrobius Saturn. III. 'In his unum, quo me Reipubl. maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis XII. cum crotalis saltare.'

15 *Et me recurvi Ocymoque et urtica*] In manuscriptis, *Otioque et urtica*. Sed *recurari*, quod dixit, duriusculum id quibusdam videtur: atque mox in manuscripto, *Et me curari*. Plin. Nat. Hist. lib. XIII. eodem verbo usus, dixit, 'Quæ non esset ita recurata, in suo mansit amphitheatica.' Legendum forte, *Et me ne curari*: ne vero, pro 'quidem' ponebant, brevi syllaba.

17 *Meum quod non es ulla peccatum*] Sic etiam in manuscriptis omnibus præter quam in Patavino, in quo sic erat, *Quæ non es ulla peccatum*, ut ad villam referatur: quod fieri posse commode non videtur. Gabriel Faërus emendabat, *quod non es ulla peccatum*, ut ad Fundum referamus: et vocandi casum pro recto positum putabat, idque more veterum, tum Græcorum tum Latinorum; nam et Perisium sic omnino locutum aiebat, 'Censoremve tuam, vel quod trabeate salutas:' et Horat. illud simile ducebat, 'maete Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.'

19 *Sentire cesso*] Legendum omnino, ut est in manuscriptis, in Maffei præsertim libro, *Sesti recepto*, vel *Sexti recepto*. Figura vero eadem, qua usum Pacuvium in Teuero tradit Non. Marc. Pacuvii enim illud adducit, 'Haud sinam quidquam profari, priusquam accepsso, quod peto.'

21 *Qui tunc vocat me, cum malum legit librum*] Tunc me, inquit, invitat, cum librum aliquem legit Criminum: sic enim Pedianus loquitur in lib. III. contra Verrem, illa interpretans, Quæ in istum valebant crimina, 'Aperius,' inquit, 'hoc postea dicturus est Tullius: etenim accusator Dolabellæ, volens indice Verre uti contra Dolabellam, librum criminum communium Verris et Dolabellæ Verri ostendit, &c.' Vel malum librum dicit inelegantem: ut contra, bonum librum Plin. lib. VIII. Epist. ad Arrianum, 'Delicatus,' inquit, 'ac similis ignoto est, qui amici librum bonum mavult audire, quam facere.' Itaque libros Orationes etiam ipsas dicebant: a libro autem criminum postea, libellus, et libellare, deductum.

CARMEN XLV.

1 *Acmen Septimius, suos amores, Tenens in gremio*] Feminam eo nomine in veteribus monumentis Romæ apud hæredes Ambrosii Lili me legere memini, SERGIA. ACME. Pervetus tum quoque monumentum in hortis Sfortiæ Cardinalis ejusmodi est,

L. SAVFEIVS. A

SAVFEIA. L. L. ACME

VXSOR

Septimius autem is fortasse Poëta fuit, cujus versus Terentianus adducit, sic enim est apud illum, 'Hoc de Septimii potes junctis noscere versibus, Geritque intus in oppidum Anhelos panopæ greges.' Suos amores sic dixit, ut et Cic. in Pisonem, 'Convivium publicum non dignitatis causa inibit, nisi forte ut cum P. Clodio, hoc est, cum amoribus suis, cenet.'

3 *Ni te perditæ amo*] Perditæ, pro valde. 'Eam amare cepit perditæ,' Aruntius Celsus; et Afranius in Vopisco, 'Quia scit, me illam amare perditæ.' Hæc Caris. lib. II.

Atque amare porro Omnis sum adside paratus annos] Porro, pro, in futurum. M. Cato dierum dictarum de Consulatu suo, 'Me sollicitum atque exercitum habitum esse, atque porro fore.' Afranius in Emancipato, 'Post narravero, nunc est distentus animus, ut negotiis, Porro autem propero.' Idem Caris. Quamquam in posteriore hoc pro, longius, positum mihi videtur.

5 *Quantum qui pote plurimum perire*] Similiter Tullius lib. XIII. Epist. ad Manlium, 'Si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum.'

6 *Solus in Lybia, Indiave tosta*] Tostam Indiam dicit, quippe cum Indus vehemens sol quasi coquat Vergil. Georg. IV. 'Jam Rapidus torrens sitientes Syrius Indos:' et Manil. Astron. lib. IV. 'Per fusas hominum gentes, minus India tostas:' et Tibull. lib. II. 'Illi sint comites fuscis, quos India torret.'

7 *Cæsius veniam obrius leoni*] Jacobus Corbinellus, Florentinus, elegantis doctrina atque ingenio, Simonidis versus apud Galenum περί 'Αρθρῶν legisse se mihi adfirmavit, similis omnino sententiæ, Οὐπω τις οὕτω δασκίως ἐν οὐρεσιν 'Αγῆρ λέοντ' ἔδεισεν οὐδὲ πᾶρδαλιν, Μοῖνος στενυγρῆ συντυχῶν ἐν ἀτράφῃ.

8 *Hoc ut dixit, Amor, sinistra, ut ante Dextra, sternuit adprobatione*] In Patavino altero, *Sinistram ut ante Dextram sternuit adprobationem*. Quod ideo probandum videtur, quod et eodem modo Propert. 'Argentum sternuit omen amor.' Sed, quid valeat, sive potius significet Sternutamentum, et Plin. lib. XXVIII. et Arist. opinor, περί Ζῳῶν Ἱστορ. scribunt.

10 *At Acme, leviter caput reflectens*]

In manuscriptis, *Ad hanc me, et, Ad hæc me*: id factum, quod indocti homines nesciret veteres, *Ad, pro At*, etiam posuisse. Sic in perveteri libro Vaticanæ Bibliothecæ; in quo excerpta ex historiis Sallustii, in Oratione Cottæ Cos. 'Ad contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere.'

11 *Et dulcis pueri ebrios ocellos]* Ebrios amore. Sic Anacreon apud Herphæst. 'Ἐς πολλὸν κῆμα κολυμβῶ μεθῶν ἔρωτι.'

12 *Illo purpureo ore suaviata]* Purpureum os etiam dixit Simonides apud Athenæum lib. XIII. Πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἰέισα φωνάν. Et Horat. 'Purpureo bibit ore nectar.'

13 *Sic inquit]* Simul, hæc dicens, suavius dedit, ut Sisenna dicit lib. XIII. Milesiarum.

14 *Huc uni domino]* In utroque Patavino, uno, more veterum.

16 *Ignis mollibus ardet in medullis]* Ignis, amoris ille impotens ardor. Vergil. 'Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor?'

19 *Nunc ab auspicio bono prosecti]* Similiter Caesar de Bello Civili, lib. III. 'Et, ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem causam viderentur.' Placidus Gramm. in Glossis, 'Sunt igitur,' inquit, 'bona Auspicia, quæ cogunt res inchoare; sunt mala, quæ prohibent.'

24 *Facit delicias]* Sic idem alibi loquitur, 'Si quis delicias diceret, aut faceret.'

CARMEN XLVI.

1 *Jam ver egelidos refert tepores]* Columella quoque de Cultu Hortorum dicit, 'Egelidum ver.' Auctor Elegiæ de Obitu Mæcenatis, quod tum spirent anræ juvenidissimæ, 'Ver' dixit 'egelidum': 'Verberat egelido garrula vere nemus.' Servius, interpretans illud Poëtæ in Æn. VIII. 'Ut procul egelido secretum flumine vidit,' 'Egelido,'

inquit, 'est nimium gelido, et est una pars orationis, ut Eduramque pirum, id est, valde duram.' Hæc Servius. Est ergo E, in compositione, ἐπιτακτικὸν plerumque, quomodo et Severus apud Ausonium accepit, 'Impiger egelido movet arma Severus ab Istro:' et Anson. ad Paullinum, 'Egelidæ ut teneant hyemes.'

At eadem particula nonnumquam etiam in compositione remittit, ut 'egelidum' significet, non prægelidum, sed tepidum; quo modo Sueton. accepit in Octavio, 'Ungebatur,' inquit, 'etiam sæpius, sudabat ad flammam: deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta.' Atque hinc illa est κακοῦρηλα, quam, ut scribit Seneca, in Ovidii versu non probabant eruditi homines: qui versus legi omnino sic debet, 'Egelidum Borean, egelidumque Notum.' Non, ut alii, *Et gelidum Borean*. Quod primus vidit Jacobus Taurellus, vir doctissimus; namque quod id verbum mediæ significationis esset, in id vitium, quod supra posui, Poëta incidit.

2 *Jam cæli furor, æquinoctialis]* Anni tempus mollissimum significat, ver ipsum scilicet, cum primum flare Zephyri incipiunt. Zephyrum itaque æquinoctialem hoc loco dicit, vernum intelligens æquinoctium.

3 *Jucundis Zephyri silescit auris]* Jucundas anras, quibus opponas, quæ Philippo dicuntur in Epigrammate, νότου βαρυλαίλαπες αἶραι. 'Silescit' etiam, de ventis, Ovid. Trist. II. 'Sed modo subsidunt, intermissique silescent.' 'Anras Zephyri' dixit etiam Vergil. Georg. II. 'Zephyrique tepentibus auris:' πνοαῖς.

4 *Linquantur Phrygi, Catulle, campi]* Si est in Asia, Phrygia, cur, ut Asiam petat, Phrygiam relinquat: itaque legendum suspicor, *Liquantur*: quod idem est, quod 'Liquuntur.' Ut apud Vergil. Georg. I. 'canis cum montibus humor Liquitur, et Zephyro patris se gleba resolvit.'

5 *Niccaque ager uber æstuosæ*] *Uber*, fertilis, Verg. dixit, *Ubere glebæ*. Priscian. lib. II. Et Niceam, et Niciam, eandem urbem dici, scribit.

6 *Ad claras Asiæ volemus urbes*] Ovid. Trist. I. 'Oppida non Asiæ, non mihi visa prius.'

7 *Jam mens prætrepidans avel vagari*] Eodem modo et 'trepidare' Plautus videtur dixisse in Casina, 'Ut ille trepidabat, ut festinabat miser, ut subsultabat postquam vicit villicus.' Nam 'trepidare,' et 'trepidum,' festinare, et festinum significare apud Verg. non uno loco Servius docet.

8 *Jam læti studio pedes vigescunt*] Vigere idem significare videtur hoc loco, quod 'trepidare' verbum, ardorem scilicet illum ad agendum atque audendum. Sic Liv. in II. Bello Punico, 'Videret, ut, quibus lingua prompta ac temeraria esset, æque in pugnam vigerent manus.'

11 *Diversos variæ viæ reportant*] In manuscriptis omnibus, *Diverse variæ*. sed illud rectius: significat enim multos, multis etiam domum viis redeunt. Vergil. quoque dissipatos cum significare vellet, dixit, 'Aut age diversos.' Quamquam, et illud non improbandum, ut *Diverse* sit ex *Diverso*. Vergil. Æn. II. 'Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.' Sed illo modo etiam Sallustius in Jugurth. 'Sed, quia diversi redeunt alius ab alia parte.'

CARMEN XLVII.

1 *Porci, et Socraton, duæ sinistrae Pisonis scabies*] De Socrate nihil exploratum habeo: alter vero fortasse sit Porcius, cujus Cic. meminit in Oratione pro Fonteio. 'Crodimum,' inquit, 'Porcium, et Nummium ternos victoriatos.'

2 *Famesque Memmi*] In manuscriptis omnibus, *Mundi*, vel, *Mondi*: legendum forte, *Mindi*. cujus Cic. meminit lib. V. Epist. ad Rufum, 'Tu ei,' inquit, 'M. Mindium fratrem tuum

adjunxisti.' Sunt, qui *mundi*, ἐπιθετικῶς positum putent, *Pisonis mundi*, id est, frugi; quod erat Calpurniorum cognomen.

3 *Vos Teraniolo meo*] Hæc ad extremum usque legenda cum interrogatione, ut indignantem significent.

6 *De die facitis*] Repente, neque ante prædicta, neque pridie constituta. Donatus in Adelph. interpretans illud Apparare de die convivium. Et nos paullo amplius in Commentationibus in Horat. 'Facere convivia,' sic dixit, ut et Cic. ad Pætum, 'Senulas facere:' et in isdem Epist. 'Sumtuosas cenas' dixit, ut hic *sumptuose* fieri convivia dicuntur.

7 *Quærun't in triviis vocaciones*] Invitationes. Idem ante, 'Qui tum vocat me.' Plant. in Menæch. 'Er. Eamus ut prandeamus. ME. Bene vocas:' et in Cure. 'Bene vocas:' et Sueton. Caligula, 'Vocatu ipsius:' et Macrobius lib. III. Saturn. de lege Orchia.

CARMEN XLVIII.

1 *Mellitosis oculos tuos, Juventi*] Juventiam gentem in primis claram fuisse, constat. M. Juventius cum Tib. Graccho Consul fuit. Ex eadem gente M. Juventius Laterensis, qui Plancum ambitus accusavit, quique sibi ipse in Lepidi castris mortem conscivit. Ausonius quoque blandiens dixit, 'Otia sunt mellite nepos.' Atque alibi, 'Hoc mellite nepos.'

4 *Nec unquam saturum inde cor futurum est*] In manuscriptis aliis, *Nec numquam inde cor sater futurus*; in aliis, *Nec numquam inde cor satur futurus*. Ego vero legendum puto, *Nec mi unquam videor satur futurus*.

6 *Seges osculationis*] Itidem transferens Poëta dixit, 'telorum seges.'

CARMEN XLIX.

2 *Quot sunt, quotque fuer, Marce Tulli, Quotque post aliis erunt in annis*] Eam formam ab Homero ceteri vi-

dentur acceperunt. Plaut. in Bacchid. 'Quicumque ubi ubi sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac.' Vergil. 'Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.'

6 *Tanto pessimus omnium poeta*] Hic versus in Patavino altero non erat. Veteres autem sic loquebantur. Plaut. in Anul. 'Quam ad probos propinquitate proxime te adjunxeris, Tam optimum est.' et Patere. lib. II. de Mario, 'Quantum bello optimum, tantum pace pessimus.' Antipater lib. III. Epigr. 'Ἀγγέλλω μερόπεσσι δὲ οὐνεκεν ὄσσον ἕριστος Οἰωνῶν γένομαι, τὸσσον δὲ ἡμιθέων. Hoc ipso de genere Servius Interpres Verg. in illa Æn. VII. 'Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis, Quam magis effuso sanguine pugnae.' 'Legitur,' inquit, 'in Arte, quod tam magis maxime, minus minime, positivo tantum junguntur: quod tamen tunc observatur, si ponantur ad augmentum istæ particulæ: tunc enim vitiosam faciunt elocutionem. ceterum, si ad exæquationem positæ sunt, posunt vel comparativo, vel superlativo, vel pro ipsis gradibus ipsæ inter se jungi. hinc ergo est, 'Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.' non enim ad prælationem positæ sunt, sed ad exæquationem. majores enim nostri non in dicto vitia, sed in significatione esse voluerunt. Hinc est in Sallustio, 'Itaque quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.' Nam et hæc exæquatio est, non comparatio.'

CARMEN L.

1 *Hesterno, Licini*] Ad Calvum, opinor, scribit, cujus pater fuit C. Licinius Macer: auctor Val. Max. lib. IX.

3 *Ut conrenerat esse, delicatos*] In Patavino altero, *dedicatos*; quod non improbandum usquequaque: significat enim hoc loco Catullus, ipsum et Calvum lusui se eo die dicasse. Sic

autem Festus Pompeius 'delicatos' interpretari videtur: 'Delicata,' inquit Festus, 'dicebant Dis consecrata, quæ nunc dedicata: unde adhuc manet delicatus. Delicare autem proprie est dicendo deferre.' 'Delicatos,' amantes otii. Sic enim etiam posse videmus interpretari. Namque eodem prope modo Quintil. lib. XII. 'Ne illas quidem tulerim delicias eorum qui doceri amicos suos jubent.'

5 *Numero modo hoc, modo illoc*] Sic veteres Plaut. in Cistell. 'Istoc ergo auris graviter obtundo tuas.'

Ludebat numero, modo hoc, modo illoc] Omni genere Poëmaticis. Cic. eodem modo Academ. lib. I. 'Atque, ipse varium et elegans omni fere numero poëma fecisti.'

6 *Reddens mutua per jocum atque rimum*] Sic etiam veteres loquebantur. Suetonius Vespas. 'Per ludum jocumque:' et Nerone, 'Fallere, ac furari jus erat per jocum:' et obseceni auctor carminis, 'Nolite, omnia, quæ loquor, putare, Per lusum mihi per jocumque dici.'

7 *Atque illinc abii tuo lepore Incensus, Licini, facetiisque*] Plut. in libro Περὶ τῶν κοινῶν ἐνοουῶν πρὸς τοὺς Στωϊκοὺς, similiter dixit, 'Ἐπὶ τοιούτων ἐγὼ λόγων διακεκαυμένος ἔωθεν σβεσθηρῶν δέομαι, καθάπερ τινα φλεγμονὴν ἀφαιρούντων τὴν ἀπορίαν τῆς ψυχῆς.'

10 *Nec somnus tegeter quiete ocellos*] Verg. Georg. IV. 'Incepto tegeter cum lumina somno.' Atque idem alibi Catullus, 'Piger his labantes languore oculos sopor operit.' τοῖς γὰρ λυπουμένοις τε καὶ μεριμνῶσιν Ἄπασα νύξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρὰ, ait Apollodorus apud Athen.

11 *Sed toto indomitus furore lecto Versarer*] Similiter Juvenal. Satyr. XII. 'Et toto versata toro jam membra quiescunt.'

13 *Ut tecum loquerer, simulque ut essem*] Ut una multum essemus: non, essem, id est, cibum sumerem.

18 *Nunc audax cave sis*] In manu-

scriptis, *Nunc aulax care*; et, *Nunc audax caneris*. Ex eo quisque, quod commodius videbitur, faciat.

19 *Cave despuas ocello*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis: superbiam vero, et contemptum oculi nonnumquam ipsi significant.

20 *Nemesis*] Julius Capitolinus in Maximo et Balbino, 'Ut civium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est, vis quædam fortuna, satiaret.'

21 *Est vehemens Dea*] Vehemens *δισυλλάβως* sic Horat. 'Vehemens et liquidus.' Quamquam etiam Vehemens, et Vementer, scribebant veteres. Vehemens dea, *δεινή θεός*. Hom. *Κίρκη εὐπλόκαμος δεινή θεός*. Et Theocr. Nymphæ dicuntur *δειναί θεαί*. Plaut. Rudente: 'Arcturus signum sum omnium quam acerrimum: Vehemens sum exoriens, cum occido, vehementior.' Nemesin Ultionem vocant Latini. Corn. Tacit. in III. Cum Valerius Messalinus signum aureum in æde Martis Ultoris, Cæcina Severus aram Ultioni statuendum censuissent.

CARMEN LI.

1 *Ille mi par esse Deo ridetur*] Magnam gratiam Longino rhetori debemus, qui Oden hanc Sapphus in scripta sua transtulit, et majorem iis, qui hæc ipsa vulgarunt. Phaonem vero Lesbium, impense perditæque amatum, indicat etiam Plautinum illud in Mil. Glor. 'Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus, tibi, et Phaoni Lesbio, Tam nimie ut amarentur.' Loquitur autem Euripides eodem modo in Electra, quo Sappho. 'Εγώγ' ἴσον θεοῖσιν ἡγοῦμαι φίλον.

2 *Si fas est*] Si pote est.

3 *Qui sedens adversus identidem te Spectat, et audit*] *Θαμὰ ἐπισκοπεῖται* sic Plato Lyside, *Περιστρεφόμενος δὲ ὁ Λύσιος θαμὰ ἐπισκοπεῖτο ἡμᾶς, καὶ δῆλος ἦν ἐπιθυμῶν προσελθεῖν*.

5 *Dulce ridentem*] Idem alibi, 'Dulce rideat ad patrem:' et Horat.

'Dulce ridentem Lalagen amabo:' et Plato Epigram. de Laide, *Καὶ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἢ τὸν ἐρώντων Ἑσμὸν ἐνὶ προθύροις Λαίῃ ἔχουσα νέων*. Quos versus præne expressit Propert. lib. II. 'Non ita comperant Ephyrææ Laidis Ædes, Ad cuius jacuit Græcia tota fores.'

7 *Nihil est super mi*] Est in nonnullis, pro *Super mi*, *Suprema*. Et, quia sequens Adonius desideratur, difficilis est conjectura. Credibile est, vocis partem reliqui fuisse. Bion quidem in Bucolicis simile quiddam posuit de Venere: 'Ἦν μὲν γὰρ, βροτὸν ἄλλον ἢ ἀθανάτων τινὰ μέλπω, Καμβαίνει μευ γλῶσσα, καὶ ὡς πάρος οὐκ ἔτ' αἶδει. Legendum forte in posteriore versu, *Κ' ἀμβλύνει*.

9 *Lingua sed torpet, tenuis sub artus Flamma dimanul*] Multo ante, quam illa, quæ dixi, scripta Longino ederentur, conjecturam feceram, hæc esse de Sapphicis expressa versibus. Plutarchi enim librum legeram, inscriptum, *Πῶς ἂν τις αἰσθοῖτο ἑαυτοῦ πρόκοπτος ἐπ' ἀρετῇ*, in quo est Sapphicomum versuum pars ea, quæ huic Catullinæ respondet. Sic est apud illum, *Νέφ δ' ἀνδρὶ γευσαιμένη προκοπῆς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ Σαπφικὰ ταυτὶ παρέπεται, κατὰ μὲν γλῶσσαν γε* λεπτὸν αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδέδραμε*. Hic vero, cui videbitur, vires experitur ingenii, aut horum versuum meliorem lectionem afferat, aut ea, quam docti homines excogitavere, contentus sit. Dimanare vero amoris flammam, dixit *μεταφορικῶς*: ostendit ita dictum Plaut. in Mostel. 'Continno pro inbre amor advenit: is ubi in pectus permanavit, Permadefecit cor meum:' et Lucret. lib. IV. 'Hinc inlata prius Veneris dulcedinis in cor Stillavit gutta, et successit frigida cura.' 'Manat amor tectus, si non ab amante recedas.' Amorem vero ipsum in cor descendentem significavit Alcmaeon illis versibus, qui sunt apud Athenæum, 'Ἐρως με δ' αὖτε Κύπριδος

ἔκατι γλυκὺς κατεΐβων καρδίαν ἰαίνει.
Archilochus simillime, hoc ipso in genere, τοῖος γὰρ φιλότιτος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἔλυσθεις, πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν κλέψας ἐκ στηθέων ἀπαλὰς φρένας. Sic Catullus eripi sibi sensus dixit: et alibi idem, Δύστηνος ἔγκειμαι πῶψ ἔψυχος, χαλεπῆσι θεῶν ὀδύνησιν ἔκρηι Πεπαρμένος δι' ὄστων.

12 *Lumina nocte*] Desunt reliqui versus, ab eodem conversi; quos ego crassa Minerva mea sic supplebam, *Sudor it late gelidus trementi Artubus totis, violamque cinct Insidens pallor, moriens nec auras Ducere possum.* Ovid. Eleg. lib. III. simillime, 'Mens abit, et morior.'

13 *Otium, Catulle, tibi molestum est*] Hoc vero nihil ad superiora illa pertinet; nec enim cohæret: estque omnino ἀποσπασμάτιον Catullini Ποῦματος, quod perierit. Præterire non possum hoc loco Macrobbi verba e lib. II. Saturn. 'Joculari,' inquit, 'deinde super cenam exorta quaestione, quod nam esset Molestum otium, aliud alio opinante, ille Podagrici pedes dixit. Is vero est Publii jocus.'

15 *Otium et reges, simul et bentas Perdidit urbes*] Sententia est, quam infert, ρουθετικῆ et tractata quidem luenlente a Demosth. Orat. περὶ Στεφάνου. Et Cato Major ad lites censorias similiter, 'Scio,' inquit, 'fortunas secundas negligentiam perdere, quod uti prohibitum irem, quod in me esset, meo labori non marsi.' Epicharmus similiter, Πρεπόντων τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῶν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί. Σὴ πατρίς ἐν γὰρ τοῖς πόνοισιν ἀβίζεται, Αἰδ' ἥσυχου σκοτεινὰ πρόσσουσιν πόλεις. Non dissimilis Euripidis sententia, 'Ὀδ' ἥδὺς αἰὼν, ἡ κακὴ τ' ἀνανδρία, οὐτ' οἶκον οὐτε πόλιν ὀρθώσειεν ἄν. 'Perditas civitates,' et Cic. dixit lib. VII. in Venerem. 'Perditæ civitates, desperatis omnibus.'

CARMEN LII.

1 *Quid est, Catulle, quod moraris*

emori] Suspendio arbor eligenda. Melius vero in manuscriptis, *Quid est, Catulle, quid moraris emori?*

2 *Sella in curulli Strumæ Nonius sedet*] De quo Plin. lib. XXXVII. 'Si quidem exstat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est, filius Strumæ Nonii ejus, quem Catullus Poëta in sella curuli visum indigne tulit:' et Boëthius, Philos. Consol. lib. III. 'Nam vis ea est magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant: atqui non fugare, sed illustrare nequitiam solent. qua sit, ut indignemur eas sæpe acquisimissimis hominibus contigisse: unde Catullus, licet in Curulli Nonium sedentem, Strumam tamen appellat.' Ex hoc genere est illud Cic. Orat. pro Sestio, 'Hi medentur civitati, qui execant pestem aliquam tauquam strumam civitatis.'

3 *Per consulatum pejerat Vatinius*] In Caninii et Vatinii consulatum noti joci Cic. apud Macrob. Saturn. II.

CARMEN LIII.

1 *Risi*] Proverbio dixisse videtur. Festus in verbo, 'Rideo.'

2 *Qui cum mirifice Vatinianum Meus crimina Caleus explicasset*] Calvus Vatinium ambitu accusavit. Quod intelligi potest ex illis Carisii verbis lib. II. 'Ad, pro autem,' 'Calvus in Fusciniū ambitus. Ad ita mihi Jovem deosque immortales velim bene fecisse, judices, ut ego pro certo habeo, si parvuli.' Quibus in verbis, 'Fusciniū,' in 'Vatinium' mutandum censeo. Scripsit autem Calvus Oratiores duas in Vatinium, quarum posteriorem laudat Corn. Tacitus.

5 *Di magni, Salicippium disertum*] Di magni, admirantis est. Plaut. in Capt. 'Audiui, di magni.' Ovid. Eleg. lib. II. 'Oscula, di magni, qualia quotque dedi.' et Fast. lib. VI. 'Quam bene, di magni, pugna cecidisset in illa: Defensor solii Jupiter

ipse sui.' Έξetzes, Lycophronis Interpres, ὦ πόποι, apud Homer. idem valere significat, idque de aliorum sententia, Πόποι] Οἱ θεοὶ ὄθεν καὶ πολλάκις ὦ πόποι τινὲς παρ' Ὀμήρῳ, ἀντὶ τοῦ ὦ θεοὶ, ἤκουσαν· ἢ λέξις Δρῦδῶν. Salicipitium vero legendum esse, dubitari non potest, quod facile intelligitur ex illis Senecæ verbis lib. iv. Controvers. 'Calvus,' inquit, 'qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit, usque eo violentus accusator et concitatus fuit, ut in medio actione ejus surgeret Vatinius rens, et exclamaret, Rogo vos, iudices, num si iste disertus est, ideo me damari oportet. Idem postea cum videret u clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumventum in sorte, imponi se supra cippum jussit; erat enim parvulus statura, propter quod etiam Catullus in Hendecasyllabis, vocat illum Salippicium disertum, et juravit, si quam injuriam Cato Pollioni Asinio accensatori fecisset, se in eum juraturum calumniam, nec umquam postea Pollio a Catone, advocatisque ejus aut re aut verbo violatus est.' Sed et apud Senecam prave, 'Sallipitium' legitur. Verborum vero Senecæ sententia, ut Salicipitium legatur, postulat. Hunc ego Senecæ locum cum Catullino collatum diligenter emendatumque acceperam in Hispania ab Honorato Joannio, viro clarissimo mihi que multis de causis conjunctissimo. Ut vero in Italiam veni, et Paulum Manutium Venetiis vidi libenter, et de communibus studiis cum eo egi sæpe libentissime. Ille vero, cum ex me quæreret, ecquid haberem in Catullum, respondi, mihi quidem nihil tum esse in promptu, hunc unum locum memoria tenere dignum Honorati mei, singulari doctrina atque ingenio. Laudavit ille, sibi que perplacere significavit: sequē ante aliquot annos ita emendasse confirmavit. Nescio, cur Senecæ verba, tam huic loco

necessaria, præterierit Interpres Catulli. Calvum ipsum etiam exiguum dicit Ovid. Trist. lib. II. 'Par fuit exigui, similisque licentia Calvi.'

CARMEN LIV.

1 *Othonis caput*] Nihil auxilii adferebant libri manuscripti, nam præterquam quod inculcati hoc loco sunt plures alii versus alienissimi loco; hi quoque ipsi mirum in modum depravati legebantur: sed non dissimulabo conatum meum, ut, si parum res processerit, extet tamen diligentiae meæ testimonium. Itaque sic commentabar: Ad Rusticum, quod nomen etiam in antiquis fuisse dubitandum non est, hodieque Romæ in cippis duobus est, MARCVS. SESTIVS. RUSTICVS. ad Rusticum, inquam, aliquem scribi hos versus, in quibus dicit Othonem puerum quendam heri sui delicias esse, cui caput pusillum, subtile, ac leve esset, crura deinde semilauta, id est, sordidiuscula; hunc esse tum qui et Rustico ipsi, et Fuffecio seni callidissimo placere posset. Hanc autem sententiam efficient hi versus, sic si legantur: *Othonis caput oppido est pusillum, Subtile, et leve, πάργιον Libonis. Heri Rustice, semilauta crura. Sed non omnia displicere vellem Tibi, et Fuffecio seni recocto.* Sed mihi ipse non satis faciebam in hac tota sententia; volui tamen industriam ac laborem testari meum: alii olim fortasse melius: pro *Suffecio* autem, *Fuffecio* legendum puto, suffragantibus omnis antiquitatis monumentis.

6 *Irascere iterum meis Iumbis Immentibus unice Imperator*] Hi quoque versus, et in manuscriptis et impressis, alieno leguntur loco. In Cæsarem vero ipsum hæc dicta suspicantur: sed reliqua desiderantur.

CARMEN LV.

1 *Oro, si forte non molestum est*] Hic est, opinor, Catulli Scurre fugitivus, de quo Juvenal. Sat. XIII. 'Mimum

agit ille, Urbani qualem fugitivus scurra Catulli.' Sed in manuscriptis omnibus est, *Oramus, si forte non molestum est.*

2 *Demonstres ubi sint tabernæ*] In amscriptis, pro *tabernæ, tenebræ, non latebræ.*

4 *Te in omnibus labellis*] In manuscriptis est, *libellis*, quod est corruptum ex *labellis*. Labella vero significare opinor, balnea, thermas hoc loco. Sic a Cic. 'labrum' dicitur: et ab Ovid. Fast. III. 'Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ:' et in Ibin, 'Quique verecundæ speculantem labra Dianæ.' Mart. lib. v. in Dentonem in eandem sententiam, 'Quem thermis modo quærere, et theatris, Et conclavibus omnibus solebas.'

5 *Te in templo superi Jovis sacratu*] Sacro. Sic Cic. III. in Verrem, 'Qua ex opinione hominum illa insula eorum Deorum sacra putatur.' Sic etiam Græci loquuntur, ut Interpretes Apoll. R. in lib. I. Δῆλος μὲν τῶν Κυκλάδων νῆσαν, ἰερὰ Ἀπόλλωνος. Ac paullo post, Κλάρος πόλις πλησίον Κολοφῶνος, ἰερὰ Ἀπόλλωνος.

8 *Quas cultu vidi tamen sereno*] Ita olim Aldus impressit: itaque est in manuscriptis.

9 *Atelli sinite ipse flagitabam: Cameriam mihi*] Clamore flagitabam; ut Plaut. Menæch. 'Propterea illius nomen memini facilius, Quia illum clamore vidi flagitarier.'

11 *Quædam inquit, nitidum sinum reducens*] In manuscriptis pro *nitidum, nudum*. Propert. lib. II. simile quiddam exprimens, 'Omnia me lædent, timidus sum, ignosce timori: Et miser in tunica suspicor esse virum.'

16 *Audacter, committe, crede lucet*] In manuscriptis est, *Audacter, hoc committe, crede, Lucet*: legendum opinor, *Audacter committe, crede, Luci*. Si modo is Lucius Camerius fuit: quod alii viderint. Lucium quendam

proscindit Poëta, quisquis ille vetus auctor Carminis; quod in Lusibus in Priapum legitur, in extremo, 'Cinæde Luci, an te reliquerunt opes, Fameque genuini crepant?'

19 *Fructus projicies amoris omnis*] Sic Attius Alcmeone, 'Postremo, amplexa, fructum, quem Di dant cape:' et Plaut. Casin. 'Scio, sed meus fructus est prior:' et Lucret. lib. IV. 'Nec Veneris fructu caretis qui vitat amorem.'

22 *Sis nostri quoque particeps amoris*] Aldus aliter olim, *Dum vestri sim ego particeps amoris*. Quæ sunt omnia nimis ingeniosorum commenta: in manuscriptis omnibus est, *Dum nostri sis particeps amoris*: nec ego quicquam mutandum puto. Ut tua, inquit, tu nos celes gaudia, nos te tamen nostrorum uobis amorum conscium esse volumus.

23 *Non custos si fingar ille Cretum*] Hi versus omnes ad illum usque *Essem te mihi, &c.* nulli sunt hoc loco, in manuscriptis, sed alibi alienissimo omnino loco. Aldus autem Manutius olim, ante hos impresserat eos, qui sequuntur, *En hic in roseis latet papillis, Sed te quærere jam Herculis lubos est, &c.*

Non custos si fingur ille Cretum] Dubius sum, an *custos* passive dixerit, pro 'custodito,' ut 'Vector' etiam, pro eo 'qui vehitur,' dici solet: itaque Dædalus significetur, qui volatu Cretensium manus effugit. 'Fingar' autem, sic dixit, ut et Menander, Κόμψος στρατιώτης, οὐδ' ἂν εἰ πλάττοι θεὸς, οὐθεὶς γένοιτ' ἄν.

24 *Non, si Pegaseo ferar volatu*] Ejusmodi multa simul posuit etiam Alexis Comicus apud Athen. lib. VI. Ἔμοι παρασιτεῖν κρεῖττον ἦν τῷ Πηγᾶσι, ἢ τοῖς Βορέαδαις: ἢ θᾶττον τοῦτον τρέχει, ἢ Δημέα Λάχητος Ἐτεοβουάδῃ πέτεται γὰρ, οὐχ οἶον βαδίξει, τὰς ὁδοὺς.

29 *Quos junctos Cameri mihi dicares*] Sic est etiam in manuscriptis omnibus.

CARMEN LVI.

1 *O rem ridiculam, Cato, et jocosam*] Hic est forte Valerius Cato Grammaticus, de quo sunt illi versus Bibaculi apud Suetonium de Illustribus Grammaticis, 'Cato Grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit et facit poëtas:' ac post, 'Si quis forte mei domum Catonis.' Ejusdem Catonis meminit Ovid. Trist. lib. II. 'Et leve Cornifici, parque Catonis opus.' Intellegerem de Catone Censorio, si ratio temporum conveniret; nam jocos illum delectatum scribit Maerob. Saturn. II. 'M. etiam Cato, ille Censorius, argute joculari solitus est:' ac postea, idem; opinor, significans, 'Orta ex his lætitia, et omnibus in censorium risum remissis.'

3 *Ride, quidquid amas, Cato, Catullum*] Id est, ἀσβεστον γέλωτα et leporis non nihil est in verborum παρανομία. Cato, Catullum.

6 *Hunc ego, si placet Dionæ*] Dubito an legendum sit, sic placet Dionæ. Sic Horat. 'Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domo, Beate Mæcenas, bibam.'

7 *Protelo rigida mea cecidi*] Nonius Marcellus in verbo, 'Protelare,' versus adducit Lucilii, in quibus 'Protelo' non verbum, sed adverbium videtur affirmantis, sive quid simile huic Catulli sententiæ significantis: in quo aut parum vidisse Nonius videtur, aut ejus inemendato nos libro utimur. Versus Lucilii sunt, 'Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri Ducere protelo validis cervicibus possent:' et illi, 'Hunc juga multorum protelo ducere centum Non possent.'

CARMEN LVII.

Pulchre convenit improbis cinædis] Pulchre, pro, bene. Sic ante, 'Pulchre concoquitis:' et Afran. 'Pulchre hoc incendi rogam.'

2 *Mumurræ pathicoque, Cæsarique*] Mamurræ Formianum intelligit. Et distinguendum, *Mamurræ pathicoque,*

Cæsarique. Neque vero Catullus tantum, sed et Bibaculus in Cæsarem scripsit; quod indicant Corn. Taciti verba Ann. IV. 'Carmina,' inquit, 'Bibaculi et Catulli referta contumeliis Cæsarem leguntur. Sed ipse Divus Julius, ipse Divus Augustus, et tulere ista, et reliquere, haud facile dixerim moderatione magis, an sapientia: namque spreta exolescunt, si irascere, agnita videntur.'

3 *Maculæ pares utrisque*] Probra. Lucilius, 'Quem scis scire tuas omnis maculasque notasque:' et Ausonius in Ecloga, 'At contra inlecebris maculosam ducere vitam.' Mart. lib. VIII. in eandem prope sententiam, 'Cum sitis similes paresque vita, Uxor pessima, pessimus maritus, Miror, non bene convenire vobis.'

6 *Gemelli utrique, Uno in lectulo*] Gemellos vocat, vel propter mutuum in flagitiis consensum, quo modo dictum ab Horatio, 'Ad cetera pene gemelli;' atque ita distinguendum ab eo quod sequitur: aut Gemellos uno in lectulo non sine summa turpitudine vocat.

7 *Uno in lectulo*] Veniebat etiam in mentem, mihi dubitare, an legendum foret, *Unilectuli*, unica voce, ut et Græcis Σύλλεκτροι. Auctor Hymni in Rheam, Πάντιμ', ἀγλαύμορφε, Κρόνου σύλλεκτρε. Tum etiam alibi idem in matrem deum, Κρόνου συνόμενε: et κοινολεχεῖς, Soph. Electra. Solet autem Catullus Σὺν in compositione in Uni convertere, namque alibi, Unigenam simul, aut iisdem natam parentibus dicit. Q. C. in commentario de petitione consulatus eodem prope modo, 'Ambo sicarii, ambo libidinosi, ambo egentes.'

8 *Non hic, quam ille, magis vorax adulter, Rivalis, socii et puellularum*] Vellem per manuscriptum aliquem librum distinguere ac legere liceret hoc modo, *Non hic quam ille, magis vorax adulter Rivalis socius puellularum.*

CARMEN LVIII.

1 *Cæli, Lesbii*] Hic est Cælius Rufus, de quo post plura dicemus.

Nostra] Nostram dicit, quod Cælius etiam Lesbiam, id est, Clodiam amarit, quæ, opinor, eadem traditur a Plutareho dicta 'Quadrantaria.'

4 *In quadrivitiis, et angiportis*] Ubi contemptissima scorta merebant atque prostabant. Horat. l. Od. in Lydiam, 'Flebis in solo levis angiportu, Thracio bacchante magis sub interlunia vento.'

5 *Glubit magnanimos Remi nepotes*] Eodem verbo, atque hoc ipso in genere, usus est Auson. 'Deglubit, fellet, molitur per utramque cavernam.'

CARMEN LIX.

3 *Vidisset, ipso rapere e rogo cenam*] In manuscriptis omnibus, *Rapere de rogo, coman.* quod est ipsum probabilibus. Nescio, an idem Tibull. significet lib. l. 'Ipsa fame stimulante furens, escasque sepulcris Quarat, et a sævis ossa relicta lupis:' et in Ibiu Ovid. 'Et qui debuerat subitas extinguere flammæ: Is prædam medio raptor ab igne petit:' quanquam in aliam hoc dictum sententiam. Suetonius in Vitellio simile quiddam scribit, 'Ut autem homo,' inquit, 'non profundæ modo, sed intemptivæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquam, aut itinere ullo temperavit quin inter altaria ibidem statim visus, et farra pane rapta e foco manderet.' Artemidorus lib. iv. ex eodem genere commemorat, τὰ ἐν νεκροῖσι καὶ παραδείπροις παρατιθέμενα.

4 *Cum derolotum ex igne prosequi panem*] Qui deciderit cibus. Sic Sidorius lib. iii. Epist. ad Apollinarem, 'Enimvero illa sordidior, atque deformior est cadavere rogali, quod facibus admotum, semicombustum, moxque sidente strue torrem devolutum reddere pyræ jam fastidiosus pollinetor exhorret.'

5 *A semiraso tunderetur ustore*] Quasi id quoque in carrimonis fuerit, ustor ut esset semirasus. Mihi vero finis Epigrammatis deesse videtur, et ejus quod sequitur principium.

CARMEN LX.

1 *Nam te Leæna montibus Libysinis*] Leonum enim est Libya, ut Flaccus ait, 'arida nutrix.' Leænæ vero insigni sunt feritate: veteris poetæ senarius est, Ἴσον λεαιῆς καὶ γυναικὸς ὤμοτης. Crudelem significare cum volumus, non homine satum dicimus. Sic Eurip. Bæclid. Τίς ἄρα νιν ἔτεκε; Οὐ γὰρ ἐξ αἵματος Γυναικῶν ἔφην λεαινας δὲ γε τινος, ἢ Γοργόνων Λιβυσσῶν γένος. Theocr. Δυσέρωτι Ἀγριε παῖ καὶ συγγνέ, κακῶς ἀνάθρεμμα λεαινας.

5 *A nimis fero corde*] Ἀηλλέες ἦτρο dicit Callim. Hymno in Delon. Ἥρη, σοὶ δ' ἔτι τῆμος ἀηλλέες ἦτρο ἔκειτο.

CARMEN LXI.

1 *Collis o Heliconii Cultor, Urania genus*] Recte opinor. *Hymenæum* inscribamus; ejusdem enim argumenti Poëma citat Tucidæ Priscian. lib. v. 'Tucidæ, inquit, in Hymenæo, Felix lectule talibus sole amoribus.' Sic legendi hi versus, ut prior ille sit integer, posterior non integer: sunt enim ejusdem omnino generis, cujus hi Catulli. Genus ipsum Carminis Glyconium, estque Dimetrum Acatæcticum, cum Pherecratio: exempla utriusque ponit Hephæstion, agens de Antispastico: prioris, Κάπρος οὐνεχ' ὁ μαινόλης: et reliqua posterioris, Ἀνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν, κ. τ. λ. Terentianus vero Choriambicum primum sive Bæcliacum dici scribit; est enim apud illum sic, 'Hoc metrum Choriambicum est, quod pars Bæcliacum vocant.' Idemque Terentianus, cum Septimii versus præposuisset, 'Geritque intus in oppidum Anhelos panopæ greges:' et Poëtæ alterius, 'Opima adpœni

senex amoris arma feretrio: et illos, 'Purpuræ leguli senes Intus hic ubi consitum est.' Primum pedem mobilem significans, ac varium in his, ut est etiam in Catulli versibus, et in exemplis apud Hephæst. addit, 'Utque est mobilis hic locus Immotus manet ultimus.' Namque hic semper Iambus est. At posterius illud Carmen, quod Pherecratio dicit Hephæstion, idem Terentianus comma Dactyli sive Priapei Carminis videtur appellare, exemplo id Horatiani versus ostendens, 'Grato Pyrrha sub antro: et si primus pes constans Spondeus esse videatur. Sed ad huiusmodi Catulli versum nihil apud illum proprius, nihil eidem similis reperire potui. Atque idem Spondeus in exemplis apud Hephæstionem constans est. Servius illum Glyconium semper vocat in Centimetro; hunc autem Pherecratium: nam de Priapeio agens, 'Priapeium,' inquit, 'constat Glyconio et Pherecratio, ut, Hellespontiacum tuum numen protegit hortos.' Atilius Fortunatianus in arte utrumque videtur vocare comma Priapei Carminis; fit enim ex utroque Priapeium. Atque idem varietatem illam, ac pedum mobilitatem in utroque commate significans ait, 'Non ignoro autem variari primas et secundas syllabas utriusque in Priapeio commatis, ut modo ab Iambo incipiat, modo a Trochæo, tanquam, Hunc lucum tibi dedico consecroque Priape; Libens hoc tibi dedico, libens sancte Priape,' &c. At priorem illum vocat idem Bacchium et Choriambum. Mallius vero, opinor, is est, cujus Macrobius meminit lib. II. Satur. in Ciceronis Ridiculis.

2 *Urania genus*] Id est, filia. Sic enim Poëtæ loquuntur, ut Vergil. 'Genus Orithiæ.' Interpres, opinor, Hesiodi Clius filium facit. At Claudianus in Palladii Epithalamio Musa genitum tantum dicit, 'innumeros Hymenæum quærit amores, Hunc

Delph. et Var. Clas.

musa genitum legit Cytherea, ducemque Præfecit thalamis.' Interpres vero Apollonii Erato Musam in primis, ceteras deinde nuptiarum præsides significat, principio Commentationum Argonaut. lib. III.

5 *Hymen o Hymenæe*] Carmen solenne in nuptiis; ut illud Romanis, Thalassio, Thalassio. Aristoph. Avibus, 'Τμήν ὦ Τμηναιε, ὦ Τμήν' et Theocr. Adon. Οὐκέτι Τμάν, 'Τμάν οὐκέτ' ἀειδόμενον μέλος ᾄδεται' et in Helenæ nuptiis, 'Τμάν ὦ Τμηναιε γάμφ ἐπὶ τῷδε χαρεῖρης.

6 *Cinge tempora floribus*] Ovid. in Epist. Hypsipyla ad Jasonem, 'Hæc ubi pacta fides, ubi connubialia jura, Faxque sub arsueros dignior ire rogos. Non ego sum furtim tibi cognita; pronuba Juno Adfuit, et sertis tempora victus Hymen. At mihi nec Juno nec Hymen, sed tristis Erinys Prætulit infausta sanguinolenta faces.'

8 *Flammeum cape latus*] Novæ nuptiæ flammeum indebatur: ita enim loquebantur. Severus Sulpicius lib. II. Sacræ Historiæ de Nerone ipso. 'Post etiam Pythagoræ cuidam in modum solemnium conjugiorum nuberet, inditumque imperatori flammeum, dos et genialis thorus, et faces nuptiales: cuncta denique quæ vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur spectata.' Hæc Sulpicii verba posui propter insignem rerum earum, quæ in nuptiis adhibebantur, enumerationem. Similem Callistrati ejusdam turpitudinem eadem prope cum enumeratione exagitat Martial. lib. XII. 'Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro, Hac qua lege viro nubere virgo solet. Præluxere faces velatum flammea vultus, Nec tua dixerunt verba, Thalasse tibi. Dos etiam dicta est: nondum tibi Roma videtur Hoc satis: exspectas numquid, ut et pariat?' Eandem turpitudinem exagitans Suetonius Nerone 'Cum dote et flammeo persollemni celeberrimo nuptiarum

Catull.

2 O

officio, deductum ad se pro uxore habuit.' Juvenal. Sat. x. flammeum paratum dixit, 'Dudum sedet illa parato flammeolo.' Nescio an, cum, relicto priore, nubebant alii, flammeum prius scinderent: hoc enim significare videtur Juvenal. Sat. vi. 'Permutatque domos, et flammea conterit.' Nisi iratam id dicat facere, vel crebra divortia sic significet. Nuptias Ælius et Cincius dictas censuerunt, quia flammeo caput nubentis obvolvebatur, quod antiqui Obnubere vocarunt. Fest. Pomp. idem affirmat in III. Fast. Ovid. 'Credit amans, thalamosque parat, deducitur illuc, Anna tegens vultus ut nova nupta suos.'

9 *Huc veni niveo gerens Luteum pede soccum*] Habitum Hymenæi describit Ovid. Met. x. in Orphei nuptiis, 'Inde per immensum croceo velatus amictu Æthera digreditur, Ciconumque Hymenæus ad oras Tendit, et Orpheia nequicquam voce vocatur. Adfuit ille quidem, sed nec sollempnia verba, Nec lætos vultus, nec felix adtulit omen.' Soccus autem luteus, quod eo pedes inducunt novi mariti. Seneca in Hippolyto de Hercule, 'Crura distincto religavit auro Luteo plantas cohibente socco, Et manu clavam modo qua gerebat, Fila deduxit properante filo.'

11 *Excitusque hilari die*] Sic Terent. 'Hilarem hunc sumamus diem.'

12 *Nuptialia concinens Voce carmina tinnula*] Carmina nuptialia quæ Theocr. in Europa Γάμια μελῆ dicit, Κόλλησι ταναοῖς γάμιον μέλος ἤψοντες. et Eurip. Troadibus, Δάκρυά τ' ἀνταλλάσσετε τοῖς τῆσδε μέλεσι Τρωάδες γαμηλῖος. Hoc ipsam significans Ov. Met. v. 'Atria complentur, nec conjugalia sacra Qui canat, est clamor.' Servius in Æn. vii. in illud, 'Hi Fescenninas acies.' 'Fescenninum,' inquit, 'oppidum est Campaniæ, ubi nuptialia inventa sunt carmina.' *tinnula*, tenni, id est, quæ aures feriat.

L. Pomponi adducuntur hæc ab aliis, 'Jube modo adferatur nnus, ego vocem reddam tennem et tinnlam.' Nisi id dicat se varia usurum voce. Expressisse autem Catullus videtur, quod Callim. dixit Hymno in Delum, Εὐρηχῆς ὑμεναῖος.

14 *Pelle humum pedibus*] Hæc est ὄρχησις, quæ adhiberi in nuptiis solebat, de qua Interpres Apollonii principio lib. III. Argonaut.

Manu Pineam quate tædam] Hæc sunt illæ faces nuptiales, de quibus jam supra, et Vergil. 'Mopse novas incide faces:' et Ovid. in nuptiis Orphei, 'Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo Usque fait, nullosque invenit motibus ignes.' Cur autem *Spineam* magis, quam *Pineam tædam* legi oporteat, non video: ut enim illam in nuptiis adhibitam fuisse concedam, ejus tamen propria vis putabatur pellendi noxia: de quo et Varro ut citat Carisius lib. I. 'In Asia fax' (sic enim legendum) 'ex spina alba præfertur, quod purgationis causa adhibetur:' et Ovid. Fast. lib. vi. 'Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset A foribus noxas, hæc erat alba, dedit:' ac post, 'Virgaque Janalis de spina sumitur alba, Qua lumen thalæois parva fenestra dabat, Post illud neque aves cunas violasse feruntur, Et rediit puero, qui fuit ante, color.' Deinde vero libri manuscripti quoseunque vidi, *Pineam* omnes habebant; quam in nuptiis adhiberi solitam ostendunt et Verg. Æn. vii. 'flagrantem fervida pinum Sustinet, ac nata, Turnique canit Hymenæos:' et Ovid. Fast. II. 'Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ. Exspectet puros pinea tæda dies.' Locus est insignis apud Nonium Marcellum in verbo 'Fax:' qui hoc ipsum plane confirmat. Est autem is in impressis hoc modo: 'Fax, pro, Face Var. Γέροντος διδασκαλιου, Confluit mulierum tota Roma. quæ noctu fieri iuitia solita etiam nunc

pineæ fax indicat. Idem Sexagesi, Adest fax involuta incendio. Idem de vita Pop. Ro. lib. II. Cum a nova nupta ignis in face adferretur fuco ejus sumptus fax ex pinu ablata esset, ut eam puer ingenuus adferret. In duobus manuscriptis sic, Fax, pro, Face. Varro in Geronto didascalo, Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu firri initia solita etiam nunc pinea fax indicat. Idem in Sexagesi, Adest fax involuta incendio. Idem de vita patrum lib. II. Cum a nova nupta ignis in facie adferretur fuco ejus sumptus cum fax ex pinu alba esset, ut eam puer ingenuus adferret.' Est itaque omnibus in libris 'Pinea fax,' et, 'Ex pinu.' Postrema Varronis verba restituere conabar, 'Cum a nova nupta ignis in face ferretur foco ejus sumptus, cum fax ex pinu alba esset, ut eam puer ingenuus ferret.' Deinde 'initia,' mutandum, in 'initio.' Quod vero scribit Plin. lib. XVI. cap. 19. de Spina nuptiarum facibus, idem ait, auspicatissima, id vero aut olim fuerat, aut ea etiam, ut opinor, pineis facibus intexebatur. Fax autem ominis causa præferatur, ut significare Propert. videtur lib. IV. 'Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa Traxit ab everso lumina nigra rogo.' Nisi sic intelligas Facem, quæ noctu nuptiæ fierent, præferebatur, Mihi, inquit Propert. omen triste prætulit ipsa rapta de rogo. Plut. tamen causam adfert aliam, cur Fax præferretur; cujus verba alio loco ponemus.

16 *Namque Julia Mullio*] In omnibus fere manuscriptis, non *Julia*, sed *Junia*.

17 *Qualis Idalium colens*] Hoc genere similitudinis eximiam Junia pulchritudinem significat. Sæpe sic alii Poætæ.

19 *Bona cum bona Nubit alite virgo*] Bona virgo, bella: in manuscriptis, *nubet*. Cum *bona alite*, præpositionem

adposuit, more Græcorum. Hesiod. *σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν*. Et Soph. opinor, in Trachin. Bonam autem in nuptiis alitem dixit, quod aves quædam in his infaustæ maleque ominatæ sint, quas Græci propterea τοῖς γαμοῦσι δυσοιάνιστα ὄρνέα vocant: quod Interpres Lycophronis in illa, Οὐ μήποτ' οὐ Ζεῦ σῶτερ ἐς πάτραν ἐμὴν Στείλαις ἀρωγούς τῇ δυσαρπάγῃ κρεκί, sic tradit: Κρεξ ὄρνέον θαλάσσιον, Ἰβιδι εἰκόσ' ἔστι δὲ ἡ Ἰβις περὶ τὴν Αἴγυπτον, ῥυπαροφάγον. Καλλιμαχος δ' ἐν τοῖς περὶ ὄρνέων φησί, τοῖς γαμοῦσι δυσοιάνιστον εἶναι, καὶ Εὐφορίων ἐν Ἀπολλοδώρῳ, ποικίλον, οὐδὲ μέλαθρον, ὄρχιλος ἔπη, Κύζικος ἔν δ' ἤεισε κακὸν γάμον ἀχθόμενος κρέξ. Κρεκί τὴν Ἑλένην παρεικάζει διὰ τὸ δύσγαμον καὶ κακόνυμφον γενέσθαι. Eandem avem intelligens, opinor, Propert. lib. IV. dixit, 'Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem, Concordique toro pessima semper avis.' Quamquam quibusdam in libris esse dicant, 'anus,' non 'avis.' Horat. I. Od. 'Mala ducis avi domum, Quam multo repetet Græcia milite Conjuncta tuas rumpere nuptias.' Callim. Λουτρά τῆς Παλλάδος, bonas ac malas alites significans dixit, Γνωσέται δ' ὕρνιας, ὅς αἰσιος οἱ τε πέτονται Ἥλιθα, καὶ ποίαν οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες. Itaque ἀγαθὰς πτέρυγας bonam alitem apte interpretemur, vel quo modo Vergil. III. Æn. proxime ad hæc accedens Callim. 'Et volnerum linguas, et præpetis omina pinnæ:.' alterum enim lex Carminis repudiat: ac nescio, an aliquid de Thalassio sit intelligendum.

21 *Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis*] Cum Myrto comparat, itaque θαλερὰν illam significat, quod succo, et viriditate præstet, eoque Veneri sacra sit. Causas adfert, opinor, Plut. in Problem. Atque ea quoque in conjugii adhibita, conjugalis dicta. Plin. lib. XI. cap. 29. Asiam Myrtum, vel quancunque intelligamus præstantem, cujusmodi erant Asiæ,

vel proprie natam illis in locis, in quibus multa fuisse prata, versus, quibus Arateos expressit, Prisciani ostendunt illi, 'Nam florent Asiae per campos plurima prata: Sed magis ad fluvium Mæandri gurgite miti.' Stephanus περὶ Πόλεων, Asium pratum quod esset, demonstrans, Homeri verba simul interpretatur illa, 'Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι' ita vero scribit, 'Ἔστι καὶ Ἄσιος λειμῶν. Ὀμηρος, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, ἀπὲρ τοῦ Ἀσίου. γενικῆ γὰρ ἔστιν, οὐκ Ἀσιανῶ. ἀγνοεῖ γὰρ Ὀμηρος τὴν Ἀσίαν, ὡς καὶ τὴν Εὐρώπην· ἢ μᾶλλον Ἀσίας. καὶ Ἰωνικῶς Ἀσίῳ, καὶ Ἀσίῳ, ὡς Εὐμελείῳ. Servius in illud Georg. 1. 'Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum Dulcibus in stagnis riantur prata Caistri:' item in illud Æn. vii. 'Sonat amnis, et Asia longe Pulsa palus:' cur prima in verbo Asia longa sit, rationem præcipit utrobique. Intelligi etiam possit Myrtus Asia, Italica in Apulia nata. Vibius enim Sequenster de Montibus et Gentibus, 'Apuli,' inquit, 'Italici partus Asiae,' primam in Asia produxit; ut et Homer. et Nicander in 'Ἀλεξίφαρμάκοις, Εἰ καὶ μὴ σίγκληρα κατ' Ἀσίῳα τεύχεα δῆμοι.

25 *Nutriunt humore*] Sic est etiam in manuscriptis nonnullis: in aliis etiam, *Nutriunt in honore*, ut et Aldus jam pridem impresserat. Sed illud omnino rectius: more enim suo Catullus Spondæum pro Dactylo posuit, ut in Hendecasyllabo, 'Oramus si forte non molestum est: aliisque in locis. Sic etiam Seneca in Œdipo, in Choricis versibus, 'Vela nec pressa gravi.' Sunt, qui rejiciant, quod in hoc genere Carminis pedem insolentem dicunt, et dure dictum, 'roscidum humorem.'

29 *Lympha quos simul inrigat*] In manuscriptis omnibus, *Nympha*, quod probari etiam potest.

31 *Ac domum dominam voca*] In manuscriptis omnibus, *Ad domum*: itaque, opinor, antiqui loquebantur. Do-

minam vero quod dicit, nuptiale id verbum fuit. Transibat enim ad mariti domum nova nupta. Homer. in xvi. Iliad. τὴν μὲν Ἐχέκλῆος κρατερὸν μένος Ἀκτορίδαο Ἠγάγετο πρὸς δῶματ', ἐπεὶ πύρε μύρια ἔδνα. Etenim, ut Festus tradit, in Romuli tabula scriptum erat, 'Mulier vero legitime conjuncta, fortunatque et sacrorum socia esto, ut ille dominus, hæc domina vocaretur.' Plin. in Κεφαλαίων Καταγραφῇ 'Ῥωμαικῶν, novum matitum κύριον καὶ οἰκοδεσπότην, novam nuptiam κυρίαν καὶ οἰκοδέσποιναν. Verba illius sunt, Διὰ τί τὴν νόμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ἔπου σὺ Γαῖος, ἐγὼ Γαῖα; πότερον, ἔσπερ ἐπὶ ῥητοῖς, εὐθὺς εἰσεῖσι τῷ κοινωνεῖν τῶν ἀπάντων, καὶ συναρχεῖν, καὶ τὸ μὲν δηλούμενόν ἐστιν, Ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. Si retinere priorem lectionem quis malit, legat hoc potius modo, *Ac domus dominam voca*.

34 *Ut tenax hedera hac, et hac*] Ita arctissimum complexum significant Ποῦτῆ; de quo multa diximus in Commentationibus, in Horat. Sed erat in manuscriptis omnibus, *Huc, et huc*.

36 *Vos item simul integræ*] Castæ: autē, 'Puella, et pueri integri.' In manuscriptis erat, *Vosque item*. Chorus aliquis in Epithalamiis adhibebatur fausta omnia utrique conjugi adprecantium. Quo ex genere sunt illa Sapphus apud Athen. ac Macrob. Κοινῆ δ' ἄρα πάντες καρχισί' ἔσχον, καὶ ἔλειβον, ἀρῶσαντο δὲ πάμπαν Ἑσλὰ τῷ γαμβρῶ. Et illa ejusdem apud Hebraestionem, Ὀλβιε γαμβρῆ, τοὶ μὲν δὴ γάμος ὡς ἔραο Ἐκτετέλες, ἔχεις δὲ παρθέον ἔν ἔραο.

38 *Agite, in modum Dicite*] In numerum, ut Verg. Æn. viii. 'Illi inter sese multa vi brachia tollunt In numerum.'

39 *Hymen o Hymenæe*] Ἐπιφώνημα nuptiale. Divus Hieronymus, si modo ejus liber est γνήσιος, in Commentario in Cantica Canticozum juvenes

ac puellas in nuptiis adhiberi solitas significat : idque Drama vocat.

42 *Se citarier ud suum Munus*] Vocari ἐπιφωνικῶς. Horat. 'Ab ovo usque ad mala citaret Io Bacehe.' Æmilius Probus, Historicus, 'Magnis,' inquit, 'in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari.'

44 *Dux Bonæ Venereis*] Bonam Venerem, et bonum amorem dicit conjugalem; et ut post dicit, 'Fama quem bona comprobat.'

Boni Coniungator amoris] Γαμήλιε.

46 *Quis Deus magis optimis Est petendus amantibus*] In manuscriptis omnibus, *Quis Deus magis amatis* : itaque adulterinum omnino est, *optimis*. Ego, quo stet versus, legendum puto, *Quis Deus magis a macris*; et quod sequitur, *Expetendus amantibus*. Amantes et pallidos et macie confectos videmus. Vergilius in Palæmone, 'Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in arvo; Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro;' et Ovid. Amor. lib. i. 'Longus amor tales corpus tenuavit in usus, Aptaque subducto corpore membra dedit;' et in Met. xi. 'Fecit amor maciem.'

51 *Te suis tremulus parens*] In manuscriptis, pro *tremulus*, *Romulus*, aut *Remulus* : hoc potius, si modo ferendum est.

53 *Zonula solvunt sinus*] Verbi quoque syllabas ipsius mire solvit.

54 *Te timens cupida novos Captat aure maritos*] Ita est omnibus in manuscriptis. Ea fore sententia, atque ordine; Novus maritus, timens, ne voto excidat, te cupida aure captat : 'novos' autem pro 'novus' legi nuper in vetustissimo libro Vaticanæ bibliothecæ in Oratione Philippi ex Historiis Sallustii, quæ non extant, 'Adest novus exercitus.' vel si *timens*, in *tenens*, quod facile est, mntes, ea sit sententia, quæ te tenet, marito suo non contenta, novos maritos cupida captat. Novus maritus dicitur, ut et nova nupta. Idem alibi, 'In-

visente nova prælia torva viro;' et Plaut. Casina, 'Lubet Charinum, quid agat scire nuptam cum novo marito.' et Festus Pomp. 'Nuces flagitantur nuptiis, et jaciuntur pueris, ut novæ nuptæ intranti domum novi mariti secundum fiat auspicium;' et in verbo 'Repotia,' 'Repotia postridie nuptias apud novum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio.' Verbo 'captare' Terent. Phorm. sic est usus, 'Ad fores suspensio gradu placide ire perrexi, accessi, astiti : Animum compressi : aurem admovi : ita animum cæpi attendere, Hoc modo sermonem captans.'

56 *Tu fero juveni in manus*] An quia mulier in manum viri convenit, an potius quod virginem det optanti juveni fruendam?

58 *Matris est gremio suæ*] Eundem versus postea repetit. Hoc vero e veteri consuetudine posuit, quam tradit his verbis Festus Pompeius : 'Rapi simulatur virgo ex gremio matris; aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur : quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.' Eodem forte pertineat illud Verg. Æn. x. 'Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas.'

59 *Dedis*] Idem alibi, 'Dedatur cupido jamdudum nupta marito.'

62 *Fama quod bona comprobet*] Sic etiam Ovid. Fast. iv. de Venere, 'Cum primum cupido Venus est deducta marito, Hoc bibit : ex illo tempore nupta fuit. Illam supplicibus verbis placate : sub illa Et forma, et mores, et bona fama manet.'

66 *Nulla quit sine te domus Liberos dare*] Lucret. 'Per te quoniam genus omne animantum Concipitur, visitque exortum lumina Solis;' et Theocr. dignam Deam quæ coletur in Amphiclis domo, cui liberos dederit, 'Ἡ Κύπρις οὐ πάνδημος. ἰλάσκειο τὴν θεὸν εἶπων Οὐρανίην, ἄγνῶς ἄνθεμα Χρυσογύρας Οἴκηφ ἐν Ἀμφικλέους, ᾧ καὶ τέκνα καὶ βλοῦν εἶχε Ξυθόν.'

67 *Liberos dare*] Idem post, 'Liberos date, procreate:' et Vergil. 'Geminam partu dabit Ilia prolem:' et Claud. in Nuptiis Honori et Mariæ, 'Te Læida mallet, quam dare Castorem.'

Nec parens Stirpe nitier] Soph. Œdipo in Colono, idem, opinor, significans, Οὐδ' ἐν τῇ μεγάλῃ Δωριδί νάσφ Πέλοπος πάποτε βλαστὸν Φύτευμ' ἀχελρωτον, αὐτόποιον. Stirpe enim valet, quod, βλαστὸν φύτευμα dicit, sive ξρνος. Soph. in eadem Fabula, ὃ φιλτατ' ἔρηη' quæ verba sunt Œdipi ad filias. Ex eodem prope genere est, quod Arist. posuit lib. vii. ἠθικῶν Νικομαχείων, quod proverbio dici solet, Διὸ φασὶ ταῦτὸν αἶμα, καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Quod vero 'Niff' dixit, eodem prope modo Lucret. lib. iv. 'Et quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent Uxores parere inventa est illis quoque compar Natura, ut possent gnatis munire senectam:' et Propert. lib. iv. 'Et serie fulcite genus.' Euseb. lib. i. de Constantini Imperatoris Vita, ubi de Alexandro Macedonum Rege, Ἄτεκνον, ἄρριζον, ἀνέστιον' et, cum gentis totius exitium significant, iisdem verbis utuntur auctores utriusque linguæ. Soph. Electra, Φεῦ, φεῦ, τὸ πᾶν δὴ δεσπότηαισι τοῖς πάλοι πρόρριζον, ὡς ξοικεν, ἐφθάρται γένος. Virg. Æn. xi. 'Et Evandri totam cum stirpe videbit Procubuisse domum.'

73 *Finibus*] Absolute posuit, ut post, 'Oris,' 'Quam maxima in oris.' Ovid. lib. ii. Eleg. in amicam, quod abortivum fecerat, eandem pæne in sententiam, 'Quis Priami fregisset opes, si numen aquarum Justa recensasset pondera ferre Thetis? Ilia si tumido geminos in ventre necasset, Casurus dominæ conditor urbis erat. Si Venus Æneam gravida temerasset in alvo, Cæsaribus tellus orba futura fuit.'

76 *Claustra pandite januæ*] Ex hoc genere est, et huic proximum, Sapphus illud apud Hephæstionem, περὶ

Σπίχου, Κώλου, Κόμματος, Ἵψοι τὸ μέλαθρον ὑμέναιον ἀείρατε τέκτονες ἄνδρες, ὑμέναιον γαμβρὸς ἔρχεται.

77 *Viden', ut faces Splendidas quatiunt comas*] Novæ enim nuptæ fax prælucebat, quare rapi dicebatur. Festus Pompeius, 'Rapi solet fax, quia prælucente nova nupta deducta est ab utriusque amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendam curet, quo utroque mors propinqua alterutrinus captari putabatur.' Plaut. Casina, 'Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.' Stat. lib. ii. Thebaid. idem significans dixit, 'Præmissæque faces festum nubentibus ignem Obruit.' Quamobrem M. Tullius in Oratione pro Cluentio Faces nuptiales has vocat.

Viden', ut faces Splendidas quatiunt comas] Sic Sol auricomus a Poëtis, dicitur. Et cometa παργούτης Æschyl. in Agamemnone, Πέμπουσι δ' ἀνδαλοντες ἀφθόνῳ μένει Φλογὸς μέγαν πάγονα. Quatiunt autem dixit, ut et Calvus in Epithalamio, 'Hesperium ante jubar quatiens:' et Græce Theodectes, Ἐλίσσειν. Ὡ καλιφεγγῆ λαμπὰδ' εἰλίσσων φλογὸς, ἤλιε ποθεῖων πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας.

80 *Produs nota nupta*] Ὡ νέα νύμφη. Festus Pomp. 'Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod Nymphaea dixerunt Græci antiqui γάμον. Inde novam nuptam νέαν νύμφην.' Hoc autem aliud ἐπιφώνημα nuptiale.

81 *Tardat ingenuus pudor*] In manuscriptis omnibus, *Tardet*, illud rectius. Ingenuus pudor, ἀγαθὴ αἰδῶ. In scriptis Grammatici veteris, quæ apud me sunt, ἀγαθὴ δ' ἐπὶ ἤθεσιν αἰδῶ δ' τοῦ Θεοκρίτου διδάσκαλος Φιλιππᾶς εἶρηκε. Claudianus in nuptiis Honori et Mariæ, 'Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor, Jam produnt lacrymas flammae simplices.' Vitruvius in Proœmio lib. vi. 'ingenuum colorem dicit:' 'Mihī autem,' inquit, 'a præceptoribus est traditum, rogatum, non

rogantem, oportere suscipere curam, quod ingenuus color movetur pudore, petendo rem suspiciosam.'

82 *Quem tamen magis audiens*] Sic erat omnibus in manuscriptis. Erit ergo sensus: Cui parens pudori, audire enim id nonnumquam significat. Virg. 'Fertur equis, auriga, nec audit curus habenas.'

83 *Flet, quod ire necesse sit*] Quo pudore impedita, flet. Est autem iisdem in libris, *Quod ire necesse est*, quod est multo rectius. Sæpe namque non elidit.

86 *Non tibi Arucleia periculum est*] In manuscriptis omnibus, *Arunculeia*, et *Aurunculeia*: legendum forte, *Arunculea*, ab Aruncis: itaque vetustatem generis et claritatem significat. Possit etiam legi *Hirculeia*, vel *Herculeia*, quomodo Aldus olim impressit. Sallust. lib. II. Historiarum, ut est apud Nonium Marcellum in verbo 'Sagum,' Hirculei cujusdam meminit, 'Occurrere,' inquit, 'duci, et prælium accendere adeo ut Metello in sagum, Hirculeio in brachium tela venirent.' Non tibi periculum est, ita prope dixit, ut Cic. 'Cave putes:' itaque Græci *καθονεύω* prope eodem modo dicunt.

88 *Ne qua femina pulchrior Clarum ab Oceano diem Vidit venientem*] Quod de die forma ejusque spectari in primis debeat.

91 *Talis in vario solet*] Hyacintho nunc, quam prius myrto, comparat.

97 *Et audis Nostra verba*] Nostros cantus. Manil. Astronom. lib. IV. 'Et graciles calamos, et nervis insita verba.'

98 *Nostra verba, viden', fuces*] In manuscriptis omnibus, *Viden' ut faces*. Stare autem sic versus nequit: legendum pnto, *Vide, ut faces*.

99 *Aureas quatunt comas*] *Χρῦσεον φάος*. Bion in Bucolicis, 'Ἐσπερε τῆς ἑρατῆς χρῦσεον φάος Ἀφρογενείας.'

101 *Non tuus levis in mala Deditus vir adultera*] Vetuste dixit. Ex eo-

dem genere est illud ejusdem post, 'Sed quæ se impuro dedit adulterio.' Mala, non casta: ut bonas, Castas vocant.

103 *Probru turpia persequens*] In manuscriptis omnibus, *Proca turpia persequens*: rectius illud, si modo veterem librum Guarinus est secutus. Stautius in Davo Probrum sic videtur accepisse, 'Ea compressa parit huic puerum, sibi probrum.' Ut et Plant. in Aul. 'quo pacto celem herilis filia Probrum, propinqua partiundo quo adpetit.' Erat quodam in libro, *Precurtur pia persequens*. Legi fortasse possit, *Peccat, aut pia persequens*: qui enim pietati student, rebusque divinis sese totos dedunt, Venere abstineant. Claudianus et Catullum et Horatium imitatus hoc ipso in genere, in Epithalamio in nuptiis Honori et Mariae, 'Tam junctis manibus nec tite vincula, Quam frondens hedera stringitur æsculus, Quam lento premitur palmite populus.'

114 *O cubile quod omine Candido pede lectuli*] Reliqui tres versus non in Guarini modo libro desiderantur, sed in omnibus iis quos viderim: itaque qui eorum loco leguntur, alieni sunt, et conjectura positi: illi vero duo superiores in Guarini libro leguntur, *O cubile quod homine Candido pede lectulis*: in iis, quibus hæc scribens, uterbar, *O cubile quod omnibus Candido pede lecti*. Difficilis vero conjectura, propter ea, quod reliqui versus desunt. Hesiodus *Θαλαμῆα δοῦρα* dicit ligna faciendis apta lectulis.

116 *Quæ tuo veniunt hero, Quanta gaudia*] 'Quæ' et 'quanta,' jungit eodem modo Flaccus, 'O qui complexus, et gaudia quanta fuerint.' Gaudia vero in re Venerea, quæ dicantur, doceo in meis in Tibullum Commentationibus, id est, ἡ συνουσία.

117 *Quæ vaga Nocte, quæ media die Gaudeas*] In manuscriptis omnibus, *Gaudeat*, ut ad herum referatur: is enim illum amoris fructum percipit.

‘Gaudere gaudium,’ ‘ridere risum,’ ‘servire servitutum,’ et multa hoc modo veteres dicebant. ‘Noctem’ autem ‘vagam’ dixit, ut et ‘Sol vagus’ dicitur, ut in illo, ‘Aurora exoriente vagi Sub lumina Solis.’ Nam et currum nox habere fingebatur. Tibull. lib. II. ‘Ludite, jam nox jungit equos:’ et ‘volare,’ Ennius apud Festum Pomp. in verbo, ‘Quando,’ ‘Nox quando mediis signis præciucta volabat.’ Ennii quoque esse existimo apud Varronem de Ling. Lat. lib. IV. ‘Itaque dicit Andromacha. Noctique cava cæli signitentibus conficis bigis.’ Quæ verba sic distinguebam, emendabamque, ‘Itaque dicit Andromache nocti, Quæ cava cæli signitentibus conficis bigis:’ ut posterior versus longus sit, eaque sint Andromaches ad Noctem verba. Auctor extremi Carminis in Græcis Epigrammatis, sive is est Mercurius, sive Orpheus, ‘Noctem citam’ dixit, Γῆς ἔνοσις γίνουτο θοῆν διὰ νύκτα.

118 *Quæ media die*] Cum meridiabitur. Inde ante ad Iphitillam, ‘Jube ad te veniam meridiatum.’ Cubabant meridianes. Ovid. Amor. lib. I. ‘Festus erat, mediamque dies exegerat horam, Apposui medio membra levanda thoro:’ ac post, ipsa hac de voluptate, ‘Cetera quis nescit? lassi requievimus ambo, Proveniant medii sic mihi sæpe dies.’

121 *Tollite, o pueri, faces*] Et tamen Apollonii Interpres sponsi ac sponsæ parentes ipsas in nuptiis olim faces tenere solitas scribit, in lib. IV. verba interpretans illa, Αὐτὴ δὲ σέλας, αἶτ, ὅτι τὸ πάλαιον τὰς μητέρας τῶν γαμούντων ἐν τοῖς γάμοις δαδουχεῖν ἔθος ἦν, καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοινίσσαις φησίν. Ergo vel ea Græcorum consuetudo fuit; vel olim factum, postea desitum fieri; vel tum matres, tum pueri etiam faces ferebant. Romæ tamen nec apud Octavianum Zenum, nec apud Capranicensem Episcopum, apud quos videre est scalpita atque incisa vete-

rum nuptiarum simulachra, ullæ matres cum facibus.

122 *Flammeum videor videre*] In manuscriptis omnibus, *Flammeum video tenere*; quod est ipsum rectius.

123 *Ite, concinite in modum*] Ἀσύνδετον. quale apud Verg. ‘I, sequere Italiam ventis.’

124 *O Hymen Hymenæe, Hymen o Hymenæe*] In manuscriptis semper sic hi versus leguntur, *Io Hymen Hymenæe io*; *Io Hymen Hymenæe io*. Legendum puto, *Hymen o Hymenæe io Hymen o Hymenæe*. Plautus in Casina sic quoque cantantem Hymenæum facit, ‘Age tibi cen, dum illam educunt huc novam foras, Suavi cantu concelebra omnem hanc plateolam Hymenæo: Io Hymen Hymenæe Hymen:’ et item post, ‘Io Hymen Hymenæe Hymen.’ Ibidem Plautus, et Occentare Hymenæum, et Cantare Hymenæum dixit. Quod vero tibi cinem adhibitum in nuptiis Plautus significat, idem etiam Claudianus ostendit in Honori et Mariæ nuptiis, ‘Ducant pervigiles carmina tibiæ.’

126 *Procax Fescennina locutio*] Procax, dicax. Seneca in Medea, ‘Festa dicax fundat convicia Fescenninus.’ Idem, opinor, intelligens Claudianus in Epithalamio in nuptiis Honori et Mariæ, ‘Ducant pervigiles carmina tibiæ, Permissisque jocis turba licentior Exultat tetricis libera legibus:’ hanc enim locutionem jocos etiam vocat Ovid. Fast. III. de origine agens ipsa Fescenninorum versuum. Apud quem versus sunt, ‘Nunc mihi cur Cantent superest obscena puellæ Dicere: nam coënnat, certa que probra canunt:’ deinde post, ‘Inde joci veteres, obscenaque verba canuntur.’ Legendus Servius apud Verg. ubi de Fescenninis Augusti. Et Sidonius Apollinaris in Epistola ad Heronium, in qua tota fere pompa nuptialis explicatur. Quæ ejus verba, quod multis locis Catulli sensum ac verba inlustrant, facere non potui, quin ad-

scriberem, 'Interveni enim nuptiis Patricii Ricimeris, cui filiam Perhenius Augusti in spem publicæ securitatis copulabat. Igitur tunc in ista non modo personarum, sed etiam ordinum, patrumque latitia transalpino tuo lateri conducibilis visum: quippe cum hoc, ipso tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia, Thalassio Fescenninus explicaretur: atque etiamnum e contrario studia sileant, negotia quiescant, judicia conticescant, differantur legationes, vacet ambitus, et inter scurrilitates histrionum totus actionum seriarum status peregrinetur: jam quidem virgo tradita est; jam corona sponsus, jam palmata consularis, jam cyclade pronuba, jam toga Senator honoratur, jam pænulam deponit inglorius: et nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia necdum ad mariti domum nova nupta migravit.' Quod 'traditam jam virginem' dixit, ita vero et Catullus post altero in Epithalamio, 'Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse: quod 'pænulam deposuisse ingloriam;' propterea credo 'Prætextatum' postea Catullus vocat: quod 'ad mariti domum nondum migrasse' dicit, et ad id, quod ante posuit de 'domo domini,' intelligendum facit, et ad id etiam, quod post sequitur, 'Transfer omine cum bono, Limen aureolos pedes, Rasilemque subi forem.'

128 *Neu nuces pueris neget Desertum domini audiens Concubinus amorem*] In manuscriptis nonnullis, *Ne nuces pueris neget*. In uno, *Nec nuces*; quod est ipsum maxime probandum. Qui sequitur versus, varie legitur in manuscriptis: primum sic, *Desertum Deum audiens*; deinde etiam sic, *Desertum dominum audiens*. sed, sive quo, impressi sunt, modo legantur, sive quo sunt in manuscriptis, nulla prorsus sententia probabilis elici potest. Ego

leviter mutans, emendabam, *Nec nuces pueris neget Defectam dominam audiens Concubinus amore*. Nam invita, ut supra significavit, ad novum virum nova nupta trahebatur. Noli, inquit, quod eam audias parum in te propenso esse animo, pueris ludentibus nuces negare.

131 *Da nuces pueris iners Concubine*] Hæc vero est jam 'Fescennina locutio.' Nuces autem jaciebantur pueris: ut novæ nuptæ intranti domum novi mariti secundum fieret auspicium. Fest. Pomp. Plin. lib. xv. cap. 22. 'Nuces juglandes quamquam et ipsæ nuptialium Fescenninorum comites.' Ex quo intelligimus et cantare simul Fescenninos solitas puellas, et spargi nuces, aut statim post earum cantum id fieri solitum.

136 *Sordebant tibi villicæ*] Fastidiose formosas ipsas villicas appellabat; adeo ab omnium amore erat aversus. More vero Sabino convivia novo marito fiebant. Lucan. lib. II. de Catonis et Marcie nuptiis, 'Non soliti lusere sales, neque more Sabino Exceptit tristis convicia festa maritus.'

138 *Nunc tuum cinerarius Tondet os*] Cinerarius idem, credo, qui Ciniflo. Cato in Originibus, quo id fieret modo, ostendens, 'Mulieres,' inquit, 'nostræ, capillum cinere unguabant, ut rutilus esset crinis.' Caris. lib. I. et Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Ornatus, quasi ab Ore natus, hic enim maxime sumitur, quod eam deceat: itaque ob id paratur speculum. Callamistri, quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a Cinere Cinerarius est appellatus.' Caris. lib. II. Afranius advocat in Cinerario. Idem verbum legitur in veteri monumento in D. Pauli æde, ad primum ab urbe lapidem, via Ostiensi, T. CLAUDIVS ZOSIMVS. FECIT. LICINIAE. PRISCAE. MAMM. CLAVDIAE....ROSHODO. SOR. MASSA.... CVM. CINERARIO. ET. TI. CLAVDIO. VERECVND. PATRONO. ET. SIBI. ET.

SVIS. POSTERISQ. EORVM. LONG. PED. VI. LAT. PED. VI. Hi sint fortasse, quos in proœmio libri primi Columella Capitumque et capillorum concinnatores vocat.

139 *Tondet os*] Malas. Martial. lib. VIII. 'Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi restat:' atque idem alibi, 'Tondebit pueros jam nova nupta tuos.' Est autem sensus: Quas tu nuper fastidiebas atque aversabare, iis nunc os tondes, iis te nunc ipsum ornas; vel id dicit, quod ad eam diem barbam alere liceret, jam marito non liceret.

141 *Diceris male te a tuis Unguentate glabris Abstinere*] In manuscriptis, *Diceres*, prave omnino. Unguentatum dicit, mollem, atque unguentis delibutum: et quod dixit Homer. τὴν κεφαλὴν διάβροχον. Seneca hircosis unguentatas opponit. cuius apud Gellium lib. XII. cap. 2. verba sunt, 'Quidam sunt,' inquit, 'tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere.' Eo autem verbo cum ceteris P. Africanus apud eundem Gell. lib. VII. cap. 12. mollissimum hominem significat, 'Nam qui,' inquit, 'quotidie unguentatus adversum speculum ornatur, cujus supercilia radantur, qui barba vulsa, feminibusque subvulsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chirdota tunica inferior adcubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit, cum ne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent?'

142 *Glabris*] Vel ad ætatem referendum, vel quod se nuce volsellisque depilarent; cujus infamiam decoris subiit Augustus.

146 *Scimus, hæc tibi quæ licent, Sola cognita*] Sic omnino erat omnibus in libris. Sed frigere sententia mihi videbatur, ac legebam, *Scimus, hæc tibi quæ licent Soli, cognita sed marito, &c.* Hæc, inquit, soli, necdum conjugii licebant; nunc minime solus cum sis,

alia vita alios mores postulat.

154 *Ne petitum aliunde eat*] Sic post, 'Et quærendum aliunde foret nervosius illud, Quod zonam posset solvere virgineam.'

156 *En, tibi domus ut potens*] Ita est in manuscriptis, quibus utebar, non *et potens*. Ad dominum autem mariti nova nupta transibat, ut jam diximus. Plato in Protagora potentem ac beatam domum sic dicit, 'Ἰπποκράτης ὅδε ἐστὶ μὲν τῶν ἐπιχωρίων Ἀπολλοδώρου υἱός, οἴκας μεγάλης τε καὶ εὐδαίμονος. In nuptiis quidem et quærendo marito, ejusmodi conditio in primis quærebatur. Plaut. 'Ego te rednco, et revoco ad divitias, ubi Tu jam locere in luculentam familiam, Unde tibi talenta magna viginti pater, Det dotis:' ac post, 'Nempe istic est, qui Alcisimarcho filiam suam despondit in divitiis maximas.'

158 *Quæ tibi sine fine erit*] In Scipionis Maffei libro est, *Quæ tibi, sine, servit*. Itaque probabilis Pontani conjectura, qui legendum putavit, *Quæ tibi, sine, serriat*: eadem tamen quibusdam non probatur. Ego legendum suspicabar, *Quæ seni tibi serviet*.

162 *Cana tempus anilitas*] Sic omnino legendum puto. Sed omnibus tamen in manuscriptis libris erat, *anilis atas*. Nisi sic versum metiamur, ut, *Nilis æt*, syllabas unum in pedem conferamus, *as* syllabam in sequentem rejiciamus versum, in quo *Omnia*, propter principem vocalem sequentis verbi, utramque vocalem perdet I et A; quod fecit non semel Horatius. 'Annitas,' inquit Placiades Gramm. in Glossis, 'adjutat, interdum senectus est;' mendose: 'Adjutat' emendant alii 'Adultas;' quod non sequor: legendum forte, 'Adnutat.'

166 *Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes*] Limen cubiculi. Sic Cic. in Orat. pro A. Cluentio de nefariis illis Cluentii matris agens nuptiis, 'Sensim scilicet, veteri consuetudine ac ritu.' Plaut. Casina, 'Sen-

sim super attollo limen pedes, nova nupta.' Plut. Vita Romuli novam nuptam tolli manibus solitam aliorum, ita limen viri transire scribit, Διαμένει δὲ μέχρι νῦν, τὸ τὴν νύμφην αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς μὴ ὑπερβαίνειν τὸν οὐδὸν εἰς τὸ δωμάτιον, ἄλλ' αἰρουμένην εἰσφέρεισθαι. Διὰ τὸ καὶ τότε κομισθῆναι βιασθείσας μὴ εἰσελθεῖν. Idem in Quæsitis Rom. plures causas adfert, in eo quæsito videlicet, Διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἔωσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες; Aliud Varro, cuius verba posuit Servius, illud interpretans Vergili, 'Morse novas incide faces.' 'Varro,' inquit, 'ideo dicit faces præire nuptas, quod antea non nisi noctu ducebantur a sponsis, quas ideo dicit limen non tangere, ne a sacrilegio incoherent, si deponituræ virginitatem calcant rem Vestæ, numini castissimo, consecratam.' Lucan. lib. II. de nuptiis Catonis et Marcie ritus prope omnes hæc non admodum multis expressit versibus, hunc videlicet, et illum indendi flammei, zonæ, quam ille balteum vocat, qua vestis astringeretur, cæterisque versus illius sunt, 'Festa coronato non pendent limine sarta, Infulaque in geminos discurrit candida postes, Legitimæque faces, gradibusque acclivis eburnis: Stat torus et picto vestes discriminat auro, Turritaque premens frontem matrona corona: Tralata vetuit contingere limina planta, Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem, Lutea demissos velarunt flammea vultus, Balteus hand fluxos gemmis astriuxit amictus.' Neque vero tantum in nuptiis, sed aliud quoque agentibus limen tangere ducebatur ominusum. Ovid. Eleg. lib. I. 'Missa foras iterum limen transire memento Cautius, atque alte sobria ferre pedem.' 'Transferre pedes' sic dixit, ut et 'proferre pedem' Eurip. dixit in Troad. Πρόφερε πόδα σὺν Ἐπιπλάτας Ἀχαιῶν.

168 *Rasilemque subi forem*] Sic Verg. Rasile buxum dixit.

171 *Aspice, unus ut accubans Vir tuus Tyrio in thoro, Totus immineat tibi*] In primo versu vitium inesse jam pridem cum putassem, neque enim quid unus in eo loco significaret, aut quem salem ac leporem haberet, dispiciebam, et cum manuscriptos libros consulerem, et unus, et unius scriptum reperiebam. Itaque intus legendum putavi, idque inagis etiam probavi post, cum in tertio manuscripto libro, imus, scriptum animadverti. Ovid. Met. x. simile quiddam habet, ubi de Myrtha, 'thalami jam limina tangit, Janique fores aperit, jam ducitur intus.'

173 *Totus immineat tibi*] In verbo Imminere eadem prope vis est, quæ Sapphus verbis significatur, Γαμβρὸς ἔρχεται ἴσος Ἄπει. Arnob. Adversus Gentes lib. III. 'O egregia numinum, et singularis interpretatio potestatum, nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis, nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent, atque imminentes mariti.' Cæsar Bello Civ. lib. I. similiter, 'Instabat agmen Cæsar, atque universon imminebat.'

176 *Ille non minus, atque tu, Pectore uritur intimo*] In manuscriptis omnibus est, *Ille non minus, ac tibi Pectore uritur intimo*: ea sententia: Nos illum non minus intimo pectore, i. e. amore non minore amamus, quam te quoque ipsam. Plaut. Cistell. 'pectus penitissimum' dixit: 'In latebras abscondas pectore penitissimo Tuam stultitiam.' Ovid. Met. I. ut Catullus, 'Sic Deus in flammis abiit, sic pectore toto Uritur.'

179 *O Hymen*] Leguntur in manuscriptis, quo supra modo ostendi ad vs. 124.

181 *Mitte brachiolum teres Prætextate puellulæ*] 'Prætextatum' vocat, an quia ut Macrobius scribit Saturn. I. Prætexta et bulla ingenuorum ha-

bitus puerorum erat, an quia vestem mutarat. Festus Pompeius nubentibus pueros conviciantes prætextas deponere solitos scribit, quamquam etiam nubentes depositis prætextis intelligi possunt: 'Prætextum sive prætextatum legere malimus, sermonem,' inquit, 'quidam putant dici, quod prætextatis nefas sit obscæno verbo uti: alii, quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscæna clamentur.'

183 *Jam cubile adeat riri*] In manuscriptis omnibus *adeant*: et nova nupta scilicet, et qui eam deducunt prætextati tres, et pronubæ duæ.

186 *Vos unis senibus bonæ*] In manuscriptis omnibus, *Bonæ senibus unis*: legebam ipse, *Vos bonæ senibus riris*; et ordinem ipsium verborum, qui est in manuscriptis, conservo; et quod est facillimum, ac valde probabile, ex *unis, riris*, feci. 'bonas' autem castas vocat, ut sæpe tum Catullus, tum Tibullus, ac ceteri. Sin alteram sequi lectionem malimus, 'univiras' laudari intellegamus, de quibus Tertullianus libro de Monogamia, 'Fortunæ muliebri coronam non imponit nisi univira.'

187 *Cognitæ bene feminæ*] Bene enim cognitæ senibus viris esse oportet. Et verbis autem et sententiis proxime ad hunc Catulli locum Simonides, *Φίλη δὲ συμφιλοῦντι γηράσκει πόσει Τεκοῦσα καλόν*: atque his quidem verbis etiam *μονογαμία* significatur.

191 *Alba Parthenice velat*] Sic insignem sponsæ pulchritudinem significat. Tibullus sponsæ comparavit egregiam juvenis fornuam, ut illum flori Catullus: est enim apud illum lib. 1. 'Candor erat, qualem præfert Latonia Luna, Et color in niveo corpore purpureus, Ut juveni primum virgo deducta marito, Inficitur teneras ore rubente genas. Ut cum contexunt, amarantus alba puellæ Lilia, et autumnis candida mala rubent.' Miscet enim hos etiam

colores Catullus, addens, 'Luteumive papaver.'

196 *At marito tuum tamen Celites, nihilo minus Pulchræ res*] Guarinus hoc modo. Sed idem tamen legit *Pulchræ res*. Avantius legisse se adfirmat in veteribus libris, *Ad Martem tamen juvenem*. In duobus autem manuscriptis, quibus utebar, legebatur, *Ad maritum tamen juvenem Celites nihilominus Pulchræ res*. Locus ipse difficillimus ad interpretandum. Ego tamen quam poteram proxime ad eam lectionem, quam in manuscriptis reperiebam, restituere conabar, ac distinguere, *Admetum juvenem tamen Celites nihilominus, Pulchræ res*. E superioribus enim puerorum conviciis intelligimus, sponsam puerorum amore flagrasse. Suadent igitur, ut, cum amorem in sponsam suam non abscondat, Admetum tamen ipsam, cujus amore tenebatur, sive is libertus ejus erat, quem in deliciis haberet, sive quisquis alius, minime prodat, quem pulchrum esse significat. Credibile vero est formoso juveni 'formosi' nomen impositum; Admetum enim insigni forma ab Apolline admatum Pœtæ fingunt. Sed, ne cui duriter juncta videantur, *tamen, et nihilominus*. Sic enim etiam Cic. 'Et tamen nihilominus *αἰὲν ἀριστεύειν*.' Et pro Cluent. 'Tamen nihilominus putabat se.' *Pulchræ res*, nominandi casu posuit, cum accusativus præcessisset idem significans, ut et Horat. 11. Sat. 8. 'Vidimus et merulas poni, et sine elune palumbes, Suavis res, si non causas narraret earum, et Naturas dominus.' Nisi quis esse accusativos etiam velit, 'Suavis res,' pro 'Suaves;' Græci sic quoque *καλὸν χρῆμα* dicunt: et Aristophanis Interpres hanc *ἐπαγωγὴν* Atticorum propriam esse dicit: in illud enim in Nehulis, *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον ἀπέρατον*, sic scribit, *Ἔθος δὲ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπαγωγῆ χρῆσθαι: οἶον, ἵππος, σπᾶνιὸν τι χρῆμα: καὶ γυνή, σπᾶνι-*

ὄν τι χρῆμα· καὶ ἐπὶ τῶν ἁλλῶν δμοίως. Cic. pro Murena Oratoris munus ac facultatem similiter laudat, 'Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa etiam gratia.' Livius lib. xxxi. ab U. C. eodem prope modo, quo Catullus, et Horatius, 'Quod si tantum militum Romano- rum fuisset, ut et Chalcis teneri, et non deseri præsidium Athenarum potuisset, magna res, principio statim belli, Chalcis et Euripus adempta Regi forent.' Cic. quoque lib. xii. ad Att. sic admirari videtur, 'Ego etiam atque etiam cogitabo, teque ut idem facias rogo. Magna res, simplex est manere, illud anceps: ' et Plin. lib. xxxv. cap. 3. 'Decora res, utique si liberorum turba,' &c. Cic. lib. vi. Epist. ad Torquatum, et alios, similiter, et quidem per parenthesis, 'Reliquum,' inquit, 'est, ut te angat, quod absis a tuis, res molesta, præsertim ab iis pueris,' &c.

198 *Neque te Venus Negligit*] Ille quidem pulcher, neque tu inuenustus.

201 *Non diu remoratus es*] In manuscriptis omnibus, *remorata*, sed illud rectius; 'remorari' autem absolute, et idem ante, 'Perge ne remorare: ' et Plaut. Casina protulit, 'Nam, quid illæc tamdiu intus remoratur quasi ob industriam?' et Pseudolo, 'Uter remoratur.'

204 *Quod cupis, capis*] Eadem prope *παρωνομασία*, quæ ante, 'Cato Catullum.'

206 *Ille pulvis Erythræi Siderumque micantium Subducit numerum prius*] Sic Guarinus; an veterem librum secutus, non explicat: et genitivum esse facit *pulvis*. Ego vero omnibus in manuscriptis, *pulveris* legebam: tum quod sequitur, *Eritei*, et *Ericæi*. Avantius legendum docet, *Erythrii*. Qua de re cum diu multumque dubitarim, quæ mihi in mentem venerint, qualiacunque ea sint, ingenue proferam. Primum, *Erythræi*, non place-

bat ipsum, et quod longe arcessitum videbatur, et quod diphthongus corripere- tur. Nam, 'Dionæus' alibi legendum non esse, docui: itaque varie conjecturam feci: primum sic, *Ille pulceris interim*, ea sententia: Ille qui nostros lusus, ac delicias numeratas vult, eas interim dum facimus, prius et pulverem et stellas numeret.

E namque mutabam in I proximam vocalem, ex R et I consonantem N faciebam; sequitur T, in manuscripta lectione, deinde E, post quam litteram P interponebam, et I extremo apicem imponebam. Deinde etiam succurrebat, 'Pulverem, arenamque Libycam' hoc in genere proverbio celebratam. Idemque meminera- m illud ejusdem Catulli autem, huic sententiæ valde consentaneum, 'Quæris, quot mihi basiationes Tuæ, Lesbia, sint satis superque? Quam magnus numerus Libyssæ arenæ Laserpiciferis jacet Cyrenis, Oraclum Jovis inter æstuosi, Et Batti veteris sacrum sepulcrum; Aut quam sidera multa, cum tacet nox, Furtivos hominum vident amores.' Itaque aliquid hujusmodi subesse suspicabar, faciebamque *Ille pulveris Antæi*, Antæum enim terrigenam Libyn appellat Statius Thebaid. vii. diphthongue invitum corripiebam, quod me tamen adeo non movebat. Tertium illud fuit, ut *Eretri*, quod proxime ad scriptam lectionem accedebat, legere- m, quasi *Eretrii*; alterum enim I et consuetudo ipsa, et figura tollebat. Eretrium autem pulverem ab Eretria civitate maritima in Eubœa. E vero productam ab eo Homeri exemplo, *Χαλκίδ' Ἐρετρίαν τε* quod si sequitur, I antepenultimam in E mutandam, et penultimam E in I, quæ sunt mutationes omnes facillimæ, valdeque probabiles. Quod si quis propter syllabam apud Homer. scribit, *Ἐββε- τρίαν*, idem faciat hoc loco. Carisius Erythrum mare dici etiam ostendit, illis Plinii verbis, 'Ab Erythro mare

orti: quo auctore licebit etiam hic, si mare rubrum intelligamus, dicere, *Pulveris Eretri*. Sic tamen ut prima in *Eretri* producat *Ἐρηρικῶς*.

209 *Qui vestri numerare vult*] In manuscriptis omnibus, non *vult*, sed *volunt*. Credo, quod ante, scriptum, fuerat, *vult*, quod non intelligentes, prave mutarunt in *volunt*. Sed iisdem in libris, non *vestri*, sed *nostri*, sic, ut hæc ab sponsis, non a pueris, dicta accipiamus. Sed cum sponsus et sponsa in nuptiis non loquantur, *vestri* potius legamus.

210 *Multa millia lusuum*] *Avantius* in veteribus libris fuisse dicit, et *lusum* pro *lusuum*, contracte, et *lusus*. In iis, quibus utebar omnibus, *ludere*. Et sequens versus ita legebatur, *Et ludite*: utrumque vitiose. Ego vero scriptum fuisse opinor totum versum *Multa mollia ludi*. *At ludite*: ut *At* principium sit orationis et cantus, quem pueri sponsis respondent. *millia* vero in *mollia* mutandum puto, quod parum Latine dici putem *millia ludi*, ut *millia* cum genitivo numeri singularis conjungatur; deinde vero quod *mollia*, id est delicia, sive τὰ κάλγνια, Latine sic dici potest aptissime, itaque omnis illa in amore lascivia commodissime significatur. 'Ludere' autem lascivire, ac libidinari: idem post 'Lusimus satis: Horat. II. Epist. 'Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti.'

212 *Non decet Tum vetus sine liberis Nomen esse*] *Nomen*, pro *Familia*, et *gente*, ac *populo*. Verg. *Æn.* VI. 'Inlustres animas, nostrumque in nomen ituras: et Livius lib. I. 'Per se ipsum nomen *Ceninum* impetum facit.'

214 *Sed indidem*] Eodem verbo usus *Plaut.* 'Iddidem unde oritur facito ut facias *Stultitiam* insepelibilem.'

219 *Dulce rideat ad patrem*] *Politianus* apud Verg. legit, 'Qui non risere parentes: Servium damnat, *Quintilianum* opponit. Et sunt ta-

men qui nihil a *Servio Quintilianum* putent dissidere. Certe *Catulli* locus hic, et ille apud *Rufum Festum Avianium* in Orbis terræ descriptione, 'Nascenti *Baulo* risit pater, undique fulsit *Cælicolum* sedes: favere ac subscribere *Servii* sententiæ videntur. Et 'qui,' pro 'cui,' scripserunt antiqui.

220 *Sed micante labella*] Sic correxit *Avantius*, cum esset in manuscriptis, *Sed mihi ante*. 'Micans labellum,' id est, patens, saliens. Hoc ipsum exprimens *Poëta* vetus apud *Atilium Fortunatianum*, 'Patens labellum diffido *Jugare* rictu: et *Martial.* I. in *Maximinam*, 'Laxat perspicuo labello risu: et *Ovid.* de *Arte Am.* 'Sint modici risus, parvæque utrimque lacunæ.' *Rabanus Maurus* de *Magorum præstigiis*, 'Salisatores,' inquit, 'vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcumque salierint, aliquid sibi exinde prosperum sen triste significari prædicunt.' *Theoc.* Δυσέρωτι, οὐκ ἀμέδρυγμα Χελεος, Interpretari etiam possumus, *Splendente*. Sic Verg. *Æn.* XII. 'Hoc *Venus* obscuro faciem circumdata nimbo Detulit, hoc fuscum labris splendentibus annem Inficit.'

221 *Sit suo similis patri*] *Statius* *Silvar.* lib. I. in *Epithalamio Stellæ*, et *Violantillæ*, 'Multum de patre decoris, Plus de matre capis.' *Basilius* in *Epistola* ad *Gregorium Nazianzenum*, Ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολὴν, ὡς περ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφανομένης αὐτοῖς πρὸς τοὺς τεκόντας ἐπιγινώσκουσι.

223 *Bene rivite*] Idem aliquando simplici ipso verbo 'vivere' significatur. *Horat.* ut *Catull.* 'Si bene qui cenat, bene vivit; lucet, eam Quod ducit gula.'

224 *Munere adsiduo valentem Exercete juventam*] *Sueton.* *Domitiano*, 'Adsiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, *Clinopalen* vocabat.' *Statius* *Silvar.* lib. I. in *Epi-*

thalamio Stellæ et Violantillæ in eandem sententiam, 'Exercee formam, et fugientibus utere donis:' ac post, 'Ergo age junge thoros, atque otia deme juventæ.' Valentem juventam vocat, ut Hesiodus ἡβην πολυκρατῆῖ illius enim versus est ἐν ἠρωϊκῆῖ γενεαλογίᾳ, ut Lycophronis adducit Interpres, Ἀτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἡβης πολυκρατοῦς ἴκετο μέτρον. Plaut. Casina Valentulam eodem modo videtur dicere, 'Obsecro, ut valentula est?'

CARMEN LXII.

Hoc quoque Epithalamion ad Mallii nuptias pertinere puto. Sic Claudian. in Honori et Mariæ nuptiis vario lusit numero, modo hoc modo illoc.

1 *Vesper adest, jurenes*] Lege enim cavebatur ne nisi de nocte nuptiæ fierent. Servius, Interpres Verg. Bucol. de Varronis sententia, 'Varro,' inquit, 'ideo dicit faces præire nuptas, quod ante non nisi noctu ducebantur a sponsis.' 'Vesper' autem verbum esse Ennianum, Censorinus demonstrat in lib. de die Natali, sive de Humana Origine, his quidem verbis, 'Post supremam dicitur Vesper, ante ortum scilicet ejus stellæ, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Vergilius Hesperon appellat.'

Consurgite] Cum hora nona accubissent, ad horam ferme duodecimam convivium produxerant.

Vesper Olympo Exspectata diu vix tandem lumina tollit] Eodem prope modo Claudian. in Honori et Mariæ Epithalamio, 'Attolles thalamis Idalium jubar, Dilectus Veneri nascitur Hesperus.'

3 *Surgere jam tempus*] Sic multum tempus præterisse significabant. Vergil. 'Et jam tempus equum fumantia solvere colla.'

4 *Jam dicitur Hymenæus*] Eundem numerum celebravit Vergil. 'Ille latus niveum molli fultus hyacintho:' et in Georg. ut est in omnium, quot-

quot usquam sunt, librorum vetustissimo, 'Ille comam mollis jam toudebat hyacinthi:' atque idem Catullus alibi, 'Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos.'

7 *Nimirum Eos ostendit noctifer imbres*] Hieronymus Avantius in libro Antoni Mureti scriptum fuisse testatur, *Nimirum ætherios ostendit noctifer ignes*. Quod si ita est, non est quod multa loquamur. In omnibus erat, *Nimirum hæc eos ostendit noctifer imber*. Unde faciebam, *Nimirum Cætas obtendit noctifer umbras*. *Cætas* autem *umbras* dixerit, ut certum montem pro multis posuerit incertis, atque idem prope dicat, quod Vergil. 'Majoresque cadunt altis de montibus umbra:' vel propter illud etiam apud eundem, 'Tibi deserit Hesperus Cetas.' Quamquam *umentes* malim quam *Cætas*. Sin illo modo malimus, ignes astra ipsa vocat, ut et Vergil. 'Nam neque erant astrorum ignes.' Bæchylides, ut quidam adducit Interpres Apoll. R. in lib. III. noctem *δαδοφόρον* appellat, aut quia tum lumina solemus accendere, aut quia nox terris stellas inducit: versus illius est, Ἐκάτα δαδοφόρον νυκτὸς μεγαλοκάρπου θύγατερ. Cur autem *Eos* quidam rejiciant, non video cum Eurip. dicat, Ἐφῶς ἡνίχ' ἰππῶτας ἐξέλαμψεν ἄστῆρ.

8 *Sic certe*] In manuscripto uno tres litteræ videntur erasæ post hæc verba. suspicor autem fuisse, *Est*. Sic enim et alibi idem, 'Sic certe est, clamant victoris rupta miselli Iliæ.'

12 *Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirunt*] Est in manuscriptis duobus, *Aspicite innuptæ quæ secum ut meditare querunt*: In tertio, *Aspicin innuptæ quæ secum ut meditare quærunt*. Emendabam, *Aspicite quæ innuptæ secum ut meditata requirunt*: nam et singulariter ante dixit, 'Viden' ut perniciter exsiluere.' Sin ipsum verborum ordinem conservare volumus,

legendum fortasse sit, *Aspicite innuptæ quæso ut meditata requirunt*. Priorum lectionem si sequimur, *secum requirere*; sic forte dixit, ut Cicero aliique, 'Cogitate cum animis vestris.' Guarinus legi posse dicit, *meditamina quærat*, quod idem opinor legerat suo illo in libro, quod ego in meis. Fieri autem potest, scriptum ut fuerit, *meditamina quærun*t, quod corruptum postea sit in *meditare quærun*t. Legendum igitur, mea quidem sententia, aut hoc modo, *Adspice quæ innuptæ secum ut meditamina quærun*t: aut hoc, *Aspicite innuptæ quæso ut meditamina quærun*t.

15 *Non alio mentes, alio dirisimus aures*] Sic Ovid. 'mentem sectam' dicit, de Remed. Am. 443. 'Secunda bipartito cum mens discurrit utroque, Alterius vires subtrahit alter amor.'

17 *Quare nunc animos saltem committite vestros*] In manuscriptis omnibus, *Quare non animos*: quod videtur probabile, periunde ac si dicat, Ne saltem animos vestros prorsus remittite.

20 *Qui cælo fertur crudelior ignis*] *Fertur*, volvitur, propter cæli motum. 'Ignes' autem Stellæ dicuntur. Verg. 'Nam neque erant astrorum ignes.'

22 *Complexu matris retinentem*] Sic erat omnibus in manuscriptis. Jungendum igitur, *retinentem matris*.

26 *Hesperæ, qui cælo lucet jucundior ignis*] Homericum illud expressit, "Ἑσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἴσταιται ἀστῆρ.

29 *Nec junxere prius, quam se tuus extulit ardor*] Noctu enim novæ nuptæ a sponsis ducebantur, ut scribit Varro.

30 *Quid datur a Divis felici optatus hora*] 'Ἐπιφώνημα. Eurip. in eandem sententiam apud Stobæum, "Ὅσοι γὰρ ἔρωσι πίπτουσι βροτῶν Ἑσθλῶν ὅταν τύχῳσι τῶν ἔρωμένων, οὐκ ἔστι ποίας λείπεται τόδ' ἡδονῆς. Sic 'hora fortunari' dicitur ab Horat. 'Qualem-

cunque Dens tibi fortunaverit horam.' 'Grata hora,' alibi apud eundem Flaccum, 'Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.'

32 *Hesperus a nobis æquales abstulit unam*] Varie legitur hic versus in manuscriptis: primum sic, *Hesperus est nobis æqualem abstulit unam*: deinde etiam sic, *Hesperus hic nobis æqualem abstulit unam*: postremo sic, *Hesperus e nobis æquale, abstulit unam*: quod est ipsum rectum. Legerem etiam libenter, si per veteres libros liceret, *Hesperus e nostris æqualibus abstulit unam*. Vel illo modo, *Hesperus ex nostris æqualem hinc abstulit unam*. 'Æquales' autem Græci sic quoque dicunt ἡλικας. Sic Paeninus in Hermiona, ut adducit Non. Marcell. in verbo 'Dignavi,' 'Cum neque me aspicere æquales diguarent meæ.' Post hunc versum septem versus alios desiderari scribit Avantius. Credo numerum definisse, quod spatii tantum vacare aliquo in libro animadvertisset.

Æquales] Pind. Pyth. eadem multa. Οὐκ ἔμειν' ἔλθειν τράπεζαν νυμφίδαν, Οὐδὲ παμφώνων ἰαχὰν Ἷμεναίων, ἄλικες Οἶα παρθένου φιλέουσιν ἑταῖραι Ἑσπερίας ὑποκουρίζεσθαι ἀοιδαῖς.

33 *Namque tuo adventu vigilat custodia semper*] Id enim erat prius vi-giliæ noctis initium. *Custodia, oi φύλακες*.

34 *Nocte latent fures*] Κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς. Eurip. Iphigenia. Video idem esse adumbratum in Bionis versibus apud Stobæum, "Ἑσπερὲ τὰς ἐρατὰς χρύσεον φάος Ἄφρογενελας, Ἑσπερὲ κυανέας ἱερὸν φίλε νυκτὸς ἀγαλμα, Τόσσον ἀφανρότερον μήνας, ὅσον ἐξοχος ἀστρων, Χαίρει φίλος, καί μοι ποτὶ ποιμένα κῶμον ἀγοντι Ἄντι σελαναίας τυ δίδου φάος, ἕνεκα τῆνα Σάμερον ἀρχομένα τάχιον δύνει οὐκ ἐπὶ φωρῶν Ἐρχομαι, οὐδ' ἴνα νυκτὸς ὀδοποροῖντι ἐνοχλήσω.

Quos idem sæpe revertens Vespere, mutata comprehendis nomine eosdem] Ut

fures, sic etiam amantes et sponso simul cubantes deprendit.

35 *Mutato comprehendis nomine*] Columella, 'aut ore corusco Hesperus, Eoo remeat cum Lucifer orto.' Plato Epinom. 'Ὁ μὲν γὰρ ἑσπέρου, ἑσπερός τε ὁ αὐτὸς ὢν τῆς Ἀφροδίτης' sic enim est in veteribus libris.

36 *At lubet innuptis ficto te carpere questu*] Idem alibi de Coma Berenice, 'Non, ita me Divi, vera gemunt, juerint:' et Claudian. de Raptu Proserp. lib. 1. 'Tenerum jam pronuba flamma pudorem Sollicitat, mixtaque tremit formidine votum.'

37 *Quid tum si carpunt, tacita quod mente requirunt*] An mirandum, si sponso deprehendas, qui quem diu cupiverant, amoris fructum capiunt? Sed in manuscriptis omnibus, *Tacita quam mente requirunt.* Quibus verbis ea, quam supra posui, sententia efficitur. In eandem vero sententiam Pind. Pyth. Ode ix. Πλεῖστα νικήσαντά σε καὶ τελεταῖς Ὀρίαις ἐν Παλλάδος εἶδον, ἄφωνοι θ' ὡς ἐκάστα φίλτατον Παρθενικὰ πόσιν ἢ Τῖδον εἶχον ᾧ Τελεσίκρατες ἔμμεν. 'Carpere,' id est, pari verbo eodem loco Pindarus utitur, et ut hic quoque Catullus puellam multis expetitam describit, Τὰν μάλα πολλοὶ ἀριστῆες ἀνδρῶν αἴτεον Σῆγγονοι, πολλοὶ δὲ καὶ Ξειῶν, ἐπεὶ θάητον εἶδος Ἐπλετο χρυσοστεφάνου δὲ οἱ ἦβας Καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔθειλον.

39 *Ut flos in septis*] Columella, 'Talis humus vel parietibus, vel sæpibus lirtis Claudatur, neu sit pecori, neu pervia furi.'

41 *Quem mulcent auræ*] Sic Propert. lib. iv. 'Mulcet ubi effusas aura beata rosas.'

Educat imber] Callim. Hymno in Delum, Νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὕμβρου ἀέξει: ac propterea Καρποφόρου ὕμβρου dieit vetus Autor in Hymnis, Πέμπειν καρποφόρου ὕμβρου ἐπὶ μητέρα γαίαν. Ex eodem genere est et quod ante dixit idem Catullus, 'Quos Hamdryades deæ Ludicrum sibi roscido

Delph. et Var. Clus.

Nutriunt humore.' et illud Lucr. lib. v. 'Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat Sponte sua, satis id placabat pectora donum:' et Ovid. Met. iii. 'Gramen erat circa, quod proximus humor alebat.'

42 *Multi illum pueri*] Sic Verg. de Lavinia, 'Multi illum magno e Latio, totaque petebant Ausonia:' et de Camilla, 'Multæ illum frustra Tyrrena per oppida matres Optavere iurum.'

43 *Idem cum tenui carptus defloruit ungui*] Sic Propert. lib. i. 'Quæ modo decerpens tenui pueriliter ungui.'

44 *Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ*] Eodem modo Ovid. Met. iii. et superiorem et hunc versum totidem prope verbis exprimit de Narcisso, 'Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ: Sed fuit in tenera tam dura superbia forma, Nulli illum juvenes, nullæ optavere puellæ.' Similiter etiam Callim. de amore, Ἄλλ' ἐχθρὸς μὲν παισίν, ἀτίμαστος δὲ γυναῖξιν Οὕτως ἀργαλέον γῆρας ἔθηκε θεός.

45 *Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis*] Nulla probabilis ex his verbis elici potest sententia; at si, quo modo est in Maffei libro, legas, ea facilis atque apta existet, ut *dum* posterius mutes in *tum*. 'Manere intactam,' sic dixit, ut Eurip. quoque in Electra, Παρθένον μένειν. est enim apud illum, Φασὶ γὰρ νιν ἐν γάμοις Ζευχθεῖσαν οἰκεῖν, οὐδὲ παρθένον μένειν nisi interpreteris ἐν γάμοις μένειν. Sed Quintil. lib. ix. *dum*, utrobique legit, et interpretatur; et pro *intacta*, legit *innupta*. 'Catullus,' inquit, 'in Epithalamio, Dum innupta manet, dum cara suis est. Sed prins dum, significat, quoad; sequens, usque eo.'

46 *Polluto corpore florem*] Sic Terent. 'Flos ipse.'

49 *In nudo citis quæ nascitur arvo*] In quo arbores non sint adsitæ, sitque is ager incultus, et ἀδενδρος.

51 *Deflectens pondere corpus*] De

Catul.

2 P

vite quoque Columella lib. v. 'Cortex quoque aridus fissusque per summa trunci dependens corpore tenuis delibrandus est.'

53 *Hanc nulli agricolæ, nulli accollere juvenci*] In duobus manuscriptis, et hic, et post, cum repetitur hoc ipsum verbum, *collere*, non *accollere*.

54 *Ulmo conjuncta marito*] Ulmus marita hoc in genere dicitur. Horat. in Epod. 'Altas maritate populos.' Juvenal. 'Stratus humi palmeo vi-
duas desiderat ulmos.'

57 *Cum par conubium maturo tempore adeptæ est*] Conubium etiam apud Pœtas per N unum scribendum. Sic in veteribus libris, atque in illo omnium vetustissimo libro Vergilii. 'Maturo tempore;' et Lucr. dixit lib. v. 'Quos ubi tempore maturo patefecerit ætas.' Par conubium, opinor, intelligit, quam Æschylus in Prometheo dicit *ὄμαλδν γάμον*. Est enim apud illum, 'Ἐμολ' δ' ὅτι μὲν ὄμαλδς γάμος ἀφοβος, οὐδὲ διὰ, et quæ sequuntur atque ante hæc leguntur: quem locum huic similem putabat Jacobus Corbinellus, mihiq; primus ostendit.

58 *Cara viro magis*] Sic uno in manuscripto: in aliis, *Cara virgo magis minus est inrisa parenti*. ἀσυνδέτως vitiose. Deesse videtur hoc loco ἐπιφώνημα, *Hymen o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe*; quod tamen nullo in manuscripto legebatur.

59 *At tu ne pugna*] In manuscriptis omnibus, *Et tu nec pugna*.

60 *Pater cui tradidit ipse*] Proprie dicit, et ex consuetudine: quam significat Pomp. Mela de Getis, lib. II. 'Nupturæ,' inquit, 'virgines non a parentibus viris traduntur, sed publice aut locantur ducendæ, aut veniunt.' Ex his enim verbis intelligimus Romæ virgines viris a parentibus tradi solitas. Livius lib. XXXIV. non sui juris feminas fuisse dicit, sed in potestate parentum, fratrum, virorum: itaque nihil habent, ut videtur, mere suum. 'Majores nostri,' inquit

Livius, 'nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum.' Menander, 'Ἀλλὰ θυγάτηρ κτῆμ' ἐργῶδες πατρί' atque alibi, Χαλεπὸν θυγάτηρ κτῆμα, δυσδιάθετον.

63 *Tertia pars matri data, pars data tertia patri*] Rectius omnibus in manuscriptis, *Tertia pars patri data, pars data tertia matri*.

CARMEN LXIII.

Sunt, qui putent aut adfirmant etiam, Pœma se hoc vidisse adscriptum Cæcilio; quod probabile propterea ducunt, quod idem ante Catullus dixerit, 'Est enim venuste Magna Cæcilio inchoata mater.' Ego vero in alia omnia eundem censeo, qui sciam Atilium Fortunatianum veterem Gramm. ubi de Galliambo, sic dicere, 'Et Catullus Phrygium nemus citato cupide pede tetigit.' Ad ea vero, quæ eruditè copioseque collegit Lilius Giraldus de Atti et Cybele, addam etiam et quæ scribit Stephanus, *περὶ Πόλεων*, in verbo Γάλλος. Sic enim scribit, Γάλλος ποταμὸς Φρυγίας. οἱ περίοικοι Προμαθίδαν Ποταμογαλληνοί, οὗς παρατίθεται ὁ Πολύσιωρ ἐν τῷ περὶ Φρυγίας τρίτῳ, καὶ ὅτι τὸν Γάλλον καὶ τὸν Ἄττιν ἀποκρίψαι τὰ αἰδοῖα καὶ τὸν μὲν Γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τηρίαν ποταμὸν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλέσαι. ἀπ' ἐκεῖνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι. De Atti vero ipso proprie hæc Interpreter Nicandri, 'Ἰστορεῖται ὅτι ποιμὴν ἦν Φρύξ ὁ Ἄττις' ποιμαίνων δὲ καὶ ὑμῶν τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἤτοι τὴν Ῥεάν, ἐφιλήθη ὑπ' αὐτῆς. καὶ δὴ φαινόμενη πολλάκις, τιμῆς ἤξλωσεν. ὁ Ζεὺς δὲ ἐπὶ τούτῳ δυσανασχετῶν, ἀνείλεν αὐτὸν, οὐ φανερώς, δι' αἰδῶ τῆς μητρὸς, σὺν ἄγριον πέμψας. ἡ δὲ κατολοφυρομένη αὐτὸν ἔθαψεν. οἱ δὲ Φρύγες κατὰ τὸ ἔαρ θρηνοῦσιν αὐτόν. De genere autem ipso Carminis multa Hephæstion, Terentianus, cæterique. Addam tantum Attilii Fortunatiani panca de Trisyllabo pe-

nultimo, 'Sed quoniam,' inquit Atilius, 'hic versus matri sacer est Idææ, ut vibrare videatur, proximum ab ultimo pedem brachysyllabon fecerunt, et Græci et hic ipse Mæcenas.' Interpres Hephæstionis cur Galliambicon vocat, canssam adfert, Γαλλιαμβικὸν δὲ ἐκλήθη, ἐπεὶ λελυμένον ἐστὶ τὸ μετρὸν· οἱ δὲ Γάλλοι διαβάλλονται, ὡς θήλειαν νόσον ἔχοντες· διὸ καὶ σώματα φορὸν ἐτέλουν· Ῥωμαίοις εἰς τοῦτο. οἱ τοιοῦτοι δὲ ἱερεῖς εἰσι Διήμητρος. Sunt, qui alium in locum rejiciant hoc Poëma, quo constet ordo trium Epithalamiorum, quæ sunt ex eodem genere. Ego, ne hac quidem in parte, a manuscriptis esse discedendum putavi.

1 *Super alta vectus Attis celeri rate maria*] Arnobius Adversus Gentes lib. v. cum Fabulam narrat omnem a capite accessens, nihil tamen de navigatione, nihil ulla de rate. Itaque obscurius magisque hoc reconditum, et de veteri Poëta aliquo Græco sumptum. Versus ipsi ad primam usque *τομὴν* sunt Anacreontis persimiles, aut idem potius iis, qui dudum vulgati sunt, ostenduntque Anacreonte illi quod Atilius scribit, ab Iambo nasci Galliambum, ac propterea sic vocatum. Atilius autem ipse Catullum citat in Anacreonte, ejus illa sunt de Galliambo, 'Et Catullus, Phrygium nemus citato eupide pede tetigit: et illud alterius auctoris, O qui chelyn canoram pleectro regit Italo: ut si facias illud ex Lepidiano metro ad hanc legem, Mea Vatiæna amabo, mea cura, mea Venus. Catullus in Anacreonte, 'Ades, inquit, ο Cybelle.' Quibus rebus adducor, ut existimem, hoc poëma Græco expressum Anacron-tis.' Nonius in verbo 'Animam' hujus generis versus Varronis adducit, 'Phrygios per ossa cantus liquida cadit anima.' Semiversus autem ille, 'Ades, inquit, o Cybelle,' quem Catullo tribuit Atilius, cum

eum ante Mæcenati tribnerit, alieno loco ponitur, et scribæ librarii culpa Catullinus desideratur, qui hoc e Poëmate fortasse fuerit. At Attis numen conjunctum matri Deum, ut Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis, Virhins Dianæ. Servius in illud Æn. vii. 'Ibat et Hyppolyti pubes pulcherrima bello Virbius.'

Celeri rate] Perpetuum fere epithetum; ut apud Homer. *θαλάμη* apud Gellium lib. x. cap. 26. sic quoque Sallustium arbitror locutum; nam illa verba, 'Furtim aut celeritate vitare prælium in transgressu conatus est,' emendabam, 'Furtim, ac celeri rate.' Et vetus Poëta, 'Tiphyn aurigam celeres fecere carinæ.'

2 *Phrygium ut nemus citato*] Eo enim conveniebant, qui se Opi consecraverant. Hoc in lusibus in Priapum vetus Poëta significans, dixit in Priapi persona, 'Quæ si perdidero, patria multabor, et olim, Ille tuus civis, Lampsace, Gallus ero.' Et vero Gallus fluvius, et mons Cybelus erant in Phrygia: auctor Vibius Sequester.

3 *Sylvis redimita loca Deæ*] Sic post, 'Nive amicta loca' dicit.

4 *Stimulatus ut furenti*] *Ut*, pro 'ubi,' ut ante. Sed erat omnibus in manuscriptis, *Stimulatus ubi furenti*, ut secundo loco pro Iambo esset Tribrachys.

5 *Divellit ille acuto sibi pondere silice*] In manuscriptis omnibus *Devolvit*; quod idem significat. Sic enim videtur Verg. Æn. vi. accepisse 'Advolve' verbum. 'Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex, Fraxinæque trabes, cuneis, et fissile robur Scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos.' Legendum fortasse etiam sit, *Devovit*; qui se enim castrabant Galli, pudenda Rheæ ipsi atque Adonidi sacra reponebant. Interpres Nicandri, *Λοβρίνης θαλάμαι, τόποι ἱεροὶ ὑπόγειοι, ἀνακείμενοι τῇ Ῥεῆ, ὅπου ἐκτεμνόμενοι τὰ μήδεα κατετίθεντο οἱ τῷ Ἄττει καὶ τῇ Ῥεῆ λατρεύοντες.* Sic

autem se Magnæ Matri sacrabant. Sex. Aurelius Victor in Aurel. Hellogabalo, 'Vestalem,' inquit, 'virginem, quasi matrimonio jungens suo, abscissisque genitalibus Matri se Magnæ sacravit.'

Ille] Verbum varie legitur in manuscriptis, *illectus, illetus, iletas, lacteus*. Ego legendum putabam, *icta*. glossema enim fuerat ille propter verbum *Derolvit*. Scriptores, deinde librarii conjunxerunt utrumque, *ille icta*. Ex eodem nata varietas, *illectus*, et *illetas*, et *lacteus*.

Acuto sibi pondera silice] *Acuto silice*. Ovid. Fast. iv. de eodem Atti, 'Ille etiam saxo corpus lanivavit acuto, Testa:' Juven. Sat. vi. 'Mollia qui rupta secuit genitalia testa.'

Pondera] Idem Ovid. in eodem, 'Ah pereant dicebat adhuc, onus inguinis aufert, Nullaque sunt subito signa relicta viri.' Juven. Sat. ii. 'Phrygio quos tempus erat jam More supervacuum cultris abscindere carnem.'

6 *Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro]* Virum, Virilia dicit, ut et Arnob. Adversus Gentes, lib. v. 'Pinus illa solemniter, quæ in Matris infertur sanctum Dea, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virum demessis genitalibus abstulit.'

7 *Etiam recente terræ sola sanguine maculant]* In manuscriptis omnibus, *Et jam*, duæ voces scilicet.

8 *Niveis citata cepit manibus leve tympanum Tympanum tubam Cybelles tua mater]* Primum in *tympanum* corripuit, ut et Mæcenas in eo carmine quod adducit Atilius. 'Ades et sonante tympano quate flexibile caput:' Homer. 'Ρύμβω καὶ τυμπάνω Πέλην Φρύγες ἰάσκονται. Auctor vetus in Hymno posteriore in Cybelem, *Τυμπανοτέρπη* eam propterea vocat, quod in ejus sacris adhibeantur tympana. "Ερχο πρὸς τελετήν, ὧ πότνια τυμπανοτέρπη" et in priore, *Τυμπανόδουκε, φιλοιστρομαγές, χαλκώκροτε κούρη*. Quæ singula

illius verba conferenda sunt cum Catullinis. Tubam autem dicit tympanum, quod sit *βαρύβρομον*. Eurip. Bacch. *Βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων*. Sed in sacris Cybeles quæ sonum ederent sex fere invenio, *ρύμβον, τύμπανον, cymbalum, tibiam, cornu, et κρόταλον*. Colligam locos aliquot veterum Poëtarum. Primum illum, quem supra posui Homer. deinde Lucr. lib. ii. 'Tympana tenta sonant palmis, et cymbala cireum Concava, raucisonoque minantur cornua cantu, Et Phrygio stimulat numero quæ tibia mentes, Telaque præportant violenti signa furoris.' Ovid. Met. iv. 'impulsaque tympana palmis, Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus:' et idem Fast. iv. 'Quærere multa libet, sed me sonus æris acuti Terret, et horrendo lotos adunca sono:' ac post, 'Cymbala pro galeis, pro sentis tympana pulsant, Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos:' ac post, 'Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu Flabit.' Et tamen Ovidius 'cornu' non secernit a 'tibia;' ut fecit Lucretius. De Rymbo in Etymologico magno, 'Ρύμβω καὶ τυμπάνω Πέλην Φρύγες ἰάσκονται μυστικῶ σανιδίω, δ στρέφουσιν εἰς τὸν ἀέρα, καὶ ἤχον ἐπιποιούσι: ῥύμβος δὲ καὶ ῥόμβος διχῶς λέγεται: ἔστι δὲ τροχίσκος, ὃν τύπτοντες ἰμάσι καὶ στρέφοντες ποιούσι περιδονεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν. Ῥύμβον δὲ αὐτὸν Εὐπολις εἶπε: καλεῖται δὲ καὶ βρυτήρ. Pindarus autem 'rlymbos' a 'cymbalis' non videtur distinguere, cujus versus sunt apud Strab. lib. x. Σοὶ μὲν καταχρῆ Μᾶτερ πάρα μεγάλοι ῥύμβοι Κυμβάλων, ἐν δὲ κεχλάδοντα κρόταλα, Αἰθόμενά τε δαῖς ὑπὸ ξανθήσι πεύκας. Docet eodem loco Strabo, et Cybeles apud Phrygas, et Liberi patris apud Græcos sacra prope eadem fuisse.

9 *Tua mater initia]* *Initia*, sacra ipsa, Varro de Re Rust. lib. ii. 'Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium sumtum videtur, cujus vestigia, quod initiis Cereris porci im-

molantur, et quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur.' Quo verbo saepe utitur Julius Firmicus in Proœmiis lib. v. vi. viii. Arnobius lib. v. Unde igitur probamus historias has omnes esse rerum gestarum conscriptiones? Ex sollemnibus scilicet sacris, atque initiorum mysteriorum, vel quæ statis fiunt temporibus ac diebus, vel quæ in abdito tradunt genitis, moris proprii proprietate servata. Justin. lib. v. 'Interim concitator et dux ejus Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria Cere- ris, initiorum sacra, nullo magis quam silentio solemnia enuntiavisse.'

10 *Quatiensque terga tauri*] Tympanum ipsum. Ovid. in Ibin, 'Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater Incitat, ad Phrygiis vilia membra modos. Deque viro fias, nec femina, nec vir, ut Attis, Et quatiens molli tympana rauca manu.' Terga vero et idem Ovidius sic dixit Fast. iv. 'Æra Deæ comites, raucaque terga movent.'

12 *Agite, ite ad alta Gallæ Cybeles nemora simul*] Alta: *δασή και σύμφορα*. Auctor vetus in Hymno Curetum, Matrem Deum propterea vocat *ὀρειομανή*, errantem et bacchantem montibus; ejus ob amorem insanitiæ, ab eodem etiam dicitur *φίλοιστρος*. Atque idem auctor in priore in Rheam Hymno, *Ὀρεσιω ἢ χαλρεῖς*. Vibius Sequester de montibus Cybelum montem Phrygiæ esse scribit: itaque legi etiam possit, Cybeli nemora.

13 *Simul ite*] Sic apud Eurip. in Bacch. Chorus idem verbum iterans, *Ἴτε βάρκχαι, Ἴτε βάρκχαι*.

14 *Aliena petentes velut exules loca celeri*] In manuscriptis varie, *Alienaque petentes velut exules loca celeri*: et, *Alienaque petens velut exules loca celeri*, et, *Alienaqua petentes velut exules loca celeri*. Guarinus, quique eum post secuti sunt, legunt, *Aliena quæ petentes velut exules loca*: in priore Aldi editione est, *Alieni petentes velut exilio*

loca celeri. Guarinus, nec ii qui ejus sectam secuti sunt, non viderunt desiderari pedem ad extremum Tribrachyn, pro quo Pyrrichium locant; etiam si nec illam S literæ in verbo *exules* elisionem valde probō. At ea, quæ tum in manuscriptis, tum quæ in impressis libris lectio est, legitimos hujus Carminis numeros subruit, atque evertit: itaque et de priore Aldi editione, et de manuscriptis quod commodum visum est carpens, nec a manuscriptorum lectione longe abiens versum conficiebam, quasiq̄ compingebam, quomodo Poëtam ipsum scripsisse suspicabar, *Alienaque petite pede exilio loca celeri*. Nam quod Gallas Attis properare jubet, Tribrachy citissimo pede, quibus locis potuit, versum Poëta frequentavit, et quam potuit, proxime crispum reddidit; crispus enim versus hujus generis Atilius vocat, in quibus Iambus in brachysyllabum solvitur. *pede* autem est quidem vox ipsa et in Aldi priore editione, et omittendam non esse declarat idem Catullus post, 'Rapidè ducem sequuntur Gallæ pede propero.' *exilio* autem dandi casu, cum vulgo minus, quid id esset, intelligeret, glossema quod interpretaretur, erat appositum, *velut exules*, quod in *κείμενον* ipsum post inre- pens versus corruptit. At Aldi liber alterum retinuit, altero cessit.

18 *Hilarate excitatis erroribus animi*] Sic etiam in duobus manuscriptis, ut vocales libere concurrant inter se, extrema verbi *Hilarate*, et princeps verbi, *excitatis*. In libro Achillis Maffei erat, *Hilaritate crocitatatis*. Ex quo faciendum omnino, *concitatis*.

20 *Phrygiam ad domum Cybeles*] Sic post, 'Itaque ut domum Cybelles tetigere lassulæ:' et in Epithalamio, 'Crononisque domos.' Intelligit autem Idam, Dindymum, et τὰ Δόβρωα ὄρη' de quibus Nicandri Interpres.

21 *Ubi cymbalum sonat vox*] Τῶν

κυμβάλων, et scriptum fuisse puto aut Græce, aut Latine *cymbalon*, ut post 'Chalybon,' sive Χαλύβων. In manuscripto tamen uno, non *τοx*, sed *nox*, ut dicat, Nox ipsa sonat cymbalum; quod ferendum etiam videtur. Cymbala vero Deum matris esse sacra declarat etiam Virgil. Georg. iv. 'Et Matris quate cymbala circum:' et absolute matrem dixit, Cybelem intelligens.

22 *Tibicen ubi canit Phryx curra grave calamo*] *Canit grave*; ut 'canit indoctum;' et, 'dulce canit,' more Græcorum. 'Grave' fortasse dixit, quod Phrygiis modis tristia canerent, ut auctor est Aron Interpres Horati. Sed idem tamen paulo ante dixit, 'Hilarate concitatis erroribus animum.' Non convenit igitur triste Gallas canere, quas esse vult bilares, an potius soni magnitudinem sic significat, ut Eurip. tympanis eodem modo, Βαρυβρόμων ἀπὸ τυμπάνων.

23 *Ubi capita Manudes*] Anapaustus primus, in proceleusmaticum solutus: post, 'Ego Mulier, ego adulescens:' et, 'Ego viridis algida Ida:' nisi etiam legi velis, *Ut capita pro Ubi*; quod tamen nullis manuscriptorum suffragantibus fieret. Vi autem capita jacere, id est, rotare. Quintil. de Gestibus, et Oratoris pronuntiatione, 'Mæcenas in superiore versu dixit, Quaterne flexibile caput.'

24 *Ubi sacra sancta acutis ululatus agitans*] Pulsant. Horat. 'Zephyris agitata Tempe.' Ululatus, ἀλολύγμασι, Pœta vetus in priore in Rheam Hymno, Οἴρεσιν ἢ χαίρεις, θνητῶν τ' ἀλολύγμασι φρικτοῖς: vetus Pœta apud Attilium, 'Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.'

Acutis] *Εἴηχέσι*, claris, catis. Sic enim videtur Ennius apud Varronem de Ling. Lat. accipere, 'Jam cata signa feræ sonitum dare voce parabant.' Sed hoc docti viderint. Ovid. sicut Catullus, 'Sonus æris acuti:' et Verg. Georg. iii. 'et altum Heli-

con hinnitu fugiens implevit acuto.'

27 *Simul hæc comitibus Attis cecinit nota mulier*] In manuscriptis omnibus, *nota mulier*: interpone aspirationem, et fac, *notha*; multo concinnius feceris. Sic ante, 'Et notho Luna lumine lucet.' Nec enim vere mulier erat, quamvis aberant virilitatis signa. Aldus ante sic impressit, ut esse imprimendum iudicamus.

28 *Linguis trepidantibus*] Vertentibus, salientibus, sonantibus. quo modo sæpe Horat. eodem verbo est usus.

29 *Cara cymbala recrepant*] In nonnullis manuscriptis, *increpant*; quod idem nonnumquam significat. Horat. i. Od. 'Quis post vina gravem militiam aut pauperiem increpat?' Quo loco plura nos in nostris in Horat. Commentationibus. Erit ergo et hoc loco vocalium liber ipse concursus.

30 *Virilem citus adit Idam*] Crispus versus, ut et sequens, 'Furibunda simul anhelaus.'

31 *Animo egens*] In manuscriptis, *animi geris*, et *anæca geus*. Quæ etsi sunt prava omnia, legendum tamen arguunt, *animi egens*, magis quam *animo egens*: *animi egens*, ut 'inops animi' dicitur. Et 'virtutis egens' apud Lucret. et Virgil. Animum vero etiam post pro Mentis sanitate ipsius dixit. Sic Seneca in Hercule furente, 'Ut possis animo captus Alcides agi, Dum breve tempus animus est:' id est, animi ratio. Sic Macrobi. Saturn. iii. 'Sed qui diligentium erunt veritatem, penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus:' idem credo quod dicit alibi Catullus, et sæpe Lucr. 'Mens animi.'

35 *Itaque ut domum Cybelle tetigere lassule*] Et diphthongos, et tempora partitur in syllabas: tempora quidem, ut hic, in verbo *lassule*; *læ* enim syllabæ longæ tempus alterum Dactylæ

antecedenti, subsequenti Tribarchy alterum tribuit. Idem fecit in verbo, 'leonibus,' illo post in versu, 'Ubi iuncta juga resolvens Cybele leonibus:' diphthongum vero divisit idem post, 'Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.' æ enim diphthongum in verbo 'pœnitet' divisit, ac solvit in vocales duas.

36 *Sine Cerere*] Cereris sine munere. Ovid. in Met. Terent. eodem modo, 'Sine Cerere et Baccho.'

37 *Piger his, labantes languore, oculos sopor operit*] Quod ex labore accidit, Terent. in Eunuchio, 'Opus faciam, ut defatiger, usque in gratis ut dormiam.' In Maffei lib. ac Patav. *labante*: itaque stat versus, quasi inlabente, vel labare qui facit. Proper. tamen lib. II. 'labantes ocellos' dixit in eadem sententia, 'Quamvis labantes tegeter mihi somnus ocellos:' Vergil. eodem fere modo Georg. IV. 'Incepto tegeter cum lumina somno:' et Æn. XII. 'Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit Nocte quies.' Eodem modo Qu. Calaber lib. I. de dormiente Pentasilea, "Ἦπρος δέ οἱ ὄσος ἐκάλυψεν Νήδυμος ἀμφιπεσών. Avantius tamen legit, *Piger his labori nantes oculos, &c.* Librosne veteres secutus non explicat. 'Languorem' pro somno dixit Ovid. Met. XI. 'Quo cubat ipse Deus membris languore solutus:' ac postea, 'Et rursus molli languore solutus.'

Rabidi furor animi] Sic Vergil. lib. VI. de Sibylla furente, et ἐνθεομένη. 'Tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans:' et idem post Catullus, 'Rabie fera carens dum breve tempus animus est:' et idem post, 'rapida sine rabie:' et in extremo, 'Alios age rabidos.'

39 *Sed ubi oris aurei*] Ita fecerunt, opinor, homines ingeniosi ex *horis aureis*, et *oris aureis*, et *heris aureis*, quæ est omnis in manuscriptis varietas. Verg. etiam similiter Georg. IV. 'Taygete simul os terris ostendit ho-

nestum Pleias:' atque alibi idem Verg. 'Ergo ubi purpureum nitidis Sol aurens undis Extulit os.' At Avantius, *Sed ubi ortus aureus sol*: incertum, librorum veterum fidem secutus.

40 *Lustravit athera album*] Sic albæ luce a Martiali dicuntur lib. X. 'Albæ leone flammeo calent luce:' et Ennius de Sole, 'Interea sol albus recessit in infera noctis:' et in sexto, 'Ut primum tenebris abjectis inalbat dies.' Venustissima posuit epitheta, *athera album, sola dura, mare ferum*.

Sola dura] Phrygiæ loca aspera, Idam montem scilicet.

Mare ferum] Bassus in Epigrammate πόντος θρασύν dicit, Μητε με χείματι πόντος ἄγιοι θρασύς.

42 *Ubi somnus*] In manuscriptis omnibus, *Ibi somnus*.

45 *Simul ipsu pectore Attis sua facta recoluit*] In manuscriptis omnibus *ipse*: atque in Patav. pro *recoluit*, *revolvit*; quod probandum videtur, ut ultimam solvas in duas, Catulli more ipsius.

46 *Liquidaque mente*] Pura, vacua ab insania. Sic opinor Eurip. Hyppol. Οὐκ ἔτι γὰρ καθαρὰν φρέν' ἔχω' et Plaut. Epidico, 'Animo liquido et tranquillo es, tace:' Verg. Æn. XII. idem significans, 'Ut primum discussæ umbræ, et lux reddita menti.'

47 *Reditum ad vada tetulit*] In manuscriptis, *retulit*: illud rectius. Sic enim alibi, 'Si reditum retulisset.'

48 *Ubi maria vasto risens*] In manuscriptis omnibus *Ibi*; quod est rectius.

49 *Patriam adlocuta est ita voce mæsta miseriter*] Avantius legit, *Patriam adlocuta mæsta est ita voce miseriter*: nec tamen exprimit, an libris hoc veteribus faciat auctoribus. In manuscriptis omnibus quibus utebar, erat, *Patriam adlocuta est ita voce miseritus majestas*: nisi quod in Patav. pro, *miseritus, misertus*. Ego vero

cum docnerim ante in manuscriptis omnibus esse, 'Simul ipse pectore Attis,' ut constet genus, *adlocutus* hoc loco legendum censeo. Et ante enim Ποῖτα 'ipse' masculino genere extulit, 'Trepidantem eum recepit,' &c et de se Attis ipse post, 'Ego quam miser relinquens.' Itaque totum sic lego, *Putriam adlocutus, et se est ita roce miseritus.* Se enim quoque ipsum adloquitur, 'Ego ne a mea remota,' &c. Et post, *miseritus*, a 'miseror,' et reliqua: *miseritus* autem antequam dictum pro *miseritus*, vel adverbium, quale 'humanitus,' 'divinitus,' et id genus multa. Supra *miseritus*, scriptum, opinor, fuit *mastus* glossema, quod corruptum post in *majestas*, et in contextum inrepsit.

50 *Patria o mea creatrix]* *Creatrix* idem quod *Generatrix*, quod statim addit. sic Vergil. *Æn. vii.* 'Hoc signum cecinit missuram dura creatrix.'

53 *Ut apud nicem, et ferarum gelida stabula forem]* Est enim Phrygia, *βόρειος*, quod ostendit Nicander in *Ἀλεξίφαρμάκοις*, 'Ἡ γὰρ δὴ σὺ μὲν ἄγχι πολυστροφίοιο θαλάσσης Ἄρκτον ὑπ' ὀμφαλόδεσσαν ἐνάσσαο, ἥχι' τε Πείλης Λοβρίνης θαλάμαι τε καὶ ὄργαστήριον Ἄττω.'

54 *Et earum omnia adirem furibunda latibula]* Sic etiam in manuscriptis omnibus. Legendum puto, *Et earum ut omnia adirem furibunda latibula.* Vocales vero duæ extrema in voce *omnia* eliduntur; quod fecit etiam Flaccus non semel, ut in *Od. iii.* 'Vos lene consilium et datis et dato.'

56 *Cupit ipsa puppula ad te sibi dirigere aciem]* Sic 'puppulam' pro oculo ipso posuit Manil. lib. *iv.* 'Parvula sic totum pervisit puppula cælum.'

57 *Dum breve tempus animus est]* Breve tempus, ἐπιβήματικῶς, ut, unum diem, duos annos, et id genus cætera. Idem post, 'Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit:' et Lucret. lib. *iii.* 'Sed minimum quodvis nequeat

consistere tempus.' Quod more Græcorum dixit Homer. Οὐ νέμεσις Τρώας καὶ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς Τοιῆδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἔλγεα πάσχειν.

58 *Ego ne a mea remota hæc ferur in nemora domo Patria, bonis amicis]* Simili enumeratione utitur apud Eurip. Hippol. Ἄλλὰ χαιρέτω πόλις καὶ γαῖ' Ἐρεχθέως ὃ πέδον Τροισζήνιον, Ὡς ἐγκαθηβῆν πόλλ' ἔχεις εὐδαίμονα. Χαῖρ', ὕστατον γὰρ σ' εἰσορῶν προσφθέγγομαι. Ἴτ' ὃ νέοι μοι τῆσδε γῆς δμήλικες, κ. τ. λ. Et idem in *Medea* sic domum patriamque conjunxit, Ὡ πάτρις, ὃ δῶμά τ' ἐμόν' et paulo post, quam sit sua cuique cara patria, Μόχθων δ' Οὐκ ἄλλος ὑπερθευ, Ἡ γὰς πατρίας στέρεσθαι.

60 *Abero foro, palastra, stadio, et gymnasiis]* Sic etiam in manuscriptis: bene omnino *Avantius*, quod stat verus, *Atque gymnasiis.* Sunt, qui legi posse putent, *Abero foro, palaestra studioque gymnasiis.*

62 *Quod enim genus figura est, ego numquid abierim]* In manuscriptis est, *Quod enim genus figura est, numquid abierim:* et, *Quod enim genus figura est, ego non quod haberim:* et, *Quod enim genus figura est, ego non quid abierim.* Quarum omnium optima impressa lectio, nisi quod mihi mutandum videbatur *abierim* in *obierim*, ut se diem obisse addubitet, et in figuram longe aliam mutatum. *Ovid.* *Amor. lib. i.* sic figuram dixit, 'Nunc mentis vitio læsa figura tua est.'

64 *Ego gymnasii fui flos]* *Gymnasia* malim per *I* simplex, quæ vetus erat scribendi consuetudo. Sic autem post *Juventium* ipsum *Veronensium* dicit juvenum florem. In *gymnasiis* autem juvenes versari etiam solitos, etiam *Ibycus* demonstrat apud *Stobæum.* Γυμνασίων τε νέοις, αὐλῶν τε καὶ κώμων μένει.

Ego eram decus olei] *Palæstræ*; dicuntur enim propterea unctæ *palæstræ*, quod qui iis certabant, oleo ungebantur.

65 *Mihi limina tepida*] Sic quoque summam frequentiam Cic. significat in II. Philipp. 'Calebant,' inquit, 'in interiore ædium parte totius Reip. mndinæ:' id est frequentes erant, multi veniebant, multi eo confluebant. Sic enim legitur in optimo Philippicarum exemplo, quod est secutus Gabriel Faërnus. Eodem prope modo Statius Thebaid. lib. I. 'Lætatur Adrastus Obsequio fervere domum.' Simile quiddam videtur Ibycus significare apud Stobæum de pace, Συμποσίων δ' ἐρατῶν βριθοῦν ἄγρια, Παιδικὸν θ' ὕμνοι φλέγονται.

66 *Mihi floridis corollis redimita domus erat*] In manuscriptis omnibus, *circulis*, pro *corollis*. Sed prave, opinor. Legendum etiam fortasse *floréis*, ut apud Tibull. lib. II. in manuscriptis est, 'Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi, Supplice cum posti, florea sarta darem:' et apud Plaut. Aulul. 'Nunc tusculum emi, et coronas floreas.' Sic enim in veteri cod. Priscian. lib. II. hic versus scriptus exstat. Lucr. in eodem genere lib. IV. 'At lacrimis exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit, postesque superbos Ungit amaracino, et foribus miser oscula figit.'

68 *Ego ne Deum ministra, et Cybeles famula ferar*] Tribachyn primo loco posuit, cum semper aut Anapæstum aut Spondæum posuerit. Sic proprie dicebantur Galli famuli Idææ matris. Cic. de Leg. lib. III. 'Præter Idææ matris famulos:' et Manil. lib. IV. 'Phrygia Nemæa potiris Idæa matris famulus.' Idem Catullus post, 'Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.'

70 *Nive amicta loca*] Simile huic illud Horat. 'Hebrnsque nivali compep vinetus.'

72 *Ubi cerva silvicultrix, ubi aper, nemorivagus*] Sunt hæc Dityrambica, *silvicultrix, nemorivagus*: quo de genere Dionys, Hal. in Arte. Doeni au-

tem, Strahone auctore, eadem prope esse apud Græcos Liberi Patris sacra, quæ apud Phrygas Matris Deum: itaque et numerus ipse, et verborum idem genus. Lucret. lib. II. 'montivagum' genus dixit feras ipsas, 'Unde etiam fluidas frondes et pabula læta Montivago generi possit præbere ferarum.'

73 *Jam jam quoque pænitet*] In manuscriptis, ut et olim Aldus impressit, *Jam jamque*: atque hoc modo versus etiam stat.

74 *Roseis ut huic labellis palam sonitus abiit*] In manuscriptis omnibus *palam*, nullum verbum; quod etiam monuit Avantius: itaque præstat vacuum locum relinquere, quam alieno verbo occupare: in iisdem libris, *adiit*, non *abiit*; sed illud rectius.

75 *Geminus Deorum ad aures nova nuntia referens*] Deorum dixit, cum ante etiam posuerit, 'Ego ne Deum ministra:' vel quemadmodum Græci, opinor, quasi proverbio, ἤλθην ἐς ἄτα θεῶν. Et Verg. 'Partem aliquam, ventii, Divum referatis ad aureis:' et Horat. 'Et Jovis auribus ista Servas.'

76 *Ubi juncta juga resolvens Cybele leonibus*] Verg. Æn. X. de Cybele, 'Cui Dindyna cordi, Turrigeræque urbes, hijugique ad frena leones:' et Manil. lib. II. 'Juppiter et cum matre Deum regit ipse leonem.' Gabriel Faërnus nummum habebat aureum, in quo imago Commodi Imp. et a parte altera Cybele ipsa leoni insidens cum inscriptione,

MATER. DEVM. CONSERVATRIX.

77 *Lærumque pecoris hostem*] Omnia etiam animalia 'pecus' videtur Hor. appellare in I. Serm. 'Cum prorepserunt primis animalia terris Mutum et turpe pecus.'

78 *Age dum, inquit, age ferox, hunc agedum agredere furor*] Sic Avantius, aliter Gnarinus. Sed neutro modo in manuscriptis, in quibus erat hoc modo scriptum: in uno, *Agedum*, in-

quit, age, ferox fac ut hunc furor: in duobus, Agedum, inquit, age ferox ut hunc furor. In quo cum non syllabæ tantum, sed voces integræ ipsæ, ac pedes desiderentur, ea sum religione, ut audendum aliquid non putem: in optimis enim emendandis auctoribus sine veterum subsidio librorum mihi quidem non licet esse tam disertio, nec, si liceat, libet. Apud Plaut. Menæch. eodem prope modo equos Apollinis adloquitur Menæchmus, usus pari numerorum celeritate, 'Agite equi facitote sonitus unguularum adpareant. Cursu celeri facite in flexu sit pedum pernicitas.'

79 *Fac ut furoris ictu reditum in nemora ferat*] Plut. libro cui titulus πρὸς Κολωτὴν, hunc furoris ictum ἀστραγαλωτὴν dictum fuisse significat opinor his verbis, 'Ἄλλ' οὐκ ἐλευθέρος οὗτος ᾧ Μητροῦδωρ' ἐστίν, ἀλλ' ἀνελεύθερος καὶ ἀνάγωγος, καὶ οὐδὲ μάστιγος ἐλεύθερος, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ἣ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρώοις κολλάζουσιν' nam ἀστραγάλος inter alia significare etiam tradunt παισικὸν βόλον, qui Attin ipsum hæc memorantem ac diu cessantem ferit.

80 *Mea libere ninis qui fugere imperia currit*] Sic Horat. 'imperiam' videtur dixisse in l. Epist. ad Torquatum, 'Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.'

81 *Age, cade terga cauda*] Quo te incites ipse, et iram colligas. Hesiod. Scuto, πλευράς τε καὶ ἄμους Οὐρῆ μαστιγῶν ποσὶ γράφει, οὐδὲ τις αὐτὸν ἔτλη ἐς ἄντα ἰδῶν σχεδὸν ἐλθεῖν οὐδὲ μάχεσθαι.

81 *Tua terbera patere*] Ita omnino esse debet, itaque est in Maffei libro, et Patav. nisi quod *terruera* pro *terbera* vitiose.

82 *Loca retonent*] Sic in duobus manuscriptis: in uno, *redundent*, prave.

83 *Rutilam ferox torosa cervice quate jubam*] Sic Alcæus, Ἐκ δὲ τευόντων

Ἐνθους ῥομβητὴν ἐστραβιλιζε φόβην.

84 *Religatque juga manu*] 'Religare' hoc loco solveve, contrarium simplici, ut 'refigo' quoque et 'refodio' aliud, ac simplex significant.

85 *Ferus ipse sese adhortans*] In manuscriptis omnibus idem vitium incedit, *adortalis*, pro *adhortans*. Quod autem 'ferum' dicit, ita bestias fere vocabant omnes. Verg. Æn. 11. de equo, 'In latus inque feri curvam compagibus alvum:' et Æn. vii. de cervo, 'Pectebatque ferum.' Lucr. lib. 11. Cybeles leones 'feras' dicit, 'Hanc veteres Graium docti cecinere Poëtæ Sedibus in curru bijages agitare leones, Aëris in spatio magnam pendere decentes Tellurem, neque posse in terra sistere terram. Adjungere feras, quod quamvis effera proles, Officiis debet molliri victa parentum:' Callim. de sue, in Hymno in Dianam, Ἐχει δ' ἔτι θηρὸς ὀδόντας: atque alibi de leone idem Callim. Θηρὸς ἀεργάζων δέρμα κατωμάδιον. Eurip. in Hercule furente de leone quoque, Πρῶτον μὲν Διὸς ἔλσος Ἠρήμωσε λέοντος: Πυρσῶ δ' ἀμφεκαλύφθη, Ξανθὸν κράτ' ἐπινωτίσας, Δειψῶ χάσματι θηρὸς.

86 *Vadit, infremit, refringit*] In manuscriptis omnibus, *Vadit, fremit, refringit*: itaque legit Avantius suis in libris: qua de lectione dubitandum non est; nam si *Vadit, infremit* legamus, erit pro anapæsto creticus, quod non licet: *refringit* autem eodem modo et Statius lib. 1. Thebaid. dixit, 'Et prono virgulta refringit Pectore.'

89 *Ille demens*] Exterritus, attonitus.

91 *Dea magna, Dea Cybelle*] Hac deprecatione Poëma finit. Sic Callim. in Hymnis ad extremum precationem adhibet. 'Magnam Deam' hanc proprie vocabant. Propert. lib. 1v. 'Vertice turrigero juxta Dea magna Cybelle.' Et Stephanus, περὶ Πόλεων, in verbo Ἀήμνος, hoc ipsum apertius, Ἀήμνος, νῆσος πρὸς τῇ Θράκη,

δύο πόλεις ἔχουσα, Ἡφαιστίαν καὶ Μυρίαν, ὡς Ἐκαταῖος Εὐρώπῃ· ἀπὸ τῆς Μεγάλης λεγομένης Θεοῦ, ἦν Λημόν φασι. Macrobo. Saturn. iii. de sententia Cassii Heminae Penates Μεγάλους Θεοῦς vocari scribit; in quibus esse Junonem Vergil. significans dixit, 'Junonis magnæ primum prece numen adora:' et Antimachus Nemesium magnam Deam dixit, Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεός.

Dea Dindymi domina] In manuscriptis, *Domina Dindymei*; quam ille pedum commutationem fecit, quod de syllabarum temporibus nihil amittebatur. Quod autem in manuscriptis est, *Dindymei*, hoc est solum vestigium veteris scripturæ, E enim longum per EI antiqui scribebant. 'Dominam Dindymi' et idem ante dixit, 'Nam quo tempore legit inchoatam Dindymi dominam.'

92 *Hera*] Deos Heros alibi vocat, 'Hostia cælestes pacificasset heros:' et Ennius, 'Vos ne velit, an me, regnare hera.'

93 *Alios age rabidos*] Hunc esse versum suspicor, quem Festus Pomp. adducebat Catulli, in verbo, 'Rabidus.' Superest enim tantum vestigium. 'Catullu....'

CARMEN LXIV.

Epithalamium in Pelei ac Thetidis nuptiis Agamestora Pharsalium primum scripsisse, tradit Lycophronis Interpres. Quod etiam fecisse constat Hesiodum, cujus ex epithalamio Thetidis ac Pelei versus citantur, quos suo loco ponemus. Quod autem Peleum, cum in Colchos iter haberet, Thetidem compressisse dicit, credo secutum eum aut, quem dixi, Agamestora, aut Hesiodum, aut ntrumque etiam. Apollodorus quidem certe nihil, quod huic repugnet sententiæ, scribit. Sunt, qui Epithalamium hoc esse nolint, quod abest puerorum puellarumque canentium chorus.

1 *Peliaco quondam prognata vertice*

pinus] Sic ante, 'Nam Cytorio in jugo Loquente sæpe sibilum edidit coma.'

2 *Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas*] Ovid. Amor. lib. ii. prope ad hæc accedens verba, 'Prima malas docuit, mirantibus æquoris undis, Peliaco pinus vertice cæsa, vias.' 'Natare naves' dixit ipsas, ut et Tibull. 'In liquida nat tibi linter aqua.'

3 *Phasidos ad fluctus*] Manil. lib. iv. 'Phasidos ad ripas, et Colchica regna revexit:' at Ovid. Met. vii. 'Multaque perpersi claro sub Jaso-ne, tandem Contigerant rapidas limosi Phasidis undas.'

4 *Cum lecti juvenes*] Sic Vergil. 'Cuncti nam lecti navibus ibant.' In manuscriptis tamen nonnullis, *lecti* Apollodor. lib. i. Bibliothecæ hos ἀριστεῖς proprie vocat, τῶν δὲ Βεβρύκων ἱρμῆσαντων πρὸς αὐτὸν, ἀρπάσαντες οἱ ἀριστεῖς τὰ ὕπλα πολλοὺς φεύγοντας φυνεύουσιν αὐτῶν. Atque alibi: Καὶ τότε μὲν εἰς Ἴσθμὸν μετὰ τῶν ἀριστείων πλεύσας, ἀνέθηκε τὴν ναῦν Ποσειδῶνι. Juvenes autem hoc modo Græci Poëtæ, Κούρους vocant. Ennius eodem modo, quem omnino imitatus Catullus videtur, cujus verba sunt, 'Quæ Argivi dilecti viri Vecti petebant pellem inauratam arietis.' Græci Poëtæ fortes viros sic juvenes fere vocant. Vetus Poëta apud Hephæstionem, Ἄγετ' ὃ Σπάρτας ἔνοπλοι κούροι ποτὶ τῶν Ἄρεως κίνασιν. Et Hom. τρηχεῖ, ἀλλ' ἀγαθῇ, κουρότροφος.

Argivæ robora pubis] In manuscriptis omnibus, *puppis*, non *pubis*. Illud rectius. Sic Vergil. Æn. vii. 'Arcadas huic equites bis centum robora pubis Lecta dabo.'

5 *Auratam optantes Colchis avertere pellem*] Sic idem Vergil. dixit Æn. i. 'Ardentesque avertit equos in castra:' et incertus auctor in Ciri, 'Ausa quod est mulier numen fraudare Deorum, Et dictam Veneri votorum vertere pænam.'

6 *Ausi sunt vada salsa cita decurrere*

puppi] Sic etiam Vergil. 'Currimus æquor.' *Cita puppi, νηὶ θεούση.* Callim. Hymn. in Delon. Et sæpe Homer. ἐπὶ νηύσει θαῶις et Eurip. ὠκυπόρους. Majore vero celeritate 'decurritur,' quam 'curritur.' Seneca Declam. iv. 'Itaque Divus Augustus optime dixit, Aterius noster sufflammandus est, adeo nedum currere, sed decurrere videbatur.'

7 *Cærulea terrentes*] Et Catullus, et Vergil. Ennium videntur imitati, cuius versus ponit A. Gell. lib. xxvi. cap. 2. 'Verrunt extemplo placide mare marmore flavo: Cæruleum spumat sale conferta rate pulsa Per mare.'

8 *Diva quibus retinens in summis urbibus arces*] Quæ præest arcibus. Sic Attius apud Priscian. lib. vi. 'Maia nemus retinens gravido concepit in alvo.'

9 *Ipsa levi fecit volitantem flamine currum*] Vehiculum dixit Cic. lib. ii. de Natura Deorum aut apud illum Attius. 'Atque ille apud Attium inquit pastor, qui navem nunquam ante vidisset ut procul divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte conspexit.' Pacuv. 'plaustrum' dixit, 'Omnem non meo Oceano fulgerat citro Alrepto plaustro Boreas baccatur Rheno. Hesperio zephyro Orion, volvitur Austro. Fulva Parantonio jnga Cynthia proruit Austro.' Quæ si corrupta sunt quod volo tamen apparet. Ex hoc genere tralationis est, quod Vergil. Æn. vi. dixit, 'Classicæ immittit habenas.' Curri enim equi iungebantur, quos regit auriga. Et Tiphis Argus ipsius gubernator auriga dictus. Vetus Poëta apud Carisium lib. iv. ac Diomedem Metaphora lib. ii. 'Typhim aurigam celeres fecere carinæ.' Μεταφορικῶς opinor etiam Lycophron navem dixit αὐτουρηγότευκτον βάρην qua de re consulendus ejus Interpres. Significat enim idem verbum θρόνους, πύργους, αὐλάς, στοὰς, καὶ τεῖχος. Eurip. in

Iphigenia vehiculum dixit, νατον ὀχημα. Interpres Phænomenon eorum quæ vertit Germanicus Arati alios aliud tradidisse scribit, Pallada quidem ipsam navem Argo fabricatam, sed quosdam Danao putare, alios Argonautis.

10 *Pinca conjungens inflexæ texta carinæ*] Carina quæ proprie dicatur ostendit Interpres Germanici in Signo navis: *texta* autem dixit, de materia, ut et Vergil. Æn. ii. 'sectaque intexunt abiete costas.'

11 *Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*] 'Rudem' intentatum: aut figurate, pro 'rudis' ipsa navis. Amphitrite autem Neptuni conjux, ut tradit idem Germanici Interpres in signo Delphini. in manuscriptis omnibus, *primam*: legendum forte, *Illa rudi cursu primam imbuit Amphitriten.*

12 *Que simul ac rostro ventosum proscidit æquor*] Et Verg. in Georg. dixit, 'Ventosa per æquora.'

13 *Totoque remigio spumis incanuit unda*] Sic est omnibus in manuscriptis; probior tamen lectio, *Tortaque.* Sic Verg. Georg. iv. 'spumantem undam sub vertice torsit:' et Ovid. in Fastis, 'Ille meas remis navita torsit aquas.' Pro *incanuit* autem est omnibus in libris, *incanduit*: quod idem omnino est. Vergil. Æn. vii. idem significans, 'Fluctus uti primo cæpit cum albescere ponto Paulatim attollit sese mare.' et Æn. viii. 'seil fluctu spumabant cærulea cano.' Sic mare canum a Græcis Poëtis dici solet. Theogn. Γήθησεν δὲ βαθὺς πόντος ἄλδος πολιῆς. Et vetus Poëta apud Hephæstionem, Θῶν' ἐφ' ἄλδος πολιῆς et apud eundem Anacreon, Ἀρβελὶς δ' ἦντε ἀπὸ Λευκάδος πέτρης εἰς πολιδὸν κύμα κολύμβω μεθύων ἔρωτι. Simili verbo usus Eurip. Iphigenia, idem, quod hic Catullus, expressit, λάβεσθε κόπας, ῥόθιά τε λευκαίνετε et apud Stobæum Mosches, Ἄλλ' ἔταν ἀχθήση πολιδὸς θυθὸς. Catullus autem expressit illud

Apoll. R. 1. Στράπτε δ' ὕπ' ἡελίῳ φλογὶ
 ἔκκελα νηὸς ἰούσης Τεύχεα, μάκραι δ' αἰὲν
 ἔλευκαίνοντο κέλευθοι. Probabilem ve-
 ro lectionem manuscriptorum libro-
 rum facit id, quod sequitur, 'candenti
 e gurgite,' quamquam etiam
 post, 'e gurgite cano.' Lucretius
 idem significans lib. 11. dixit, 'Vertitur
 in canos candenti marmore fluctus.'

15 *Monstrum*] Rem ante minime
 visam; inusitatum.

16 *Illaque atque alia*] In manuscrip-
 tis omnibus, *Illaque atque alia*, ut nihil
 elidatur, vel ut ego quidem existimo,
Illaque atque alia. Sic ante, 'Ludentes
 numero modo hoc, modo illoc.'

16 *Viderunt luce marinas Mortales oculi
 nudato corpore nymphas*] In duobus
 manuscriptis, *oculis*. Earum, inquit,
 naturam, et quales quantæque essent,
 viderunt. Sic enim Pindari Inter-
 pres in illud Δῶρα καὶ κράτος ἐξέφανεν'
 τοῦτ' ἔστι τὴν ἑαυτῶν φύσιν, καὶ δύναμιν,
 καὶ τὸ εὐγενὲς αὐτοῖς, οὐ μεταβάλλοντες
 τὴν μορφήν, ὡς ἔθος θνητοῖς φαντάζεσθαι
 θεοῦς, ἀλλ' ἐν ταῖς ἰδίαις μορφαῖς ὤφθησαν
 αὐτῶ. Versus autem Apollonii, quos
 expressisse videtur Catullus, etsi
 paulo alia sententia sunt, Πάντες δ'
 οὐρανόθεν λεύσσον θεοὶ ἡματι κένῳ Νῆα,
 καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἱ τότ' ἄριστοι
 Πόντον ἐπιπλώσκον, ἐπ' ἀκροτάτοισι δὲ
 νύμφαι Πηληιάδες κορυφήσιν ἐθάμβεον εἰσο-
 ρῶσαι Ἔργον Ἀθηναίης Ἰτωνίδος, ἧδὲ
 καὶ αὐτοὺς Ἑρως.

18 *Jam crurum tenuis*] In manuscrip-
 tis omnibus, ut et Aldus olim impres-
 sit, *Nutricum tenuis*: itaque suo in ve-
 teri libro fuisse testatur Avantius, ut
 sit id, quod Græci dicunt, *μέχρι τρο-
 φῶν*.

21 *Cum Thetis*] In manuscripto uno,
 et in hoc, et in sequenti versu, *Tum
 Thetidi*.

Jugandum Pelea sensit] Jugandi
 verbo sic etiam usus Horat. in Sæculari
 Carmine, 'patrumque Prosperes
 decreta super jugandis Feminis.' *sensit*
 autem Pontanus mutavit in *sanxit*,

quod in manuscriptis non est: ipsæ
 vero nuptiæ Pelei Thetidisque nar-
 rantur ab Apollodoro lib. 111. Bibliothecæ.

Pater ipse] Nerens.

23 *Herois salvet Deum genus*] Hesiodium expressit illud, Ἀνδρῶν ἠρώων
 θεῶν γένος, οἱ καλέονται Ἀθάνατοι.

25 *Teque adeo eximie, tædis felicibus
 aucte Emathie columen Peleu*] In ma-
 nuscriptis omnibus *Thetis*, pro *tædis*,
 prave: Hesiodum vero imitatus hæc
 scripsit, cuius ex Epithalamio versus
 citantur, Τρὶς μάκαρ Αἰακίδῃ καὶ τετρά-
 κισ ὕλβιε Πηλεῦ, ὄσ τοῖσδ' ἐν μεγάροις
 ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνειν.

26 *Cui Jupiter ipse, Ipse suos Di-
 um genitor concessit amores*] Eam enim
 amatam Jovi scribit Apollodorus; sed
 causas adfert, cur Peleo suos amores
 concesserit; scribit enim sic: Αὐθὺς
 δὲ Πηλεὺς γαμεῖ Θέτιν τὴν Νηρῶος, περὶ
 ἧς τοῦ γάμου Ζεὺς καὶ Ποσειδῶν ἤρισαν.
 Θέτιδος δὲ θεσπιόδοσης ἴσεσθαι τὸν ἐκ
 ταύτης γεννηθέντα κρείττονα τοῦ πατρὸς,
 ἀπέσχοιτο. ἔνιοι δὲ φασί, Διὸς ἡρώωντος
 ἐπὶ τὴν ταύτης συνουσίαν, εἰρηκέναι Προ-
 μηθέα τὸν ἐκ ταύτης αὐτῶ γεννηθέντα
 οὐρανοῦ δυναστεύειν· τινὲς δὲ λέγουσι μὴ
 βουλευθῆναι Θέτιν Διὶ συναλθεῖν ἰσθῶρας
 τραφεῖσάν· Δία δὲ ὀργισθέντα θητηῶ
 ἐβελῆσαι αὐτὴν συνοικῆσαι.

28 *Te ne Thetis tenuit*] Διαπόρησι
 poetica in rebus optatissimis. Sic
 apud Terent. amator, 'Teneo ego te
 mea Antiphila.' Ac 'tenendi' verbo
 eodem prope modo est usus.

29 *Te ne suam Thetis concessit ducere
 neptem*] Etenim Oceano ac Thetide
 nati Nereus ac Doris quorum filia
 Thetis. Avia nomen scribi debet,
 Τήθυσ neptis, Θέτις differunt enim
 non scriptura tantum sed et quanti-
 tate syllabarum. Apollodorus lib. 1.

30 *Oceanusque pater, totum qui am-
 plectitur orbem*] In manuscriptis om-
 nibus, *Oceanusque mari totum qui am-
 plectitur orbem*: quam probam rec-
 tamque judico lectionem. Manil. lib.
 iv. in eandem sententiam, 'Ipsa no-

tat tellus pelagi lustrata corona,
Cingentis medium liquidis amplexi-
bus orbem:’ et Ποῦτα vetus, Κύκλον
ἀπαμάτου, καλλιφρόου ὠκεανοῖο, *Ὁς γαῖαν
δίηρσι περιτρέχει ἀμφιελίζας.

33 *Oppletur latanti regia caetu*] Si-
militer Statius Thebaid. i. ‘Diffuderat
Argos Expectata dies, læto regalia
cætu Atria complentur.’

35 *Linquunt Phthiotica Tempe*] *Phthi-
otica* dixit, opinor, ea, quæ sunt ad
Sperchium, ad differentiam eorum,
quæ sunt ad Peneum.

36 *Grajugenasque domos*] Cum in ma-
nuscriptis omnibus legatur *Græcino-
nisque domos*, et in Vat. *Græcinonisque
domos*; erudite Petrus Victorinus, a-
cuteque mutavit in *Crannonisque do-
mos*: quam esse Thessaliæ urbem,
præter Strabonem, Stephanum, cæ-
terosque Cosmographos, ostendunt
illa Cic. verba de Orat. lib. ii. ‘Di-
cunt enim, cum cenaret Crannone in
Thessalia Simonides.’ *Campi Cran-
nonii* meminit Callimachus in Hymnis.
Ἐτρέμε δ’ Ὀσσης Ὀβρεα, καὶ πεδίον Κραν-
νάϊον. Corbinellus in manuscripto
fuisse ait, *Gyrtonisque domos*, eamque
lectionem confirmari testimonio A-
poll. lib. i. Ἦλυθε δ’ ἀφνειὴν προλιπῶν
Γυρτῶνα Κόρωνος’ et Interpres urbem
esse Thessaliæ dicit. Quod sequitur,
ac mania Larissea, varie legitur in
manuscriptis; primum sic, *ac nitens
Alacrisa*; deinde sic, *ac nitentis Ala-
crisæ*; deinde etiam sic, *ac nitentis
alacrisæ*; in Vat. autem sic, *ac Ni-
cenis alarissa*. Mihi vero legendum
videbatur, *Arne tenus ac Larissa*.
Nihil enim manuscriptæ lectioni pro-
pius comminisci potui: utraque vero
est urbs Thessaliæ.

37 *Pharsaliam cœunt*] Pontanns
syllabæ consuluit, probabiliterque le-
git, *Pharsalum cœunt*.

40 *Non glæbam*] Per diphthongum
omnino scribendum: sic enim in ve-
tustissimis quibusque libris scriptum
reperio.

41 *Arboris umbran*] Ramos cum

frondibus. Verg. Georg. ii. ‘Tum
fortes late ramos, et brachia tendens
Huc illuc media ipsa ingentem susti-
net umbram.’ Figura nota.

42 *Robigo*] Hoc quoque sic scri-
bendum eadem de causa.

43 *Quacunque opulenta recessit Re-
gia*] Imitatus Vergilius dixit, ‘At do-
mus interior regali splendida luxu:’
et Ovid. in Met. ‘Pars secreta do-
mus, ebore et testudine cultos Tres
habuit thalamos.’

44 *Fulgenti splendent auro, atque
argento*] Alcæus apud Athen. lib. xiv.
similiter: Μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χαλ-
κῶ.

45 *Candet ebur solis*] Sedibus, aut
mensis: utrumque enim significatur
eodem nomine, i. e. mensis, lectis.
Cic. in Pisonem, ‘Græci stipati in
lectulis, ipse solus hibiturus, quæ
eodem de solio ministrentur:’ Horat.
eodem in genere lib. ii. Sermon. idem
prope dixit aliis verbis, ‘Rubro uli
cocco Tincta super lectos canderet
vestis eburnos.’

46 *Tota domus gaudet regali splendida
gaza*] *Renidere* dixit Horat. ‘Non
ebur nec aureum Mea renidet in do-
mo lacunar.’ Theognis, Γήθησε δὲ
γαῖα πελώρη.

47 *Pulcinar vero Divæ geniale loca-
tur*] Ἡ παστὰς, sive ut Aristoph. Avi-
bus dicit, λέχος γαμήλιον’ ab Horat.
atque aliis ‘lectus genialis’ dicitur.

48 *Indo quod dente politum*] ‘Ind-
um ebur:’ et Vergil. dixit: ‘Indum
sanguineo si quis violaverit ostro For-
san ebur:’ idem in Georg. ‘India
mittit ebur.’

49 *Conchylis purpura*] Dictum for-
tasse ad differentiam purpuræ terres-
tris, quæ Bacis legitur. Hoc Catul-
linum quale sit, ostendunt illa Lucr.
lib. vi. ‘Purpureusque color conchyli
jungitur una Corpore cum lanæ, di-
rimi qui non queat usquam.’

50 *Hæc vestis*] Locus insignis et
quem fortasse in hæc ecbasi sibi pro-
positum Catullus hæc scribens habe-

bat apud Apoll. R. iv. eius initium, Οἷς μέτα καὶ πέπλον. 'Αφορμή huius Poëmatici prope totius, usitata quidem illa Homero, primum in Achillis scuto describendo, deinde Vergilio in Æneæ quoque scuto. Ovid. Met. vi. simile quiddam imitatur in Philomelæ fabula, et Auctor incertus in Ciri, 'Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,' &c. Varro, opinor, hinc transferens Pelographian opus scripserat. Verg. idem significans, 'Purpurea intexti tollunt aulæa Britanni.'

51 *Heroum mira virtutes indicat arte]* Argumentosum opus vocant. Vergil. 'Argumentum operis.'

52 *Prospectans litore Diæ]* Litus etiam in versu faciendū scribendum simplici T. Diam vero absolute Naxō dixit, Homerum et Callim. secutus; de quo sic Interpres Apoll. R. in illud lib. iv. Δῆ ἐν ἀμφιάλω. Δῆ] ἐν τῇ Νάξω. Καλλιμαχος. 'Ἐν Δῆ, τὸ γὰρ ἔσκει παλαιότερον ὄνομα Νάξω. Homer. Odys. A. Δῆ ἐν ἀμφιρύτῃ' quo loco Interpres Homeri, Δία νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ, ἧτις Νάξος καλεῖται' ἱερά δὲ αὐτῆ τοῦ Διονύσου. Atque idem Fabulam eodem prope modo expositam a Pherecyde tradit. Servius quoque in illud Verg. Æn. iii. 'Bacchatamque jugis Naxōn,' Diam hanc insulam, vocatam fuisse tradit: et Hygin. in Corona, 'Dicitur enim in insula Dia, cum Ariadne Libero nuberet.'

55 *Nec dum etiam seseque sui tum credidit esse]* Varie quoque hic versus in manuscriptis legitur: primum sic, *Nec dum etiam seseque sui tui se credit;* deinde sic, *Nec dum etiam seseque sui se credit.* Vereor itaque quid huic desit versui: jam si priorem lectionem sequimur, legendum puto, *Nec dum etiam sese quæ sit, tum credidit esse.*

59 *Inrita ventosæ linquens promissa procellæ]* Id est, in vento scripta.

61 *Saxea ut effigies]* Ariadna apud Ovid. in Epistola: 'Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.'

62 *Et magnis curarum fluctuat undis]*

Verg. Æn. iii. 'Et magno curarum fluctuat æstu:' et Herodianus de Commodo, Κυμαίνουσαν ὄν ἔχων τοσάνταις φροντίσι τὴν ψυχὴν' et is, qui vulgo Musæus creditur, "Ἰστατο κυμαίνουσα πολυκλαύστοισι μεριμναίς.

63 *Non flavo retinens subtilem vertice nitram]* 'Retinere' verbo sic est usus Auctor incertus in Ciri, 'Non nivea retinens bacchata monilia colle:' atque alibi, 'Purpureas flavo retinentem vertice vittas.'

65 *Non tereti strophio luctentis vineta papillus]* Sic in manuscriptis quoque, præterquam in uno, in quo erat, *lacentis:* legendum forte *lacetis.* Sic enim pulehras significat; ut et Statio 'Lucidus Evan' dicitur Bacchus, formosus in primis Deus. Alii legunt *luctantis,* ut quasi luctentur papillæ turgentibus. Non. Marcell. in verbo 'Strophium.' 'Strophium,' inquit, 'fascia brevis, quæ virginalem errorem colibet papillarum.'

66 *Omnia quæ toto delapsa e corpore passim]* Sic etiam loquitur Ovid. 'humeris pallia lapsa meis.'

67 *Ipsius ante pedes fluctus salis allidebant]* Legendum omnino, ut est in manuscriptis, *adludēbant.* Sic in definitione Litoris apud Cic. in Topicis. Jureconsultus Fluctum dixit 'eludere.' Eodem modo Ovid. in Met. 'et in adludentibus undis Summa pedum, taloque tenuis vestigia tingit:' et Arnobius Adversus Gentes, lib. viii. 'Nostris pedibus adluderet fluctus.'

68 *Sed neque tum mitræ neque tum]* Idem numerus apud Auctorem Ciris, 'Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur.'

Fluitantis amictus] Sic Tacit. de Moribus Germ. 'Non fluitante veste, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta, ac singulos artus exprimente.'

69 *Toto te pectore Theseu]* In manuscriptis omnibus, *Toto ex te pectore Theseu.* Aldus ante ediderat, *Toto te ex pectore.*

70 *Perdita]* Sic Vergil. in Bucol.

‘Perdita, nec seræ meminit decedere nocti.’

71 *A misera*] Nominandi casu, sic etiam est omnibus in manuscriptis.

Adsiduis quam luctibus extenuavit] In manuscriptis, ut et Aldus ante ediderat, *externavit*: quo verbo alibi utitur, ‘externata malo.’ Et Nonius verbum ‘externavit’ agnoscit, et idem legit.

72 *Spinosas Erycina serens*] Sic Ovid. ut opinor, hoc imitatus, in Amor. II. ‘Quid geminas, Erycina, meos in corde dolores?’ et Horat. in I. Od. ‘Sive tu mavis, Erycina ridens.’ Similiter autem Theocr. *Κούφας δὲ διδοῖ ποθέοντι μεριμνάς* eodem modo, quo Catullus loquitur post, ‘Nam, mihi quam dederit duplex Amatuntia curam.’

73 *Illa tempestate feroxque et tempore Thecus*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis: Aldus impressit ante, *Illa tempestate ferox, et tempore*. Ego, ut minimum a scripto discedam, legendum puto, *Illa tempestate ferox qua et tempore*, vel, *quo et tempore*, ut existat illa prisca dicendi ratio, Poëtæ aptissima. Cic. de Orat. lib. III. ‘Inusitata sunt prisca fere, ac vetusta, et ab usu cotidiani sermonis jam diu intermissa, quæ sunt Poëtarum licentiæ liberiora, quam nostra; sed tamen raro habet etiam in oratione poëticum aliquid verbum dignitatem: neque enim illud fugerim dicere, ut Cælius, *Qua tempestate Pænus in Italiam venit*.’ Ut sit hoc loco: *Illa tempestate ac tempore, quo, &c.*

77 *Androgeonæ pænas exolvere cædis*] In manuscriptis omnibus, *Cum Androgeonæ*: legendum, *Androgenææ*. *Cum* autem in omnibus libris præpositum, indicat fortasse sic intelligendum. *Cum exolvere*, pro ‘exolvebant:’ cujusmodi nullum exemplum alibi reperio. Sententia quidem certe multo sic esset facilior ad intelligendum, et oratio ipsa nullo modo impediretur.

80 *Quis angusta malis cum mania vexarentur*] *Angusta* etiam in manuscriptis: sunt tamen qui legi velint, *augusta*: in duobus paulo vetustioribus libris pro *vexarentur*, *versarentur*; id est *jactarentur*. *Mænia* autem, ipsis pro civibus.

83 *Funera Cecropiæ, ne funere portarentur*] In manuscriptis duobus, *ne funera*: illud rectius. Nec tamen sic dictum accipio, ut illa alia, ‘Innuptas nuptias,’ ‘Insepultam sepulturam,’ neque enim est eadem compositio. Legendum vero suspicor, *Funera Cecropiæ nec funere portarentur*; ut ‘effèri funere’ optimi dixerunt auctores. Funus autem pompam ipsam significat, et amicorum frequentiam in efferendo mortuo. Cic. pro Quinctio, ‘Si funus id habendum sit, quo non amici conveniunt ad exequias colonestandas:’ et Lucilius, ‘Nullo honore displeto, nullo funere.’ Quæ verba sic esse corrigenda arbitror, ‘Nullo heredis fletu, nullo funere.’ Ovid. ad Livinum, ‘Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis.’ Vel, *nec funere*, cum vivi eo venirent, non mortui, quod vere demum funus esset. Imitatus tamen videtur Manil. Astronom. lib. v. de Andromeda; et priorem confirmare lectionem, ‘Induiturque sinus non hæc in vota paratos. Virginis et vivæ rapitur sine funere funus.’

87 *Quam suavis exspirans castus odor Lectulus*] Non dissimilis videtur huic loco, ille alter apud Vergil. *Æn.* I. ‘At Venus Ascanio placidam per membra quietem Inrigat, et fotum gremio Dea tollit in altos Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum Floribus, et dulci adspirans complectitur umbra.’

91 *Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina*] Sic etiam apud Vergil. Dido Cupidinem falsa in imagine Ascanii spectans, ‘Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.’

92 *Quam toto concepit pectore flam-*

man] In manuscriptis omnibus *cuncto*, pro *toto*. Vergil. ‘*toto pectore*’ sic dixit *Æn.* vii. ‘*Toto percepit pectore flammam.*’

94 *Heu misere exugitans*] Sic etiam in manuscriptis duobus: in uno *Cum misere*; quod rejiciendum videtur.

95 *Curis hominum qui gaudia misces*] *Amoribus*: in eandem sententiam alibi, ‘*Qui dulcem curis miscet amaritatem.*’

96 *Quaque regis Golgos*] In duobus manuscriptis, *Quique*, ut et Aldus ante impresserat. *Golgos* autem hoc esse legendum loco Petrus Bembs jam diu docuit; et esse hanc Theocriti imitationem, cujus alii versum posuere.

97 *Qualibus incensam jactastis mente puellam Fluctibus*] In manuscriptis omnibus *Qualibet*: itaque veram lectionem desidero.

98 *In flavo saepe hospite suspirantem*] *Pulehro*. *Σξανθόν* Homerus dicit: eodem modo etiam Juvenal. Sat. v. ‘*Et flavi ferro dignus Meleagri Fumet aper.*’ *Corbinellus* non ἀτέχνως hospitem ac suspirare simul positas esse voces putabat, S litteræ frequentia, quasi suspirantes ipsas. Sic Horat. Od. iiii. ‘*Atqui sollicitæ nuntius hospitæ Suspirare Chloen.*’

100 *Quanto saepe magis fulgore expalluit auri*] Idem alibi, ‘*Hospes inaurata pallidior statua.*’ *Gabriel Faërus* legendum putabat, *Quam tum saepe magis*.

102 *Aut mortem oppeteret Theseus*] *Subaudiendum*, ‘*ut:*’ at in manuscriptis omnibus *oppeteret*.

103 *Non ingrata tamen frustra minuscula divis Promittens*] *Munera*, pro *Votis*, et iis rebus omnibus quæ *Dis* offerebantur. Idem alibi, ‘*Quam jucunda mihi munera libet Onyx:*’ incertus Auctor in *Ciri*, ‘*Non accepta piis promittens munera Divis:*’ et ‘*promittere*’ pro *vovere*, ut et *Catullus* hoc loco, et idem ille incertus Auctor: et alibi *Catull.* ‘*Levia pro-*

Delph. et Var. Clas.

tendens brachia pollicita est:’ *Ovid.* hæc eadem dona dixit, ‘*Grata ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis:*’ et in *Met.* vii. ‘*Æmonia matres pro natis dona receptis, Grandævique ferunt patres.*’

104 *Tacito suspendit vota labello*] In manuscriptis duobus pro *suspendit, succedit*. in *Maffei* libro *Succedit*, quod probabile videtur. Ego aut hoc retinendum puto, ut eam multa magno studio novisse intelligamus, aut, pro *Succedit, Suscepit* legendum. in veteribus enim libris, *Sucepfit*, pro *Suscepit*, scribi non numquam solet. Sic in meo veteri libro *Vergilii*, ‘*Sucepfitque ignem foliis.*’

105 *Nam velut in summo quatientem brucchia Tauro*] *Vergil.* eodem genere contentionis usus *Æn.* ii. dixit, ‘*Ac veluti summis antiquam in montibus ornum, Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant Erucere agricolæ certatim, illa usque minatur, Et tremefacta comam concusso vertice nutat, Vulneribus donec paulatim evicta, supremum Congemnit, traxitque jugis avulsa ruinam:*’ et *Electra* apud *Soph.* de occiso *Agamemnone*, *Μήτηρ δ’ ἤ’μη χά κοινολεχῆς Αἰγισθος, ὄπως δρὸν ἰλοσῆμοι, Σχιζουσι κάρα φονίφ πελέκει.* *Taurus*, mons notissimus.

106 *Sudanti cortice*] In manuscriptis duobus, *sudanti corpore*; in uno, *cortice*.

107 *Indomitus turbo contorquens flamine*] *Interponendam* hoc loco distinctionem censeo.

108 *Illa procul radicibus extirpata*] In manuscriptis omnibus, *radicibus exturbata*.

109 *Prona cadit, lateque et cominus omnia frangit*] Hoc vero miuime *Catullinum* esse contendam. In manu enim scriptis duobus est, *lateque cum ejus obvia frangens*: in uno, *lateque ejus obvia frangens*. Ego legendum suspicor, *lute quacunque sibi obvia frangens*: quod est ipsum apertius, et scriptæ

Catull.

lectioni propius. tametsi, sibi, quod posui, a litteris ejus, aliquanto, quam illud, longius discedit. Sed comminisci tamen aptius non potui.

112 *Inde pedem victor multa cum laude reflexit*] In manuscriptis omnibus, ut et Aldus olim impressit, *Inde pedem sospes*.

116 *Sed, quid ego, a primo digressus carmine*] In manuscriptis omnibus, *Sed qui ego in primo*: illud tamen usitatius.

118 *Ut consanguineæ complexum*] Sic etiam in manuscriptis duobus: in uno, *Ut consanguineum complexu*. Legendum opinor, *Ut consanguineum complexum*, pro *Consanguineorum*.

119 *Quæ misera ignaro flet deperdita lecto*] Nec hoc quidem Catullinum, ac γῆσιον est: in manu enim scriptis erat, in aliis, *Quæ misera ignara deperdita lecta*: in aliis, *Quæ misera ignata deperdita lecta*: in aliis, *Quæ misera ignata deperdite lecta*: *ignara* autem in *gnata* duas voces fuisse suspicor; reliqua, quæ desiderantur, nisi inventa restitui non possunt. Uno in manuscripto libro legisse se Faërnus adfirmat, *Quæ misero gnata flet deperdita lectu*. Quod si *ignaro lecto* legeremus, simile id quidem esset ejus, quod alibi, 'Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris.'

120 *Omnibus his Thesci dulcem præferret amorem*] In manuscriptis omnibus, *portaret*, non *præferret*: legendum suspicor, *Omnibus his Thesci dulcem præoptarit amorem*. Erit enim dicendi ratio facilior, atque aptior ad sententiam efficiendam, et a manuscripta lectione non multum dissidens.

122 *Aut ut eam dulci*] Nullo in manuscripto erat *dulci*: itaque aut hoc aut aliud ejusmodi verbum desideratur.

Devictam] In manuscriptis omnibus *devinctam*.

126 *Ac tum præruptos tristem descendere montes*] Ariadna in Epist.

apud Ovid. 'Mons fuit, apparent frutices in vertice rari. Nunc scopulus raucis pendet aquosus aquis. Ascendo, vires animus dabat, atque ita late Æquora prospectu melior alta meo.' In manuscriptis vero omnibus *tristis*, non *tristem*; sed hoc tamen probabilius.

132 *Siccine me patriis abductam per fide ab oris*] In manuscriptis omnibus, pro *abductam, arectam* legebam; idque probabilius videtur.

134 *Siccine discedens neglecto numine Divum*] Sic post, 'Divum ad fallendos numine abusum homines.'

135 *Immemor a devota domum perjuriam portas*] Auctor incertus in Ciri, 'portare luctum' sic dixit, 'Aut amor insanæ luctum portavit alumnæ.'

137 *Tibi nulla fuit clementia prædo*] In manuscriptis omnibus non *prædo* sed *præsto*; idque sequendum iudico.

138 *Ut nostri vellet miserescere pectus*] In omnibus manuscriptis, *miserescere*, non *miserescere*; sed hoc tamen probabilius.

139 *At non hæc quondam blanda promissa dedisti Voce mihi*] In manuscriptis omnibus non *blanda*, sed *vobis*. Legendum forte, *At non hæc quondam, non hæc promissa dedisti Voce mihi*: quo nihil omnino propius manuscripto reperire potui; ut aliqua ex eo sententia elici, et constare posset.

140 *Non hoc miserum sperare jubebas*] Prave in manuscriptis *Nec hoc miseræ sperare jubebas*. Verbo 'jubere' sic ante est usus, 'Certe tute jubebas animam tradere me.'

141 *Sed connubia læta, sed optatos Hymenæos*] Non hoc quoque non imitatus videtur Vergilius Æn. iv. Numerus quidem certe idem apud ipsum, et similia verba, 'Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos.'

143 *Tum jam nulla viro juranti femina credat*] Legendum forte, *Nunc jam*: quam lectionem confirmare videntur Ariadnæ verba ipsius apud Ovid. in

Epist. 'Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.' Ant iteremus, *Jam jam*; quod irati solent. Auctor incertus in Ciri, 'Jam jam seclus omnia vincit.'

144 *Nulla viri speret sermones esse fideles*] Oratorie, neminem excipit. Aristot. Rhet. lib. II. καθόλου δὲ μὴ ὄντος, καθόλου εἰπεῖν, ἀρμόττει μάλιστα ἐν σχετλιασμῷ καὶ δεινώσει, καὶ ἐν τούτοις ἢ ἀρχόμενον, ἢ ἀποδείξαντα: In eandem vero sententiam Terent. Andria, 'Ita pol quidem res est ut dixi, Lesbia, Fidelem haud ferne mulieri invenias virum.' Et in Hecyra, 'Perpol quam paucos reperias meretricibus Fideles evēire amatores Syra. Vel hic Pamphilus jurabat quotiens Bacchidi quam sancte, ut quisvis facile posset credere,' &c.

145 *Qui dum aliquid cupiens unicus prægestit apisci*] Ibidem Terent. 'Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit, Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.' *Apisci* autem, pro *Adipisci*, veteres dicebant. Fabius Max. apud Priscian. lib. VIII. 'Amitti magis, quam apisci.' In manuscriptis legitur hic versus hoc modo, *Quis cum aliquid cupiens unicus prægestit apisci. Quis, sermonibus scilicet.*

148 *Dicta nihil metuere*] Is numerus in Vergil. Bucol. III. 'Nil nostri miserere:' et Æn. IV. 'Tecta metu petere, ruunt de montibus amnes.'

149 *In medio versantem turbine liti*] 'Versari' eodem prope modo dicit idem post, 'Ille autem prope jam mediis versatur in undis:' στροφάλλιγα sic propemodum Græci dicunt. Anacreon, Epig. III. Οὔτινα γὰρ τοῖονδε νέων ὀφιλαιάματος Ἄρης Ἡνᾶρισε στρυγερῆς ἐν στροφάλλιγι μάχης.

150 *Potius germanum amittere crevi*] 'Decrevi' Plaut. Cistell. 'Tum antehac te amavi, et mihi amicam esse crevi mea Gymnasium;' et Lucil. Sa-

tyr. lib. V. 'Postquam præsidium castris educere crevit.'

151 *Quam tibi fallaci supremo in tempore deesse*] In manuscriptis omnibus *Deesse*.

153 *Nec injecta tumulabor mortua terra*] In manuscriptis omnibus, pro *injecta, intacta*: illud omnino rectius. Simile, opinor, vitium apud Cic. in libris de Leg. 'Terra facta,' pro 'jacta.'

155 *Quod mare conceptum*] Ante dixit 'mare ferum:' et Tibull. 'natam Is Venerem rapido sentiet esse mari.'

156 *Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax*] In manuscriptis omnibus, *quæ Scylla rapax*.

159 *Prisci præcepta parentis*] Artificiose eodem ab elemento incipientes litteras contexuit; tum Carmen asperavit ipsum de industria vocibus *R.* littera strepitibus.

160 *In vestras*] Σχετλιαστικῶς, ut post docebimus.

161 *Quæ tibi jucundo famularer serva labore*] Quod effugisse se lætatur apud Vergil. Crensa: 'Non ego Myrmidonum sedes Dolopunve superbas Aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo.'

162 *Candida permulcens liquidis vestigiis lymphis*] Hoc ipso in genere eodem est usus verbo apud Gell. lib. II. cap. 26. Pacuvius, 'Cedo tamen pedem lymphis flavis, flavum ut pulverem manibus isdem, quibus Ulixi sæpe permulsi, abluam, lassitudinemque nimiam manuum mollitudine.' Itaque etiam canes, ac feræ suos fetus cum lingunt, 'mulcere' dicuntur. Silius Ital. lib. V. 'Tum clypeum quatit, aspersum quem cædibus olim Celticus ornatat cruor, humentique sub antro, Ceu fetum lupa permulcens puerilia membra Ingentem Asarici cælo nutribat alumnus.' Idem vero Catullus ante tanquam de re liquida, de floribus ipsis dixit, 'Quis

permulsa domus jucundo risit odore: 'manare' enim, ac 'fluere' odores, dicit Lucret.

164 *Id, quod ego ignaris nequicquam conqueror auris*] In manuscriptis duobus, *conquerar*. 'Ignaras auras' sic dicit, ut Cic. 'inanima' quædam 'stolidi' dixit. At Callim. levare quoque dolore adfectos putat, si ignaris etiam auris conquerantur, atque in solitudine. Versus illius apud Stobæum sunt, *Κουφοτέρως τότε φῶτα διαλλβουσιν ἀνῖαι, Ἐκ δὲ τριχόντων μοῖραν ἀφείλεμιαν, ἥ ἔστ' ἐς ἀνδρα συνέμπορον, ἢ ὅτε κωφαῖς Ἄλγεια μὰς ἀβραῖς ἔσχατον ἐξέρρη*. Quibus in versibus tertius mancus apud Stobæum legitur. Et Auctor incertus in Ciri, 'Vos ego, vos adeo venti testator, et auræ.'

165 *Externata malo*] In manuscriptis omnibus *extenuatu*; sed illud probabilius; eodem verbo idem ante usus est, et Ovid. in Ibin, 'Atque aliquid faciās a vespere Solis ad ortus, Cur externati rursus agantur equi.'

Quæ nullis sensibus auctæ] Præditæ. Sic Lucr. lib. III. 'Quin, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam:' et alibi, 'Sic animas introduxerunt sensibus auctas.'

166 *Nec missas audire queunt, aut reddere voces*] Imitatus Vergil. *Æn.* VI. 'datur ora tueri Nate tua, et missas audire, ac reddere voces.'

167 *Prope jam mediis versatur in undis*] Eodem modo etiam Horat. loquitur, 'Et versor civilibus undis.'

169 *Sic nimis insultans*] Uno in manuscripto, *Sed nimis*.

170 *Fors etiam nostris invidit questibus aures*] In manuscriptis, *auris*: quæ vetus est scriptura, pro *aures*.

171 *Utinum nec*] Imitationem Vergilii Macrobius ostendit. In manuscriptis autem omnibus, *Utinum ne* quale illud Ennii, 'Utinum ne in nemore Pelio,' &c.

174 *Perfidus in Cretam religasset*

narita funem] Horat. eodem modo in *Od. I.* 'Sive jactatam religarat ndo Litore navim.' Sed quod in *Cretam* dicit, ita in manuscriptis est, ita dictum fortasse videri possit, ut a Cæsare. 'Naves, quæ erant ad anchoras deligatæ.'

176 *Consilium nostris quasisset sedibus hospes*] Sic uno in manuscripto; in aliis, *requisisset*, sed prave.

177 *Nam quo me referam*] Quo me veram. Admonuit me Jacobus Corbinellus similium *Medeæ* verborum apud Eurip. horum, *Νῦν ποῖ τράπωμαι; πρότερα πρὸς πατρὸς δόμους, Ὅς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμεν; ἥ πρὸς ταλαίνας Πελοπιδάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν Δέξαιτό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον*. Cic. in extrema Oratione pro *Muræna* simili figura est usus orationis; vel eadem potius cum sequentibus.

178 *Isthmoncosne petam montes*] In manuscriptis omnibus, *Ithmoneos*: ex quo alii *Isthmoneos*, alii *Idæos* fecerunt. 'Isthmoneus' a quo dicitur, nescio: certe 'Isthmiæus' a *Statio* aliisque dictum animadverti. Jam quod *Idæos* an *montes* petat, dubitare se dicit, frigidum id quoque. Ego, aliquid ut auderem, legebam, *Immanes ne petam montes*, referoque ad *montes Dixæ* insulæ. Sic vero *Immanes montes* dicit, ut Verg. quoque, 'Immania saxa.' Ejusque insulæ, in qua sit, *montes* intelligendos esse, versus qui sequitur, ut uno in manuscripto est, ostendit; nam, cum aliis in manuscriptis sit, *Discedens Pontum turbulentum ubi dividit æquor*: in illo est, *Discurrens Pontum truculentum ubi claudit æquor*. Ego legendum suspicabar, *A gurgite vasto, Discurrens penitus truculentum ubi clauditur æquor*. 'Claudi' autem intra 'montes' mare ipsum dixit, quod *Νάξον*, ut scribit Dionysii Interpres Eustathius, *ἀμπέλου φύλλω εἰκάζουσι*. In eosque sinus ac recessus influens mare objectu montium laterumque concludi-

tur ac desævit; nam, quod nihil respondet, hoc vero quanti faciendum sit, cum sententiam id nihil impediatur, alii judicent: *truculentum æquor* dixit, ut ante, 'Truculentaque pelagi.'

180 *An patris auxilium sperem*] In epte superiore illo loco Cretam intellexissemus, cum hic patris, qui sit in Creta, meminert, atque eum se potius fugere debere significet.

Quem ne ipsa reliqui] *Ne, παρέλκων*, ut quod sequitur, 'Qui ne fugit,' pro quem, qui. Priscianus valere additum *ne* putat, ad confirmandum; nam lib. xvi. ubi de 'Ne' particula, sic scribit, 'Hæc eadem,' inquit, 'invenitur et pro confirmativa,' ut Horat. ii. Serm. 'O seri studiorum, qui ne putetis, Difficile, et mirum Rhodio quod Pitholeonti Contigit.' Hæc Priscian. Eodem prope modo posuisse Seneca videri potest in Epist. 'Vis' inquit, 'scire quid illa eruerit, quid ne effecerit?' nisi legendum sit, 'quidve.' Et Vergil. Æn. iv. 'Quia ne auxilio juvat ante levatos:' id est, ut interpretantur, re vera. Ex eodem genere videtur esse et illud Terentii, 'Faciunt ne intelligendo, ut nihil intelligent.'

183 *Qui ne fugit lentos incurvans gurgite remos*] In manuscriptis omnibus non *lentos*, sed *ventos*: legendum forte, *rentoso*.

184 *Nulla sola insula tecto*] Similiter Soph. Philoctete, ut putabat Corbinellus, *Τάδ' ἄλλ' ἔρημα, κ' οὐδέν ἐσθ' ἰπόστειρον*.

186 *Nulla fugæ ratio, nulla spes*] Uno in manuscripto, *nulla est spes*.

Ostentant omnia letum] Imitatus Verg. dixit, 'Præsentemque viris intentant omnia mortem.' Plant. Rudente similiter, 'Hic saxa sunt, hic mare sonat nec, quisquam homo venit mihi obviam,' &c.

190 *Quam justam a Divis exposcam prodita multam*] Idem post, 'Supplicium sævis exposcens anxia pœnis.'

191 *Comprecer*] Uno in manuscripto, *conprecer*, quæ sunt veteris scripturæ monumenta.

194 *Exspirantis præportat pectoris iras*] *Πνεῖν* Homericum videtur expressisse.

196 *Quas ego, ve miseræ*] In manuscriptis omnibus, *Ve misera*. Sic Vergil. 'Mantua ve misera nimium vicina Cremonæ:' id est, ve Mantua, &c.

198 *Quæ quoniam veræ nascuntur pectore ab imo*] Lucret. 'Nam veræ voces tum demum pectore ab imo Eliciuntur.' Idque de dolentibus.

199 *Vos nolite pati*] Sic Cic. loquitur pro Milone, 'Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorum reditum esse, quam fuerit ipse discessus.'

200 *Sed, quali solum Theseus me mente reliquit, Tali mente*] Similiter Corn. Tacitus, ut putabat Corbinellus, 'Et huic eam pœnam ea conscientia, qua scelus patravisset.'

204 *Annuet invicto calcstum numine rector*] In manuscriptis duobus *invicto*, non *invicto*; ut Homericum illud expresserit, *Ἐκὼν ἀκοντὶ γε θυμῷ*. Idem ipsum Eurip. *φεύγω τρόπον γε δὴ τιν' οὐχ ἑκὼν, ἐκὼν*.

205 *Quo tunc et tellus, Atque horrida contremuerunt Æquora*] Homericum est, *μέγανδ' ἐλέλιξεν Ὀλυμπον*. Vergil. exprimens dixit, 'Annuet et totum nutu tremefecit Olympum.' Versus utriusque inter se contulit Macrob. Idem Vergilius alibi loquente Jove terram ipsam tremere dixit, 'Ibit: eo dicente, Deum domus alta silescit, Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther, Tum zephyri posuere, premit placida æquora pontus.'

207 *Ipse autem cæca mentis caligine Theseus Consitus*] In manuscriptis omnibus, *mente*: legendum omnino puto, *mentem*, ut sit *Consitus mentem*. Qua de lectione ne dubitandum quidem esse existimo.

211 *Sospitem, et ereptum*] Sic in

Maffei libro: in duobus aliis, *Sospitem erectum*, itaque putant nonnulli legendum, *Sospitem et erectum*.

212 *Namque ferunt, olim classi cum mania Divæ*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis. Pontanus in alieno opere tantum sibi permiserat, ut, quæ non probaret ipse, deleret, sua poneret: itaque pro *classi*, *caste* fecerat: *classi* autem pro *classe* dixit, ut alibi, 'Per medium classi barbara navit Athon:' et Vergil. *Æn.* viii. 'Advectum Æneam classi:' et Sisenna, apud Nonium Marcel. in verbo, 'Centones,' 'Perpetua classi.'

213 *Liqueret et gnatum*] In manuscriptis omnibus *Linqwentem gnatum*.

Concrederet Ægeus] Eodem in genere et Horat. i. Od. 'Navis, quæ tibi creditum Debes Vergilium finibus Atticis:' et Columella in Proæmio lib. i. 'Jamque qui adificare velint, fabros, et architectos advocent, qui navigia mari concredere, gubernandi peritos.'

215 *Gnate, mihi longa jucundior unice vita, Gnate*] Eadem iteratione usus est etiam Vergil. *Æn.* i. 'Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus, Nate, patris summi qui tela Typhæia temnis.'

219 *Languida*] Vel fletu, vel diu inspectando filio.

220 *Lumina sunt gnati cara saturata figura*] In eodem genere Vergilius verbo 'explere' est usus, 'Explerimentem nequit, ægrescitque tuendo:' et Terent. Phormione, 'Oculos pascere:' Tacitus, 'Velata parte oris, ne satiaret aspectum.'

221 *Non ego te gaudens lætanti peccatore mittam*] Uno in manuscriptis, *lætanti corpore*.

224 *Canitiem terra atque infuso pulvere fædans*] Sic Vergil. *Æn.* x. 'Caniciem immundo deformat pulvere:' et *Æn.* xii. 'Canicium immundo perfusam pulvere turpans.'

226 *Nostræque incendia mentis*] *Æs-*

tus animi.

227 *Carbasus obscura dicit ferrugine Ibera*] In manuscriptis duobus dicit: in uno, *deceat*. E priore lectione faciebam, *dictet*; e posteriore, *deceat*, vel *doceat*. 'Ferruginem Iberam' etiam dixit Vergil. in vestibus: 'Et ferrugine clarus Ibera.' Jacobus Corbinellus in Græcorum scriptis mihi legisse affirmavit hæc de velo, quodque reperitur apud Plut. in Theseo: 'Ὁ δὲ Σιμωνίδης οὐ λευκὸν φησιν εἶναι τὸ δοθὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, ἀλλὰ φοινίκιον ἰστίον, ἰγρῶ πεφυρμένον πρὶνὸς ἄνθει ἐριθάλλον· καὶ τοῦτο τῆς σωτηρίας αὐτῶν ποχίσσασθαι σημείον. ἔκυβέρνα δὲ τὴν ναῦν Ἀμαρσῶνδας Φέρεκλος, ὡς φησὶ Σιμωνίδης.'

228 *Quod tibi si sancti concesserit incola Ithyui, Qua nostrum genus, ac sedes defendere sucta, Annuerit, tauri ut respergas sanguine dextram*] In manuscriptis duobus sic leguntur hi versus: *Quod tibi si sancti concesserit incola Ithonis, Quæ nostrum genus, has sedes defendere freti Annuerit, ut tauri respergas sanguine dextram*: in uno, *Quod tibi si tanti concesserit incola Ithini*: et post, *Annuerit ut tauri respersa sanguine dextram*. Cætera sunt eadem, quæ in aliis manuscriptis. Ex quo facile intelligitur, quid quantumque mutaverint nimis ingeniosi homines, et a manuscripta lectione, quam longe abierint. Ego, quam minimum emendans, legebam, *Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni. Quæ nostrum genus has sedes defendere fretis Annuerit, ut tauri respergas sanguine dextram*. Quod si, inquit, Pallas Itonis, quæ nostrum genus, id est, has sedes, nam et patria ipsa sic genus dicitur, auctore Porphyrio, itaque dicimus Πίνδαρον Θηβαίων εἶναι τὸ γένος: ac sic quoque Athenienses: quo maxime gloriabantur, *Αἰθρόχθονας* esse significat. Si Minerva, inquit, *Itonia* fidentibus atque in se spem collocantibus, id enim, *fretis* significat, an-

nuit has sedes defendere, eadem concesserit, et quæ sequuntur. De Itonia Mierva hæc fere reperio: primum apud Apoll. R. Interpretem, 'Ἐν Θεσσαλίᾳ θεὰ Ἰτωνίς τιμᾶται, καὶ ἐν Κορωνείᾳ πόλει τῆς Βοιωτίας, ἀπὸ Ἰτώνου τοῦ ἱερέως. Deinde apud Pausaniam in Laconicis, Ὡς δὲ ἐτράποντο οἱ Βοιωτοὶ καταφεύγουσιν ἄνδρες ἐξ αὐτῶν ἐς ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἐπέκλησιν Ἰτωνίας. Postremo apud Strab. lib. IX. 'Ἡ μὲν οὖν Κορωνεία ἐγγὺς τοῦ Ἐλικῶνός ἐστιν ἐφ' ὕψους ἰδρυμένη· καταλάβοντο δ' αὐτὴν ἐπανιόντες ἐκ τῆς Θετταλικῆς Ἄρης οἱ Βοιωτοὶ μετὰ τὰ Τρωϊκὰ, ὅτε περ καὶ τὸν Ὀρχόμενον ἔσχον· κρατήσαντες δὲ τῆς Κορωνείας ἐν τῷ πρὸ αὐτῆς πεδίῳ, τὸ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἰδρύσαντο, δμῶννον τῷ Θεταλικῷ. De The-salico alibi eodem in libro, 'Ἔστι δὲ καὶ Φερκαδῶν ἐν τῇ Ἰστυαϊῶτιδι, καὶ ῥεῖ δ' αὐτῶν ὁ Πηνειὸς καὶ ὁ Κουράλιος, ὧν ὁ Κουράλιος ῥεῖς παρὰ τὸ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἰς τὸν Πηνειὸν ἐξήσιν. Quo tamen loco prave in impressis, Ἰτωνίας. Urbs enim Ἰθάμη est, non Ἰτώνη. Neque enim, si qua ejus nominis urbs esset, eam Strabo, Pausanias, Stephanus, Interpretes Apoll. R. præterissent; quibus auctoribus templum tantum illud fuisse, et a sacerdote sic etiam dictum constat: id autem, opinor, Ἰτώνιον dicebatur, Latine Itonium: unde est, quod in manuscriptis omnibus legitimus Ithonii per ii. geminum, Ithonis tametsi esse etiam possit. Iton autem nullo modo civitas est intelligenda, sed vel mons, vel campus, de quo Strabo eodem in libro, Θηβῶν δ' ἐν τῇ μεσσηγαίᾳ τὸ Κρόκιον πεδίον πρὸς τῷ καταλήγοντι τῆς Ὀθρουσ, δι' οὗ δ' Ἀμφρυσος ρεῖ ποταμός. τοῦτου δ' ὑπερκέεται ὁ Ἰτων, ἔπου τὸ τῆς Ἰτωνίας ἱερὸν· ἀφ' οὗ καὶ τὸ ἐν τῇ Βοιωτίᾳ, καὶ ὁ Κουράλιος ποταμός. Plutarch. ἐν Ἑρωτικαῖς Διαγήσεσι festum esse dicit totius Bæotiæ Miner-væ Ἰτονία: Ἡ δὲ διασωθεῖσα ἐφύλαξε τὴν τῶν Παμβοιωτιῶν ἑορτὴν, καὶ τότε ἐς Κορωνείαν ἐλθοῦσα ἰκέτης καθίξεται ἐπὶ τῷ βῶμῳ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς. Itaque

sancti dixit Itonii, ut et Vergilius, 'Sancti custos Soractis Apollo.' Incolam eodem modo, quo post, 'Grata Canopitis incola littoribus.'

232 *Hæc vigeant mandata nec ulla obliteret atas*] Tacitus hoc quoque modo loquitur Ann. II. 'Pleraque manent, quædam statim ommissa sunt, aut vetustas obliteravit:' et Hor. II. Od. eodem prope modo, 'Delevit ætas.'

233 *Ut simul ac nostros invisent lumina colles*] In manuscriptis duobus, *simul hæc*: in uno, *simul hic*. quod esse rectius judico: illud alterum, *simul ac*, ut novitium abjudico.

235 *Candidaque intorti sustollant vela rudentes*] Gabriel Faërus sub hunc versum illum subjiciebat, qui Catulli citatur, a Nonio Marcello, 'Lucida qua splendet summi carchesia mali.'

238 *Cum te reducem sors prospera sistet*] In manuscriptis omnibus non *sors*, sed *atas*, legebatur; id est, tempus, dies ipsa.

244 *Cum primum inflati conspexit lintea veli*] Sic erat in Maffei libro; in aliis, *Istanti*: illud rectius.

247 *Sic funesta domus ingressus tecta paterna*] Sic etiam in manuscriptis omnibus. Sed illius probabilis, *paternæ*, non *paterna*, scriptum fuisse.

248 *Quale Minoidi luctum*] Sic omnino esse debet: inscitia tamen libreriorum in manuscriptis erat *Minoida*.

250 *Que tum prospectans*] Novitium hoc quoque in manuscriptis omnibus erat, *Quæ tamen aspectans*. erratum fortasse leviter, et pro *tamen* legendum sit *tantum*.

252 *At parte ex alia florens volitabat Iacchus*] Bacchum in insula Naxo versantem facit. Cujus rei causa e Solini verbis intelligitur: 'Sed Naxos,' inquit, 'Dionysia prius, quam Naxos dicta; vel quia hospita Libero patri, vel quod fertilitate vitium vincat cæteras.' Interpres Arateorum Germanici auget hanc probabilitatem. de Pleiadibus enim hæc scribit, 'Dicit

antem Pherecides Athenæus septem sorores fuisse Lycurgi filias ex Naxo insula, et pro eo, quod Liberum educaverunt, a Jove inter sidera sunt relatæ.' Quod autem Ariadnem quærit Liber, docet idem auctor in signo Coronæ nuptam hanc prius fuisse Libero patri. Sed Plut. Theseo Naxios quosdam narrare scribit Ariadnas fuisse duas, seniore alteram, quæ Libero patri nupserit, juniorem alteram a Theseo raptam, et in Naxo insula relictam. Hanc itaque totam historiam legere est apud eundem Plut. In manu vero scriptis omnibus est, *Ac pater ex alia florens solitabat Iacchus*. Liber pater enim a Poëtis dici solet. *ex alia*: facile intelligitur, *parte* quo modo etiam doceo in Commentationibus in Horat. r. Od. carmen interpretans, 'Nec Martiales hædilia lupos:' Ex 'hædilia' enim, 'hædilia' faciendum esse judicabam. De Iaccho Herod. VIII. et Hermogenis Interpres. a quo etiam verbum 'Iαχχιζειν.

253 *Et Nisigenis Silenis*] Νισαίοις τὸ γένος.

254 *Te quærens Ariadna, tuoque incensus amore*] Δισσόμενος Ἀριάδην. Sic enim brevissime Bion apud Stobæum, Δισσόμενος Γαλάτειαν.

257 *Horum pars tecta quatiabant cuspidè thyrsos*] Hedera involutos.

258 *Pars dirulso*] Omnibus in manuscriptis vestigium superest veteris scriptionis, *Pars e dirulso*.

260 *Obscura cæcis celebrabant Orgia cistis*] *Orgia* etiam Veneris sunt, quod indicat veteris Poëtæ versus apud Hephæstionem *Ἀτ Κυθερίας ἐπιπνεῖτ' Ὀργια λευκωλένου*. De *cistis* vero, et calathis, in quibus sacra reponerentur, adhiberi solitos lego tum in Cereris festo, tum vero etiam in Dionysiis. Cic. de signis, ut Cornelius Fronto in exemplis elocutionum adducit, 'Sacra,' inquit, 'quædam more Atheniensium reposita in capitibus

virginum.' Ea vero sacra Cereri fieri solita, declarat Callim. in Hymno in Cererem, ejusque Interpres, qui tamen, nescio quem secutus, non in capitibus, sed in vehiculo ferri solita scripsit. Aristophanis Interpres morem in Dionysiis fuisse scribit, uti nobiles, primariaeque virgines calathos gestarent aureos, omnium rerum primitiis refertos. *Obscura*: secreta, non vulgo nota. In Junonis etiam festo sacra portare solitas virginæ scribit Ovid. Eleg. lib. III. 'More patrum sancte velatæ vestibus albis Tradita supposito vertice sacra ferunt.' Hæ Καθηφόροι a Græcis dicebantur.

264 *Multaque raucisonos effabant cornua bombos*] In manuscriptis omnibus, *Multi raucisonos*. Dubitandum igitur non est, quin legendum sit, *Multis* dandi casu.

265 *Barbaraque horribili stridebat tibia cantu*] Id est, Phrygia tibia. Sic, cum tres modi tiliarum sint, Ionicus, Lydius, Phrygius, hunc etiam 'barbarum' dici, Acron et Porphyrius tradunt.

269 *Sanctis cæpit decedere Divis*] Legendum forte, *Sanctis cæpit deincepere Divis*.

270 *Hic qualis stultum placidum mare matutino, Horrificans zephyrus proclives incitat undas*] Horrorem hunc undarum Græci dicunt φοικά: sic enim interpretatur Porphyrius in Homerici Quæstionibus: Καὶ ἔστιν ἡ φρεξ κινουμένου τοῦ πνεύματος ἀρχή. Σιμωνίδης δὲ αὐτὴν καὶ δεῖξαι πειρώμενος, οὕτως ἔφη: ἔς ἅλα στίζουσα πνοιά. Homer. II. Δ. alio quidem in genere, eadem contentione est usus: 'Ὦς δ' ἔστ' ἐν αἰγιαλῷ πολυήχει κύμα θαλάσσης Ὀρνυτ' ἐπασσύτερον, Ζεφύρου ὑποκινήσαντος, Πόντη μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Χέρσῳ βηγγύμενον μέγαρα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας Κυρτὸν ἐὼν κορυφῶται, ἀποπτύει δ' ἄλλο ἀχην.

272 *Aurora exoriente*] Sic et Q. Ca-

tullus apud Cic. de Nat. Deor. lib. 1. 'Constiteram, exorientem auroram forte salutans.'

274 *Procedunt, leviterque sonant Plangore cuchia[ni]* 'Cachinnare,' de undis, opinor, etiam dixit Attius in Phœnissis: 'Simul et circum magna sonantibus excita saxi, Sæva sonando cum crepitu clangentes cachinnant.' Æschylus in Prometheus, *ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα*. De auris Plut. quod ad hunc maxime locum pertinet, eodem modo, in libello, cui titulum fecit *ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον*, 'ridere' verbo est usus: *Αἱ δὲ ἡδοναί, καθάπερ αἰραί, πρὸς ἑτέραις ἕτεροι τοῦ σώματος ἕκραις ἐπιγελῶσαι διαχέονται*. Sosicrates apud Athenæum de utroque, *Λεπτὴ δὲ κυρτοῖς ἐγγελῶσα κύμασιν Ἀβρακόρης Χείρωνος ἡσυχῆ ποδῖ*.

275 *Magis magis*] Sic Plant. 'Minus, minusque:' et in Anul. 'Atque illa vero minusque impendio curare.'

276 *Purpureaque procul nantes a luce refulgent*] 'Purpuream lucem' etiam dixit Ovid. in Fastis: 'Lætaque purpurea luce refulsit humus.' 'Nantes undas' ut Catullus, etiam Manilius dixit lib. III. 'Aëraque et terras, flammaque undamque natantem:' 'Purpurascere' etiam undæ commotæ sive remo, sive vento dicuntur. Sic Furius apud Gellium lib. XVIII. cap. 2. 'Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas.'

278 *A se quisque vago passim pede discedebant*] Sic nno in manuscripto: in duobus, *Ad se*. Est autem utrumque probabile; ut vel illos abisse diversos intelligamus, vel ad domos se suas recepisse: quo modo etiam Cic. loquitur lib. IV. Epist. ad Att. 'Tu de via recta in hortos. Videtur commodius ad postridie scilicet:' et de Rep. lib. III. ut quidem citat Nonius, 'Cujus etiam focum Cato ille noster, cum venerat ad se in Sabinos, ut ex ipso audiebamus, visere solebat.' Versus est veteris Poëtæ apud

Hephæstionem, quem prope videtur expressisse Catullus, *Εὐφράνας ἡμᾶς, ἀπόπεμπ' οἰκαδ' ἄλλον ἄλλοσε*. Et ille Homericus in II. Odys. *Οἱ μὲν ἄρ' ἐσκίδναντο ἐὰ πρὸς δῶπαθ' ἕκαστος*. *Ad se* igitur, id est, domum; nam et Donatus in Phormione, Domum, id est, 'ad se' interpretatur: 'discedere' autem pro redire etiam dicebant. Æmilius Probus in Themistocle, 'Cum manere non auderent, et pluiimi hortarentur, ut domos suas discederent, manibusque se defenderent.'

279 *Quorum post abitum*] Eodem verbo etiam Plant. utitur in Cistell. 'Eas si adeas abitum, quam aditum malis.'

Princeps] Primus.

280 *Adrenit Chiron*] Apollonius lib. III. Bibliothecæ venisse etiam Deos ad has nuptias narrat, seil Chironem Pelco tulisse ac donasse hastam e fraxino: *Καὶ δίδωσι Χείρων Πηλεῖ δόρυ μέλινον*.

281 *Quos Thessala magnis Montibus ora creat*] Lucret. lib. V. 'Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat Sponte sua, satis id placabat pectora donum.'

283 *Aura purit flores tepidi secunda Favoni*] 'Genitabilis aura Favoni,' Lucret. et Vergil. Ovid. lib. III. de Arte Amandi; 'Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti Vitis agit gemmas, pigraque fugit hiems.'

285 *Queis permulsa domus jucundo risit odore*] In manuscriptis duobus, *Quot permulsa domus*: in primo, *Quod permulsa*. Legendum putat Faërnus, *Quo*, quod valde probandum; nisi si quis malit *Quot*, id est, 'Quot florum.'

286 *Peneos adit*] Omnibus in manuscriptis, non *adit*, sed *adest*.

Viridantia Tempe] In duobus, *ut viridantia Tempe*; in nno, *ut inundantia Tempe*. Laudo impressam lectionem. Sed forte scriptum fuit, *Undantia Tempe*. Additum deinde a Grammatico, cui id novum videbatur, *ut inun-*

dantia. sic enim et Vergil. in Georg. 'Et juvet unda tamen buxo spectare Cytorum.' *Tempe* vero silvæ sunt, de quibus Vibius Sequester ubi de montibus, 'Penens Thessaliæ, ubi silvæ, quas *Tempe* vocant, hunc *Bebryces* possederunt.' At *Peneum* ipsum fluvium ea flunere, declarat in Hymno in *Delon Callim.* Φεῦγε δὲ καὶ Πηνεῖδος ἐλισσόμενος διὰ Τέμπεων.

288 *Nereidum linquens Claris celebranda chorcis*] In manuscriptis omnibus, *Minosim*, non, *Nereidum*; e quo faciebam, *Musarum*, vel, quod esse propius videtur, *Mnemosynæ*. *Claris* autem, in uno etiam manuscripto; in duobus, *Doris*; e quo faciebam etiam, *Doctis*. *Mnemosynæ* autem 'doctas,' sive 'claras' vocat choreas Musarum, quæ versari nemorosis illis in locis finguntur. Esse enim Musarum parens *Mnemosyne* dicitur. *Celebranda*, frequentanda.

289 *Nonacrios*] Vitiose omnino, legendumque cum *Guarino*, *Non vacuus*. In *Maffei* enim libro erat, *Non acuas*: nihil autem corruptæ veteri lectioni propius fugi potest: aliis in libris, *Nonacies*; et, *Non acies*, unde factum *Nonacrios*; quod huic loco prorsus est alienum. *Æschylus* in 'Ἐπὶ ἐπὶ Θήβαις, sic *Vacuum*, id est, nil ferentem, dixit, cui *Ferentem* opponit, ξυμβολεῖ φέρων φέροντι, καὶ κενὸν καλεῖ. Sic *Attius* apud *Festum*, 'Neque quisquam a telis *vacuus*, sed uti cuique obviam fuerat, ferrum, alius saxum rotundum.'

Atque ille tulit] Omnibus in manuscriptis, *Namque ille tulit*; quod est ipsum valde probandum. *Moschum* autem imitatus videri potest, qui, quæ aleret fluvius, ea ipsum portasse dicit. *Moschi* apud *Stobæum* sunt illa, 'Ἀλφειὸς μετὰ Πίσσαν ἐπὶ κατὰ πόντον ὀδεύη, Ἔρχεται εἰς Ἀρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδαρ, Ἐδνα φέρων κατὰ φύλλα καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱράν.

Radicitus altis Fagos] In veteribus nummis et lapidibus *Silvanum* videre

est, cupressum ferentem radicitus, idque significans *Vergil.* Georg. 1. dixit, 'Et teneram ab radice ferens *Silvane*, cupressum.'

290 *Laurus*] *Accusandi* casu, *vestuste*.

291 *Non sine nutanti platano*] *Enniano* more, cujus ex *Annalibus* versus citatur, 'Et capitibus nutantibus pinus rectosque cupressos:' qui tamen versus tam depravatus corrigi haud ita facile potest. Legendum vero suspicabar, 'Capitibus nutantes pinus rectasque cupressos.'

301 *Unigenamque tuam cultricem montibus Idæ*] In manuscriptis omnibus erat, *Idri* vel *Idri*, ut est in *Maffei* libro; hoc probabilius videtur, id est, veræ propius lectioni: hic enim levissime mutans *Hydræ* faciebam, quæ civitas est *Lydiæ*: auctor *Strabo*. Eo autem tractu fere toto maritimo *Apollo*, ut idem tradit, colebatur. Dicit igitur *Jovem* cum ceteris *Dis* cælo advenisse, sed ab eodem *Jove* *Apollinem*, atque ejus sororem *Dianam* relictos montibus *Hydræ*: in, enim, præpositio nullo in manuscripto legebatur; est autem *montibus*, dandi casus. Sic et *Persius* in *Iambo*, 'Illis relinquo.' *Unigenam* vero 'sororem,' id est, una cum *Phæbo* natam intelligit: quo verbo eodem modo etiam alibi utitur, 'Unigena impellens nutantibus aëra peninis.' Græci simul *Natos didymos* vocant, *Callim.* apud *Hephæstionem*: Δαίμονες εὐνυμότατοι, διδύμων γενάρχαι. *Soph.* *Trachiniis*, ὁμοσπύρους videtur dicere. Sic enim de *Apolline* et *Diana*, *Chorus* apud illum, τὸν εὐφάρετραν Ἀπόλλωνα προστάταν, Ὀμοῦ δὲ καὶ παιᾶνα Ἀνάγεται ὁ παρθένου, Βῶατε τὰν ὁμόσπορον Ἀρτεμῖν Ὀρτυγίαν. *Cultricem* vero absolute, versantem in montibus ac nemorosis in locis. Sic *Vergil.* *Catullum* opinor secutus *Æn.* III. 'Hinc mater *cultrix* *Cybele*.' Sic enim erat in optimo illo admirandæ vetustatis libro. *Servius* tamen mul-

tum laborat, multa comminiscitur; sed, ut mihi quidem videntur, aliena. Dianæ vero montes omnes sacri erant, quod id ea optasset, et a Jove esset precata. Eam enim Callim. Hymno sic loquentem facit, Δὸς δέ μοι ὄβρα πάντα.

308 *His corpus tremulum complectens undique vestis Candida*] Hoc ipso etiam ordine leguntur in manuscriptis, non ut priorem versum sequatur, *Et roseo*, &c. Iisdem in libris pro *vestis*, *questus*. vitiose omnino, quod scriptoris peccatum librarii fuit, *que que*, iterantis. Animadverti autem et apud Catullum, et auctores alios, idem sæpe scriptores peccasse. Opinor sic esse distinguendum, ut priorem versum puncto sistamus, ut *Parcas longa veste amictas fuisse intelligamus; tum sequatur versus alter qui in manuscriptis duobus sic omnino legitur, Candida purpurea tuos intinxerat ora; in uno, Candida purpurea Tyros intinxerat ora: mihi vero legendum videbatur, si quid tamen hoc loco desit, quod vehementer suspicor, Candida purpurea Tyros intertinxerat ora; ut varia usus longa veste intelligamus, vel limbo ipso vario ut candida extrema intertexta purpurea distingueret: 'tingere' vero, et 'intertingere' dicitur 'Tyros,' quod in ea purpura hunc colorem imbibit. Sic Tibullus et 'Tyron' adhibuit eodem in genere, 'Illi certent præbere colores, Africa puniceum, purpureumque Tyros.' ora vero idem, quod Græcis φά. Orphens, sive quisquis alius auctor, in Hymno in *Parcas*, purpureis usus vestibus significat, στείχετε πορφύρεοισι καλυψάμεναι ὀδόνησι. In *Pelei* vero ac *Thetidis* nuptiis cantasse *Parcas* sic finxit, ut olim *Musas* ferunt in *Harmionæ* nuptiis. *Pausan.* in *Arca-*dicis, 'Ἑλλήνων δὲ ἀποδεχομένων ἄσαι Μούσας ἐς τὸν Ἀρμονίας γάμον.*

310 *At roseo niceæ residebant vertice vittæ*] *Plato Πολιτικῶν* lib. x. albis indutas vestibus *Parcas* esse dicit,

Ἄλλας δὲ καθήμενας περὶξ δὲ Ἰσου τρεῖς ἐν θρόνῳ ἐκάστην θυγατέρας τῆς Ἀνάγκης Μοίρας λευχειμνοῦσας, στέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας, κ. τ. λ.

313 *Dextera tum leviter deducens fila supinis*] Eodem modo loquitur etiam *Ovid. Met. iv.* 'E quibus una levi deducens pollice filum.'

314 *Tum, prono in pollice torquens*] Sic enim in manuscriptis.

315 *Libratum tereti versabat turbine fusum*] Eodem in genere verbo eo *Ovid. utitur Met. iv.* 'Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant.'

317 *Lanceaque aridulis hærebant morsa labellis*] Subjectio sub oculo λεπτολόγως. *Morsa* vero dixit, ut et *Mansa* dicuntur.

321 *Pellentes vellera roce*] *Færnus* legebat, *pellentes aëra*. Ego legebam, *pectentis vellera*; nam et *Vergil.* 'Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.'

324 *O decus eximium, et magnis virtutibus augens*] Omnibus in manuscriptis adest *et* particula; itaque legendum, ut vel auctum, vel crescens intelligamus, vel quod augeat.

325 *Emathiae tutamen opis*] Sic enim est in *Maffei* lib. in reliquis, *Emathiae tutamen*: qua vero re augeat, statim significat, addens, *clarissime nato*. tametsi in manuscriptis erat *carissime*, illud probabilius. Sic *Cic. de Offic. lib. iii.* 'Ut enim cæteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus.'

328 *Currite ducentes subtemina, currite fusi*] *Macrob. Saturn. vi.* cum *Catullino* hoc illud *Vergili* confert, 'Talia sæcla suis dixerunt currite fusi.' *subtemina* vero, non *subtegmina* legendum esse, doceo in *Commentationibus* in *Horat.* Incidi post in *vetustissimum Plinii* librum, in quo sic etiam scriptum erat lib. xi. 'Ipso se pondere usus exerere a medio inceptit, circinato orbe subtemine adnectens.'

331 *Quæ tibi flexo animo mentis per-*

fundat amorem] Sic etiam in manuscriptis, *animum mentis*: sic, ut contra alibi, mentem animi. 'perfundere amorem,' dixit, transferens a liquidis. Sic Vergil. *Æn.* i. 'Longumque bibebat amorem:' et *Æn.* viii. 'Ille repente Accepit solitam flammam notusque medullas Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit.' *flexunimo*: μαλακογνώμονι. quo verbo *Æschylus* utitur in *Prometheo*.

332 *Conjungere somnos*] Sic hoc dixit, ut alibi post, 'jungere amores.'

335 *Nulla domus tales unquam contexit amores*] Hic, et qui sequuntur versus tres in manuscriptis duobus non erant, qui tamen legebantur in *Maffei* libro. *contexit* autem, eodem tecto clausit, videntur idem Græci dicere, cum contubernales δημοστέγους dicunt.

339 *Nusceatur vobis expers terroris Achilles*] Μεγαλήτωρ. Idem prope *Thetidi* *Proteum* dixisse, narrat *Ovid.* *Met.* xi. 'Namque senex *Thetidi* *Protheus* prædixerat udæ, Concipe, mater eris juvenis, qui fortibus ausis Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.'

341 *Qui persæpe rago*] Idem numerus apud *Horat.* v. *Od.* 'Qui persæpe cava.'

342 *Flammea prævertet*] Sæpissime ab *Homero* dicitur, πῦδας ὤκως Ἀχιλλεύς.

345 *Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine riri*] In *Maffei* libro erat, *Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine tenen*: hoc extremum emendatum deinde ab eodem scriba librario, *Teucro*. In duobus aliis, *Cum Phrygii tenero manabunt sanguine Teucro*. Legendum forte, *Cum Phrygii teucro manabunt sanguine campi*; vel, *Cum Phrygiæ Teucro manabunt sanguine terræ*; vel, *Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine muri*: nam *riri* legendum nullo modo puto, cum postea dicat, 'Testis erit magnis virtutibus unda *Scamandri*.'

Sunt, qui legant *trunci*.

347 *Perjuri Pelopis vastabit tertius heres*] Tres enim *Pelopis* heredes fuisse, declarat *Homer.* ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων Ἔσθη σκῆπτρον ἔχων, τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι· Αὐτὰρ ἕρα Ζεὺς δῶκε Διάκτορι Ἀργειφόντη· Ἑρμείας δὲ ἀναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ· Αὐτὰρ ὁ αὐτὲ Πέλοψ δῶκ' Ἀτρείϊ ποιμένι λαῶν· Ἀτρεΐς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρν Θυέστη· Αὐτὰρ ὁ αὐτὲ Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λείπε φορῆναι.

349 *Claraque facta*] Ἐπίσημα. *Verg.* *Æn.* vii. 'Hunc decuse tegium formæ movet, atque juventæ; Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.'

351 *Cum tremulo incanos solvent a vertice crines*] In manuscriptis duobus, *Cum in cirium canos*. In uno, *Cum incurtum canos*. Ego vero legendum puto, *Cum incurto incanos solvent a vertice crines*. De industria enim particulam, *In*, ἐπιτατικῶς utrique verbo præposuit.

352 *Putridaque infirmis variabunt pectora palmis*] Ipso planctu, *infirmis*: id est, teneris. Sed uno in manuscripto erat, *Putrida* non *Putrida*: ita vero tansa significat, et livida. Variabunt maculis e plagis et tuisionibus.

354 *Namque velut densas prosternens messor aristas*] Verbum illud, *prosternens*, varie legitur: *præcernens*, in *Maffei* libro; *prateriens*, *praterces*: quibus in omnibus non messor, sed *cultor* legebatur. Ego vero conjecturam faciebam legendum, *præcerpens cultor*. Dicit autem 'cultorem,' colonum.

355 *Sole sub ardenti*] Ut *Vergil.* 'Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.'

356 *Prosternet corpora ferro*] In manuscriptis omnibus *Prosternens*. vitiose.

358 *Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri*] In eandem sententiam *Horat.* 'Testis *Metanrum* flumen.' In *Scamandri*, *S.* elisit Ὀμηρικῶς.

359 *Quæ passim rapido diffunditur*

Hellesponto] Cujusmodi sit Scamandri εἰσβολή, declarat. Rapidum vero Hellespontum dicit, propter angustias.

361 *Alta tepefaciet*] In hujusmodi compositionibus secundam syllabam, et idem post, et Lucretius non semel produxit.

364 *Cum teres excelso coacervatum aggere bustum*] Habet omnino hoc proprium Catullus, ut, quod fit, aut quod factum est, cuiusmodi sit, nar-rando sub oculos subiiciat. *Busta* vero ea figura fuisse, e multis vestigiis Romæ perspicimus. Verg. *Æn.* xi. pro 'excelso,' 'terreno' posuit, 'Regis Doreenii terreno ex aggere bustum.'

368 *Urbis Dardaniæ Neptunia solvere vincla*] Apte utrumque conjunxit, *solvere*, et *vincla*; translatum utrumque; 'solvi' enim dicuntur ædificia, quæ diruuntur. Sic Græci, καταλύειν, dicunt. Atque idem significans Augustus in Carmine de Vergilii *Æneide*, 'Solvetur littera dives:' ac post, 'Tam sacrum solvetur opus.' *Vincla* vero, opera ipsa, quasi texta; hoc enim verbo in eodem genere Callin. in Hymno in Apollinem utitur, Ἀπὸ δὲ θεμελίω φοῖβος ὑφαίνει. Et Theocr. in Ptolomæum, Καὶ οἱ χρυσέος δόμος ἐν Διὸς οἴκῳ Δέδμηται. Et Dominus in Evangelio Johannis, Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. Et Sallust. 'vincire' verbo eodem modo est usus; in descriptione enim carceris Tulliani, 'Atque insuper,' inquit, 'camera lapideis fornicibus vineta.'

369 *Alta Polyxenia madefient cæde sepulchra*] In manuscriptis omnibus *madescent*, non *madescent*. Legendum forte, *madidascent*, vel, *madidascent*, a 'madido,' ut 'madesco,' a 'madeo.' quorum tamen exempla non habeo.

370 *Ancipiti succumbens victima ferro*] Ἀμφιδέξιον, opinor, Græci dicunt, quod utriusque manus sit habile atque aptum. Eurip. Hippolyto, Οὐ σπέυσε; οὐκ οἶσαι τις ἀμφιδέξιον σίδηρον;

378 *Hesternum collum poterit circum-*

dare filo] Hoc e consuetudine positum. Auctor incertus de Derivationibus, qui penes me est, 'Collumbar,' inquit, 'genus vinculi, quod ponitur in collo.' Itaque nescio, an ejusmodi sit, quod significat Catullus. Signa vero adultæ ætatis sunt nares tumidæ, collum robustius. Nemesianus *Ecloga* xi. 'Et tibi jam tumidæ nares, jam fortia colla.'

383 *Talia præfantes quondam*] Sic distinguo: deinde quod reliquum est simul legendum puto.

386 *Sapius et sese mortali ostendere catu*] In manuscriptis duobus *Nereus*; in uno *Hereus*, sine et particula. Legendum forte, *In terris sese et mortali ostendere catu*; aut, *Et vero*. Joannes Baptista Sigicellus Bononiensis, vir Græce Latineque doctissimus, et in conjiciendo sane εἰστοχος, ex *Hereus*, *Heroum* faciebat, sed addebat etiam et particulam, *Heroum et sese mortali ostendere catu*. In eandem sententiam apud Ovid. Janus, 'Tum ego regnabam, patiens cum terra deorum Esset, et humanis numina mixta locis:' et quæ sequuntur apud illum.

388 *Templo in fulgente*] Sic etiam in manuscriptis omnibus. Pontanus fecerat, *a fulgente*; sed illud omnino retinendum. ut *templo in fulgente* anna sibi sacra fieri viderat.

390 *Conspexit terra centum procurrere currus*] In duobus *percurrere*, non *procurrere*: in Maffei libro, *procumbere*: illud rectius: in quam sententiam Vergil. etiam *Georg.* iii. 'Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro, Centum quadrijngos agitabo ad flumina currus.'

393 *Cum Delphi tuta certatim ex urbe rucntes*] *Delphi ex urbe*. In primo *μετανουμία*. Vergil. dixit similiter in *Æn.* iv. 'Totaque ex urbe sequentur.' Idem *Georg.* iv. 'Mane ruunt portis.'

396 *Hera*] Dea domina. Sic alibi, 'Hostia cælestis pacificasset heros.'

399 *Cupida de mente*] Avara. Horat.

‘Qui cupit, aut metuit, liber mihi non erit unquam.’

400 *Perfudere manus fraterno sanguine fratres*] Vergil. imitatus, ‘Gaudent perfusi sanguine fratrum.’

401 *Destitit extinctos natus lugere parentes*] Illi, inquit, magno filii scelere *ἀδάκρυτοι* e vita excessere.

403 *Flore*] Sic Terent. ‘Flos ipse.’ Atque hæc in Catilinam dicta proprie videntur, de quo Sallust. ‘Postremo captus amore Aureliæ Orestillæ, cujus præter formam nihil unquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum ætate; pro certo creditur necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse.’

404 *Ignaro*] Nescienti eum matre se rem habere.

Substernens se impia nato] Horat. hoc in genere verbo ‘subsidiere’ est usus: ‘Juvet ut tygres subsidiere cervis.’

CARMEN LXV.

2 *Sevocat a doctis Ortale virginibus*] Hic ille fortasse est Ortalus, Hortensii nepos, cujus Tacitus et Suetonius meminere. Ille Ann. II. ‘Favorabili,’ inquit, ‘in speciem oratione, vim imperii tenuit, censusque quorundam Senatorum juvit. Quo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali, nobilis juvenis, in paupertate manifesta, superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertium ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur.’ Suetonius Tiberio, ‘Quo pacto,’ inquit, ‘plerosque modestia et pudore deteruit, in quibus Hortalum, Q. Hortensii nepotem, qui permodica re familiari, auctore Augusto, quattuor liberos tulerat.’ Ac, si is quidem non est, ex eadem aliam familiam fuisse oportet, quem, opinor, Gellius Hortensium nominat Poëtam, Catulli, Calvi, Cinnæ et Memmi Poëtarum æqualem, Hortensium scilicet F.

3 *Nec potis est dulcis Musarum expromere factus*] Pæne expressit illud Pindari, Καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν μοισῶν Δόσιν ἀθλοφόροις ἀνδράσι πέμπων, Γλυκὺν καρπὸν φρενὸς ἰλάσσομαι.

4 *Mens animi*] Sic Lucr. in eodem prope genere, ‘Perturbata animi mens in mæiore metuque:’ atque alibi, ‘Denique cur animi nunquam mens, consiliumque Gignitur in capite:’ Horat. I. Epist. ‘tamē istuc mens animusque Fert.’ Idem forte sit apud Aristotelem, ψυχῆς ὁ νοῦς, in libris τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

5 *Lethæo gurgite*] In manuscriptis omnibus, *Lethæi gurgite*.

8 *Ereptum nostris obterit ex oculis*] Sic etiam omnibus in manuscriptis. Guarinus ait quosdam legere, *obtegit pro obterit*. Ego ex *obterit*, faciebam, *obruit*.

9 *Adloquar*] Versus hic nothus: nec enim ullo est in manuscripto, quem confidens homo Catullini loco posuit, eum desiderari illum videret.

10 *Numquam ego te vita frater amabilior Aspiciam posthac*] Sic sæpe Theognis et Callim. in genere Carminum sententiam profert in plures versus. Hæc fere querela in luctu uti homines declarat Philemon apud Stobæum, cujus e verbis hæc sunt, Ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκ ἔτ’ ὕφομαι, Ἀπόλωλεν’ atque eodem prope modo apud Callim. Nympha lamentans, Ἄλλ’ οὐκ ἄελιον πάλιν ὄψαι. ᾧ ἐμὲ δειλάν.

12 *Semper mæsta tua carmina morte canam*] In manuscriptis omnibus non *canam*, sed *legam*: e quo faciendum omnino videtur, *legam*, quod et Aldus ante impressit.

13 *Qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias*] Eodem genere comparationis est usus Verg. Georg. IV. de Orpheo, ‘Qualis populea mærens philomela sub umbra, Amisos queritur fœtus, quos durus arator Observans nido implumes detraxit: at illa Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat, et mæstis

late loca questibus implet: et Ovid. Fast. v. 'Quaecunque ingreditur miseris loca cuncta querelis Implet, ut amissum cum gemit ales Ityn:' in eandem sententiam Soph. Electra, Νήπιος, ὅστις τῶν οἰκτρῶς Οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται. 'Ἄλλ' ἐμέ γ' ἄ σπονδέσσ' ἄραρε φρένας, Ἄ Ἰτυν, αἰὲν Ἰτυν γ' ὀλοφύρεται, Ὅρις ἀτυζομένα, Διὸς ἄγγελος. Et Callim. Iavacro Palladis, 'Ἄ μὴν ἀμφοτέρησι φίλον περὶ παῖδα λαβοῖσα Μήτηρ μὲν γοερῶν οἶτον ἀφρονίδων, Ἄγε βαρὺ κλαίουσα.

14 *Assumpti fata gemens Ityli*] In manuscriptis etiam *assumpti*, legendum tamen videtur *assumpti*: quo modo et Propert. lib. III. 'Increpet absuntum nec sua mater Ityn:' quo modo autem fata Ityli gemat superiora illa Sophoclis declarant. Ityli vero ὑποκοριστικῶς. ut apud Theocr. quoque Ἐρώτυλος.

16 *Battiadæ*] Callimachi. Ovid. Eleg. lib. I. 'Battiades toto semper cantabitur orbe, Quamvis ingenio non valet, arte valet:' Idem Trist. II. 'Nec tibi Battiade nocuit quod sæpe legenti, Delicias versu fassus es ipse tuas:' et in Ibin, 'Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin.' Sic autem a Batto, de quo idem Callimachus in Hymno in Apollinem.

18 *Effluxisse meo forte putes animo*] Sic etiam Propert. 'Id tibi ne vacuo defluat ex animo.'

20 *Procurrit casto virginis e gremio*] Proverbium id olim fuisse Festus docet. Ex eodem genere videtur esse etiam illud Cic. in Epist. ad Brutum, 'Bibulum noli dimittere ex sinu tuo.'

23 *Atque illud prono præceps ugitur decursu*] *Atque* pro statim, mihi positum videtur, ut apud Vergil. 'Atque illum in præceps prono rapit alvens anni.' Vide Gell. lib. X. capite 29.

24 *Hinc manat tristi conscius ore rubor*] Uno in manuscripto, *Hinc manat nitæ conscius ore rubor*. Cur autem 'labi,' et 'manare' pudor

dicatur, satis in commentationibus in Horatium doceo.

CARMEN LXVI.

Unde collegerit, non explicat; hæc autem vir eruditus, ac diligens Arsenius in Collectaneis illis suis ita tradidit, quod sit, Βερονίκης πλόκαμος interpretans, Βερονίκη, γυνή τις ἦν τοῦ ἐν Ἀλεξανδρίᾳ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου καλουμένου τοῦ οὖν ἀνδρὸς αὐτῆς Πτολεμαίου ὕτος ἐν πολέμοις, ἤθετο ὅτι εἰ ὑποστρέψει ἄτρωτος, τῶν πλοκάμων τῶν ἐαυτῆς ἀπόκαρμα ἀναθήσει ἀνάθημα ἐν τῷ ἱερῷ καὶ ἀνέθηκεν ἡ Βερονίκη. Κόνων οὖν τις ἄστρονομος ἦν ἐπὶ τῆς αὐτῆς χρόνων καὶ πρὸς κολακίαν αὐτῆς φησιν, ὅτι οἱ θεοὶ τὸν πλόκαμον τοῦτον ἐν ἄστροις ἀνέθηκαν, καὶ νῦν ἐστὶ τις βοτρωειδῶς θέσις ἄστέρων ἐν τῷ οὐρανῷ, ἧ καλοῦσι πλόκαμον Βερονίκης. Quibus ex verbis intelligimus, inventum illud Cononis fuisse, quod Callim. versibus suis ornarit: propterea credo Manilius tantum hominis tribuit ingenio, ut et Deos faciat. Sic enim in extremo lib. IV. 'Ne dubites homini divinos credere sensus, Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera nomen Majus, et augusto crescit sub principe cælum.' Solinus cap. 29. Berenicem Ptolomæo III. nuptam fuisse tradit. Hyginus lib. II. de Sig. Cælest. Ptolomæi sororem et conjugem illam fuisse dicit, et hujus argumentum elegiæ totum explicat in Leone Signo.

1 *Omnia qui magni despexit lumina mundi*] *Despexit*, etiam in manuscriptis omnibus. Mihi vero legendum videtur, ut et Aldus olim impressit, *despexit*.

Mundi] Τοῦ κόσμου. Sic Lucr. sæpe accepit.

2 *Qui stellarum ortus comperit, atque obitus*] In manuscriptis duobus non *obitus*, sed *habitus*. in uno, *abitus*. Sed quod impressum est rectius videtur.

3 *Flummeus ut rapidi solis nitor obscuretur*] Vergil. 'defectum solis' hunc

dixit, *ἔκλειψεν* videlicet, quam dicunt Græci.

4 *Ut cedunt certis sidera temporibus*] Obeant. Tibull. in eadem sententiam videtur dixisse, 'Annus agit certa lucida signa vice.'

6 *Gyro devocet aërio*] Sic etiam 'gyrum' pro cælesti illa orbita circularum orbisque supernorum posuit Horat. II. Serm. 'seu bruma nivalis Interiore diem gyro trahit.' In manuscriptis tamen erat, *gicodero*, non *gyro*, quod errore librariorum factum est, cum quid verbi *gyrus* esset non intellexerent, et, *de*, principem syllabam verbi *devocet*, geminarunt.

7 *Idem me ille Conon cælesti numine vidit*] Sic etiam erat in manuscriptis iis, quos habebam; in Marcelli Pont. Maximi libro fuerat *munere*: ego legendum suspicabar, *nomine*: nomen autem est id quod sequitur, *E Bereniceo vertice cesariem*, id est, *Βερενικῆς πλόκαμον*. Sic Vergil. 'Navita tum stellis numeros et nomina fecit:' aut si ad Cononem referimus, legendum forte sit, *lumine*: *cælesti lumine*, id est, divina quadam oculorum acie. Versus Callimachi, quos Catullus expressit, aliter a Theone Arati Interprete adducuntur, ambo ut sint heroici, quod scribæ librarii vitium fuisse puto, elegos enim illos Callimachi fuisse nullo modo dubitandum: itaque legendi omnino sunt, quemadmodum illos etiam legit Politianus in Miscellaneis.

9 *Quam multis illa Dearum*] Græce dictum, et forte fuit in Callimachi versu, *ὄν πολλῆσι θεάων*.

10 *Lævia protendens brachia, pollicita est*] Vetus Persii Interpres in illud in prima Satyra, 'Ten' cirratorum,' 'Cirri,' inquit, 'consecrati certis numinibus.' Hunc ipsum vovendi comam consecrandique morem declarat, nisi fallor, Lucan. 'Hic more parentum Iasides thalamos, ubi casta adolesceret ætas Virgineas libare comas, primosque solebat Excusare to-

ros.' Legendum forte, 'Excussare toros.' Quod autem 'brachia' dicit illam 'protendisse,' supplicantium expressit gestum. Sic Ovid. Met. III. 'Nôn habet infelix, quæ tendat brachia, matri:' et Tibul. lib. III. 'Tu modo cum multa brachia tende prece.' Eodem modo Virgil. 'Palmas tendere.' Callim. Hymno in Deloneodem modo, quo Catullus, *ἤνλικα πῆχεις* 'Ἀμφοτέρους ὀρέγουσα.

Pollicita est] Vovit. *Lævia* vero, ad vim boni pertinet. Sic Tibull. 'Cui lævia fulgent Ora:' et Polyphemus apud Ovid. de Galatea, 'Levior ad siduo detritis æquore conchis.'

11 *Qua rex tempestate*] Hoc ipso de genere jam dictum ante, quo etiam usus Propert. lib. IV. dixit, 'Amphytrionyades qua tempestate juvencos,' &c.

Noris auctus Hymenæis] In manuscriptis omnibus, *noro auctus hymenæo*; quod retinendum censeo: quo de genere jam dictum antea: neque Vergil. elisit, 'Et femineo ululatu.'

12 *Vastatum finis ierat Assyrias*] In manuscriptis, *Vastum finis ierat*, et *ierat*. *Vastatum* autem omnino esse debet: *finis* autem, veteri consuetudine scriptum.

14 *Quam de virgineis gesserat exuriis*] 'Rixam gerere,' ut 'bellum gerere' dixit.

15 *Estne noris nuptis odio Venus, anne parentum*] In manuscriptis omnibus, *atque parentum*; quod rectius iudico.

16 *Frustrantur falsis gaudia lacrimulis*] Quas, ut ait Comicus, 'vix vique expresserint.'

17 *Ubertim thalami quas intra linina fundunt*] In manuscriptis duobus, *intra lumina*; in uno *inter lumina*; quod sit fortasse probabilius. 'Ubertim lacrimas fundere,' sic dixit, ut et Cic. 'Flere uberius.' in II. enim Philippica, 'Cum mulier fletet uberius, homo misericors ferre non potuit.'

et Sueton. in C. Caesaris Vita, 'Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere.' *Gaudium* vero sic post, 'Impia derisi gentilis gaudia tollens.'

18 *Non, ita me Divi, vera genuit, juerint*] 'Vera gemere,' Græcorum more dixit: *juerint* autem in manuscriptis, et *jurerunt*. Sed, quod est impressum, rectius; v enim detrahebant etiam ab ejusmodi præterito; cuius rei fidem facit vetus optimæ fidei liber Epist. Cic. quem Petrus Victorius est secutus; nam, cum alibi eodem modo, tum lib. XIII. Epist. ad Servium sic est, 'Id est si T. Manlium quam maxime, quibuscunque rebus honeste, ac pro tua dignitate poteris, ineris atque ornaveris:' et ad Trebatium, 'Aut consolando, aut consilio aut re inero. Sed erat in manuscriptis omnibus, *Non ita me diu, non Divi*. Itaque scriptum fuisse suspicor, *Non ita me Di, ut vera genuit, iuerint*. Et ratio enim ipsa loquendi Latine sic postulat; et librariorum errore apparet esse interpositionem vocis *ut* non intelligentium, e qua cum superiore *diu* fecerunt. Nec abhorret ab hac sane sententia versus Poëtæ veteris apud Senec. Declam. lib. II. 'Felices nuptæ, moriar, nisi nubere dulce est.'

20 *Inrisente nora prælia terra viro*] *Prælium* eodem modo posuit etiam Claudianus in nuptiis Honori et Mariæ, 'Tum victor madido prosilias toro, Nocturni referens vulnera prælii.' Donatus in Eunneho, verba interpretans illa, 'Dabit hic aliquam pugnam denuo,' sic hoc in genere veteres locutos ostendit: 'Pro stupro,' inquit, ut, 'At non in Venerem segnes nocturnaque bella:' ut, 'Veturque bella, et ingens facinus:' ut Lucil. 'Vicinus, o cives, et magnam pugnativum pugnam.' Quod si nulla

Delph. et Var. Clus.

metaphora est, et de præliis in Syria factis loquitur, hæc referantur ad superiorem locum de rixa nocturna.

22 *Sed fratris cari flebile discidium*] Mariti, quod amatorie positum videri possit: Tibull. lib. III. 'Hæc tibi vir quondam, nunc frater, cara Neaira, Mittit:' aut 'fratrem' vocat, quod idem et frater esset et conjux.

23 *Cum penitus mæstas exedit cura medullas*] Homer. etiam *γυνοβόρους μελεδῶνας*. Valer. Flacc. lib. II. Argon. eodem modo, quo Catullus, 'Ac primam Euryomenem, ac proxima limina coni Occupat exesam curis, eastumque cubile Servantem.'

24 *Ut*] Admirantis. Sic nonnumquam Vergil. et Manil. Astronom. lib. V. 'Quæ tua tunc fuerat facies, ut fugit in auras Spiritus, ut toto caruerunt sanguine membra.'

25 *Sensus creptis mens excidit*] Sic Cælius mentem sibi iracundia: tumore ablatam dicit in Epist. lib. VIII. ad Cic. quo in loco in vulgatis libris prave legitur, 'Nam mihi sentio bonam mentem iracundia, et more ablatam.'

Atque ego certe] Legendum omnino, *Atqui*, ut Pontanus legendum censebat. in manuscripto erat, *Atque*.

27 *Anne bonum oblita es facinus*] *Bonum*, pro Pulchro poni, jam diximus.

28 *Quod regium adepta es Conjugium*] In manuscriptis est, *Quam regium adeptus conjugium*. Gabriel Faërnus ingeniose, ex *Quem, Quam* faciebat; quod est valde probabile. Sed vetustissimis in libris, quoscunque mihi videre licuit, *Cum*, illo modo scriptum nusquam vidi.

28 *Quod non fortior auxit avis*] In manuscriptis omnibus, *aut sit alis*: legendum omnino, ut docti viri et legunt et interpretantur, *ausit alis*: *alis* id est, alius. Carisius lib. II. sic etiam locutum Sallustium demonstrat; et idem significare confirmat Diomedes Grammaticus. *quod*, autem ad

Catul.

2 R

facinus referendum. Eodem prope modo Patereulus in posteriore volumine, 'Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum quidquam ausum patratumque fortius.'

29 *Quæ verba locuta es*] Πολὺς λόγους εἶπες.

30 *Juppiter ut tersti lumina saepe manu*] In manuscriptis omnibus non *tersti*, sed *tristi*, id est, trivisti: itaque Suetonius de claris Rhetoribus de Sexto Clodio. Sed locum corruptum, ut hodie vulgo legitur, primum proferam, deinde emendatum a me ponam: 'Male,' inquit, 'oculatus, et dicax paroculorum. In amicitia M. Antonii triumviri extitisse se aiebat.' Quam vero insolens atque abhorrens verbum 'paroculorum;' quam inepte etiam dictum 'extitisse se in amicitia M. Antonii.' In veteri libro paulo melius, 'Male oculatus et dicax, paroculorum in amicitia M. Antonii triumviri extricte se aiebat.' Ego e verbo 'extricte,' faciebam 'extrisce,' id est, extrivisse, ut aperta omnino atque elegans sit horum verborum sententia.

31 *Quis te mutavit tantus Deus*] Magnus omnino. Sic Vergil. *Æn.* i. 'Insideat quantus miseræ Deus.' Eodem prope modo Thôcr. Δυσέρωτι Ἄρα τίς ἐξάπτεας με θεὸς βροτῶν ἄλλον ἔτευξε;

33 *At, quæ tibi pro cunctis, pro dulce conjuge Divis, Non sine taurino sanguine pollicitu es*] *Pro cunctis*, id est, sociis conjugis: vel, *pro cunctis*, id est, palam omnibus, ante omnes: duriusculum fortasse quod *pro*, referamus ad homines; nam interjectio hoc loco esse posse non videtur.

35 *Si reditum tetulisset is haud in tempore longo*] In manuscriptis erat, *Si reditum tetulisset is aut in tempore longo*. Ego et legendum et distinguendum sic puto, *Si reditum tetulisset, is haud in tempore longo*. Sic enim, *haud*, negativa, sequente præsertim verbo, cujus princeps esset vocalis

littera, et librorum vetustissimorum et inscriptionum testimoniis facile possunt probare.

37 *Cælesti reddita catu*] Hoc dandi casu veteres utebantur. *Reddita*, quasi obligata voto: Horat. ii. Od. 'Ergo obligatam redde Jovi dapem.'

39 *Invita o regina tuo de vertice cessi*] Imitatum Vergil. Macrob. opinor, ostendit, cum dixit, 'Invitus regina tuo de litore cessi.' Sic *Æneæ* naves ipsius de seipsis. *Æn.* x. 'Rupinus invitæ tua vincula.'

40 *Adjuro teque tuumque caput*] Sic Verg. *Æn.* iv. 'Testor cara Deos, et te germana, tuumque caput.'

41 *Digna ferat*] Par supplicium sceleri.

42 *Sed qui se ferro postulet esse patrem*] Sic etiam erat in manuscriptis. Et *qui*, id est, quomodo, fere interpretantur, quod tamen parum mihi videtur procedere: itaque legi malim, *Sed quis se ferro postulet esse patrem*. 'Postulare' verbo eodem prope modo Cic. est usus in Epist. ad Brutum, 'Tantum quisque in rep. posse postulat, quantum habet virium:' et de Orat. 'Nam quod tu non poteris, aut nescias, quis nostrum tam impudens est, qui se scire, aut posse postulet?'

43 *Quem maxima in oris*] Sic etiam est in manuscriptis omnibus. Alii legunt, *Quem maximum in oris*, ut et Vergil. *Æn.* vii. similiter de loco, 'Est locus Italiae medio sub montibus altis, Nobilis et tæma multis memoratus in oris.'

44 *Progenies Phthiæ clara supererchitur*] In manuscriptis omnibus *Phitiæ*, quo modo etiam Ovid. Amor. lib. iii. sed priore longa, 'Te quoque promissam Xantho Penæe Mææram Phitiadum terris oculuisse ferunt:' nisi legendum sit, 'Phthiæadum.' De eodem vero monte et Juvenalis, idem significans, dixit, 'Velificatus Athos.' Quod autem, *Dara*, pro *clara*, hoc loco alii legunt, id sine auctore mihi facere videntur.

45 *Cum Medi irrupere novum mare]* In manuscriptis omnibus non *irrupere*, sed *propere*. legendum forte, *pepulere*. Sic ante, 'pellunt vada remis.'

46 *Per medium classi barbara navit Athon]* Cic. de Finibus lib. 11. 'Cum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athone perfosso, maria ambulavisset.' 'Classis' autem etiam de navi una dicitur. Claudian. lib. 11. in Rufinum de Nerxe, 'Cum classibus iret Per scopulos.'

48 *Juppiter ut Χαλύβων]* Sic primus emendavit Politianus, cum in manuscriptis legeretur, *Juppiter ut ceditum*. *Ut*, autem εὐκτικῶς posuit, ut et Horat. 11. Serm. 'O pater, et rex Juppiter, ut pereat positum robigine ferrum:' ac nescio, an sic etiam posuerit Propert. lib. 11. 'His saltem ut teneat jam finibus.' Vide Priscian. lib. xv. 'Similis apud Plautum detestatio, Di illum perdant, qui primus claves invenit.'

49 *Et qui principio sub terra quærere venas Institit]* Venas ferri, quod sequitur. *Institit*: instituit. Afranius in Emancipato, ut quidem adducit Carisius lib. 11. 'Idecirco hæc agere tecum secreto iustiti.' Cic. quoque in Arateis, 'Inde sagittipotens, superas convisere luces Institit.' Eodem Versus principio post utitur ad Manlium, 'Et qui principio nobis,' &c.

51 *Abjunctæ paulo ante comæ mea fata sorores Lugebant]* 'Comas luxisse,' dixit ποιητικῶς ut et 'lacus flere,' Vergilio dicuntur: *comæ sorores* dicuntur etiam, quæ ejusdem capitis fuissent. Sic Ovid. libros ipsos fratres appellat, qui sunt ejusdem auctoris. A Græcis, opinor, eodem modo quoque dicitur τὸ ἀδελφόν.

52 *Cum se Memnonis Æthiopsis Unigena]* Veni ad eum locum, qui esse vel difficilissimus putatur, quo explicando eruditi homines cum satis habuerint negotii, sibi tamen ipsi non satisfaciunt. Ego vero, cum ab illis dissen-

tiam, sedulo scilicet operam dedi, ut novum, ac plane meum quidquid esset, id cum vestigiis scriptæ, quamvis prævæ lectionis, ac probabilium auctorum testimoniis confirmarem. Itaque primum, quam effici volo sententiam, demonstro. Zephyrum Memnonis fratrem sinxerat Callimachus e Venere, ejus fanum in Zephyrio Ægypti promontorio religiose colebatur, missum eo Berenicæ comam Deorum in templo dicatam uti tolleret, ad seque deferret, cui post ipsa locum in astris daret. Nunc hæc sunt probanda singula. Zephyrus frater Memnonis, quod eadem matre, id est, Aurora geniti sint. Aurora namque ventos esse natos scribit Hesiodus, Ἀστράφ δ' Ἡὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην λαιψηροκέλευθον, Καὶ Νότον, ἐν φιλότῃτι θεῶν θεὰ εὐνηθείσα. *Unigena* vero, eadem matre genitum significat, quibus in locis apud Catullum sic ponitur, ne dubitandum quidem existimo. Nunc reliqua interpretans, persequar. Memnonem Æthiopem dicit Pindarus in Olympiis, Ἄουδ τε παῖδ' Αἰθίοπα.

53 *Nutantibus aëra pennis]* Sic etiam erat omnibus in manuscriptis. Ego pro *aëra*, legendum puto, *aëre*. Cic. in Arateo Poëmate, quas Catullus 'nutantes pinnas.' ipse 'tremebundas' dicit, est enim apud illum sic, 'Igniferum mulcens tremebundis aëra pennis.'

54 *Obtulit Arsinoës Chloridos ales equos]* In manuscriptis sic erat: in primo Maffei, *Optulit asineos e loetricos alis equos*. Supra verbum tamen *asineos* eadem manu erat annotatum, aliter, *asineos*: in secundo, *Optulit asinios e loetricos avis equus*: in tertio, *Optulit assyrio elocritos aliis equos*. E qua tanta varietate ac perturbatione vocum numerorumque, verisimilem tamen elicere lectionem conabar, hanc videlicet, *Obtulit Arsinoæ Loetricos alisequos*. Se, inquit, obtulit in Deorum templum, in quo Berenices

erat coma, Zephyrus alisequus, sive, ut paulo post vocat, famulus Veneris Locrus, qui sic a Zephyrio promontorio sive portu Locrorum in Italia dicitur; cuius rei multi omnino auctores sunt, et Eustathius Dionysii Interpres Locrium dici posse significat; scribit enim sic, *Λοκρός μὲν γὰρ διὰ τὸν Λοκρὸν καλεῖται ὁ Ζέφυρος, ὅστις Λοκρικός· κατὰ περ Ἰσμαρικὸς ὁ Βορρᾶς ἐν τοῖς ἐξῆς, ἀπὸ Ἰσμαρὸν πόλεως.* Aut etiam *Locrius* ponamus, quod per Stephanum quoque in verbo *Λόκροι* licet. ‘Alisequum’ autem ventum apte ac venuste dixit, ut pedissequos vocant optimi scriptores, pedibus alios qui sequuntur; et credibile quidem est, par, aut simile huic fuisse verbum Callimachi; nam, quid hic tandem loci habet vox, *equus*. Ac si quis ‘pedissequum,’ et ‘alissequum’ per duo ss scribi debere contendat, licere tamen arbitror Poëtis, alterum demere, quod suo commodo facere possint. Adde, quod in manuscriptis non *ales*, sed *alis*, ut appareat ab imperito scriba librario inscienter ex una duas fuisse factas dictiones: deinde, quod sequitur, *Isque per atherias*, quod de alisequo dictum est, etiam confirmat. Atque ego hoc loco si retinendum de duobus alterum, malim ut legatur, *ules equus*, quam *ales equus*; etenim Zephyrum equitem Euripides in Phœnissis videtur dicere *Ζεφύρου πρῶαῖς ἰππεύσαντος ἐν οὐρανῷ*. At Arsinoë Veneris nomen esse, et Strabo docet, et Posidippus illis apud Athen. versibus, *Τοῦτο καὶ ἐν ποταμῷ καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς Φιλαδέλφου Κύπριδος ἰλάσκεισθ' ἱερὸν Ἀρσινόης*. ‘*Ἦν ἀνακοιρανέουσιν ἐπὶ Ζεφυρήϊδος ἀκτῆς Πρῶτος ὁ ναύαρχος θήκατο Καλλικράτης.* ‘*Ἡ δὲ καὶ εὐπλοίην δώσει, καὶ χεῖματι μέσσω Τὸ πλατὺν λιτοσμένον ἐκλιπανεῖ πέλαγος.* Quibus ex versibus eandem in Zephyrio Ægypti coli solitam, intelligimus. Eandem autem Venerem etiam Arsinoëm Zephyritida dictam, ostendunt Hygini verba illa lib. II. in Leone Signo:

‘Sed aliæ septem stellæ ad caudam Leonis in triangulo conlocatæ, quas crines Beronices esse, Conon Samius mathematicus, et Callimachus dicit.’ Cum Ptolomæus Beronicen Ptolomæi et Arsinoës filiam sororem suam duxisset uxorem, et paucis post diebus Asiam oppugnatum profectus esset, visisse Beronicem, si victor Ptolomæus redisset, se detonsuram crinem: quo voto damnatum crinem in Veneris Arsinoës Zephyritidis posuisse templo, eumque postero die non comparnisse. Et Stephani in verbo *Ζεφύριον* illa: ‘*Ἔστι καὶ Ἰταλίας Ζεφύριον, ἀφ' οὗ οἱ Λοκροὶ Ἐπιζεφύριοι ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ' ἧς ἡ Ἀφροδίτη, καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρίτης, ὡς Καλλιμάχος.* In quibus illa sic legenda puto, ‘*Ἀφ' ἧς ἡ Ἀφροδίτη, ἢ καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρίτης, ὡς Καλλιμάχος.* Nam Venerem Arsinoëm dici cum illa, quæ jam supra posui, tum Hygini verba declarant. Et, quoniam Callimachum laudat auctorem Stephanus, dubitandum non est, quin illa apud Callimachum idem fuerit locus, qui est hic a Catullo expressus; itaque hujus loci sententia recte procedet. Chloris autem nihil ad historiam hujus loci pertinet. Qui potest enim? namque Chloris, quæ eadem Flora nominatur, nobile Pompei scortum fuisse dicitur: at annorum inter hæc, et illa Ptolomæi tempora tantum est intervallum, ut Pompeiani scorti meminisse Callimachus nullo modo possit. esse vero Floram sive Chloridem Pompeianam eam, cujus meminit Ovid. Fast. IV. testatur Lactantius his quidem verbis: ‘Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quævisisset, P. R. scripsit heredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suis natalis dies celebraretur, editio ludorum, quos appellabant Floralia. Quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur Deam

finxerunt esse, quæ floribus præset, eamque oportere placari, ut, fruges cum arboribus aut vitibus bene florescerent. Eum colorem secutus in Fastis Poëta, non ignobilem nympham narravit, quæ Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem.

55 *Isque per ætherias me tollens advolat auras*] In manuscriptis omnibus non *auras*, sed *umbras*: at illo modo etiam Vergil. 'Quæ tantum vertice ad auras Ætherias.'

56 *Et Veneris casto conlocat in gremio*] In manuscriptis omnibus, *advolat in gremio*. Sed nec Latine satis, et inepte; cum jam posuerit idem verbum in superiore versu: ego et duobus verbis *adrolat in*, unum facio, *advoluit*; ut sit unius in duas syllabas ἀνάλοσις. Sic alibi, *Condita quin veri pectoris evolam*. O autem extremam verbi *casto* litteram, non elisit, sequente verbo, a vocali incipiente, ut nunquam alibi et Verg. 'in Actæo Aracintho.' 'Castum' vero 'gremium Veneris' dicit, propterea quod Berenice Ptolomæum conjugem amabat: ejus namque 'Veneris castum gremium' intelligit, de qua ante, 'Nil potest sine te Venus, fama quod bona comprobet, commodi capere.'

57 *Ipsa suum Zephyritis eo famulum legerat*] *Zephyritis* Venus ipsa dicitur a promontorio Zephyrio, in quo ejus, opinor, templum fuit. Sic enim eam vocari a loco, vel illi veteris Poëtæ versus apud Athen. lib. xi. ostendunt: Κόγχος ἐγὼ Ζεφυρίτι παλαιότερος, ἀλλὰ σὺ νῦν με Κύπρι Σεληναίης ἀνθεμα πρῶτον ἔχεις, κ. τ. λ. Sic autem 'Zephyritis' a loco, ut eadem Ericina, aliisque nominibus aliis ab locis dicitur. de templo ejus in 'Zephyrio' cum apud alios mentio, tum apud Athen. in Hedili versibus, Ζωροπόται καὶ τοῦτο φίλον Ζεφύρου κατὰ νηόν. Et statim post, Δεῦτε νέοι νηῶ τῷδε παρ'

'Ἀρσινόης. Nisi quis 'Zephyrium' malit intelligere, quod in Ægypto fuit eodem nomine. Quod ut sit, non impedit tamen, quo minus ipsa procedat hujus loci sententia. Cur autem promontorium Zephyrium, cum Zephyrus Λοκρὸς, cur Locri ἐπιζεφύριοι dicantur, Strabo, et Enstathius Interpres Dionysii declarant.

Famulum] Alisequum suum; quod Deam coleret: sic 'famulos' Cybeles dicunt, et Deorum aliorum.

58 *Grata Canopais incola litoribus*] In manuscriptis, *Canopais*: legendum puto, *Canopitis*, sive *Canopiticis*, nisi antepenultima impediatur, quomodo Κραδίτης, et Σιδίτης dicitur; auctore Stephano περὶ Πόλεων. In Ægypto autem quanto opere eadem Dea colebatur, dicere supervacaneum sum arbitratus.

59 *Scilicet in vario*] In manuscriptis omnibus pro *Scilicet in*, in uno, *Hydi*; in duobus *Hidlen ibi*. Ex quo faciebam, *Lumen uti vario, &c.* Sic enim paullo post, 'Uvidalum a fletu cedentem ad templa Deum me Sidus in antiquis Diva novum posuit:' et, 'Virginis et sævi contingens namque leonis Lumina.' At uno in libro vacuus hic locus. Mihi quidem, multa conjicienti, verbum quod prius fuisset, venire in mentem non poterat: e reliquo, *Luen ibi vario*, faciebam, *Juvenile phaos*, adductus Placiadis verbis illis in Glossis, 'Juvenile phaos, semper virens, et nunquam senescens lumen;' ut, si de sole dicamus. Augent hanc quoque probabilitatem verba Verg. Æn. lib. i. 'Lumenque juventæ Purpureum.' Nam Placiades, quod illud a veteribus Poëtis usurpatum legerat, propterea est interpretatus.

In limite cæli] Cæli regiones appellabant 'Limites.' Phavorinus apud Gellium lib. ii. cap. 22. 'Tum Phavorinus,' inquit Gellius, 'ita fabulatus est. Satis, inquit, notum est limites regionesque esse cæli quattuor, Ex-

ortum, occasum, meridiem, septemtrionem.'

66 *Lumina, Callisto juncta Lycaonia*] In manuscriptis quoque *Callisto*. Ego vero disjunctionem a fine verbi *Lycaoniae* tollendam puto, nondum finita sententia.

68 *Qui Vix sero alto mergitur Oceano*] Hæc, et quæ sequuntur, ad δδου et ἀνατολήν pertinent ἡλιακῶν.

70 *Luce autem canæ Tethyi restituo*] In manuscriptis fere omnibus *Lux aut canæ Tethyi restituem*: in uno, *restituum*. Ego legendum puto, *Lux autem canæ Tethyi restituat*. Et hoc loco non esse sistendam sententiam puto, quæ in eo demum versu videtur insistere, 'Afore me a dominæ vertice discernior:' quamquam in Maffei libro in margine neque recente quidem manu, erat scriptum hoc loco sic, 'Deficit;' ut appareat, vaeasse enim locum in libro, quo tum describens librarius uteretur.

71 *Pace tua fari hæc liceat*] In manuscriptis duobus, *Pace tua fari licet hic*: in uno, *Pace tua fari hic liceat*.

72 *Namque ego non ullo vera timore tegam, Non, si me infestis*] In manuscriptis omnibus, *Nec sine infestis*: itaque legendum conjiciebam, *Namque ego nonnullo vera timore tegam Hæc, si me infestis, &c.*

74 *Condita quin veri pectoris eroluam*] In manuscriptis omnibus, *Condita quin vere pectoris evolue*: itaque legendum, *Condita quin vere pectoris eroluam*. Verg. Georg. iv. verbo eodem usus, proferre, et canere significare voluit. Sic enim de Orpheo, 'Flevisse, et gelidis hæc evoluisse sub antris.' In excerptis ex Historiis Sallusti in Epist. ad Cæsarem eodem modo Sallustinus loquitur, 'Vix satis apertum os, aut lingua prompta videtur, quæ dicta pectore evolvat.' In pervetusto autem libro Vaticanæ bibliothecæ sic legebatur hic locus, 'Quam edita pectore evolat.' Ego sic emendandum putabam, 'Vix satis apertum os aut

lingua prompta, quæ meditata pectore evolvat.' Attius apud Nonium, in verbo 'Componere,' 'Composita dicta ex pectore evolvunt suo.' 'Evolvere' sic quoque dixit Statius Thebaid. i. 'Fraternas acies, alteraque regna profanis Decertata oliis, son-tesque evolvere Thebas, Pierins menti calor incidit.' Cic. de Orat. lib. iii. sic accepisse, et aliunde translatum significare videtur. 'Quæ quidem te Crasse vidco,' inquit, 'Cotta, quod nota esse nobis putares sine definitionibus et sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem quæ supra dixi nova vobis esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parvi. Ais autem de rebus sol me ille admonuit ut brevior essem, qui ipse jam præcipitans, me quoque hæc præcipitem pene evolvere cœgit.'

75 *Quam me ulfore semper, Afore*] In manuscriptis *Affore*. Scribendum *Afore* per unum F, a verbo abesse. Sic enim veteres scribebant. *Afore* autem, pro 'abesse' posuit.

77 *Qui cum ego dum virgo quondam fuit omnibus expers Unguentis una millia multa bibi*] Sic etiam erat in manuscriptis, nulla sententia: fuisse puto scriptum, *Qui cum ego dum quondam virgo fuit omnibus expressu Unguentis una millia multa bibi*. Quasi id dicat, multa se millia unguentorum, sive pyxidum, sive balanorum omnibus expressa unguentis inbibisse.

79 *Nunc vos, optato quas junxit lumine tada*] In manuscriptis omnibus, *Quem junxit*, et, *Quem rinxit*: legendum fortasse sit, *Nunc vos, optato queis junxit lumine tada*. Hac sane sententia: Nunc vos; nunc tradite papillas vestris conjugibus queis vos junxit optato tæda lumine, &c.

80 *Non prius*] In manuscriptis omnibus, *Non post*. Sed illud omnino rectius.

81 *Rejecta veste*] In nonnullis manuscriptis, *dejcta veste*: illud proba-

bilis, *Re* vero syllabam produxit, I littera inter vocales duas interjecta; etsi aliter etiam produxit Vergil. Georg. III. 'Reice, ne maculis infuscet vellera pullis.' *Rejecta*, deposita, Vergil. Æn. v. 'duplicem ex humeris rejectit amictum?' et Ovid. Met. x. 'rejeci viridem de corpore vestem.'

82 *Quam jucunda mihi munera libet onyx*] *Onyx*, opinor, a forma marmoream ampullam esse tradunt, in qua pretiosa servarentur unguenta. Horat. iv. Od. 'Nardi parvus onyx eliecit eadum?' et Propert. lib. III. 'Et crocino nares murheus ungat onyx:' et idem alibi: 'Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.'

83 *Vester onyx, casto colitis quæ jure cubili*] Omnibus in manuscriptis non *colitis*, sed vel *quamritis*, vel *queritis*. mihi legendum videbatur, *Vester onyx casto quatitis quæ jure cubile*: ut sic legitimo conjunctos matrimonio significet. 'Quatere' autem sic hoc loco, ut ante, 'Tremulique quassa lecti Argutatio:' et, Nequicquam tacitum cubile clamat.' Et si in legitimis nuptiis videtur obscœnius, 'jus' vero dicit, ut et eodem in genere Vergil. Æn. IV. 'Ante pudor quam te violem, aut tua jura resolvam.' 'Castum' autem 'jus' dicit, ad differentiam rerum juris aliarum. Et 'cubile' hoc ipso in genere eodem modo post dicit, 'Sed pater illius nati violasse cubile Dicitur.'

85 *Illius anra levis bibit et dona inrita pulvis*] In manuscriptis duobus hic versus legitur, *Illius a mala levis bibit dona inrita pulvis*: in alio pro *bibat, bibit*: in tertio, *Illius mala dona levis bibit verita pulvis*: vel, *Illius a mala dona levis bibit inrita pulvis*: ut a sit interjectio sine aspiratione, ut vetustis in libris scriptam semper videmus. Sed ea tamen interjectio commiserantis magis, quam imprecantis esse solet: mutandum fortasse sit in *O*, quod sit optantis. Ovid. Amor. III. simillimum dixit, 'O si

neglecti quisquam Deus ultor amantis, Tam male quæsitâ pulvere mutet opes.' Plato de leg. lib. IV. ab impuris dicit non esse sumenda dona: Παρὰ μαροῦ δῶρα οὐτ' ἀνδρα ἀγαθὸν οὔτε θεὸν ἐστὶ ποτε τόγχε ὄρθον δέχεσθαι.

89 *Dixam Placibus festis luminibus Venerem Sanguinis expertem*] *Festis luminibus*, sacris lucibus, ut Flaccus loquitur. Sic forte Horat. 'Quem tu Melpomene lumine videris Nascentem placido.' Et vetus Poëta apud Cic. Epist. ad Att. lib. VII. 'Si te secundo lumine hic offendero.' Vel sit legendum fortasse *liminibus*: ut festas aras dicunt poëtae; et 'Festa' dicat 'limina' floribus exornata. Sanguinis expertem Venerem dicit, ut *θυσίας ἀναμάτους* significet.

91 *Non rotis esse tuam me*] *Pro rotis* in manuscriptis, et *nostris*, et *vestris*. Pontanus *rotis* fecit, ingeniose id quidem, sed videndum etiam, an *verbis* potius legendum. Noli blandis verbis id Venerem poscere, sed multis omnino donis.

92 *Largis effice muneribus*] Horat. IV. Od. 'Largis muneribus riserit amuli.'

93 *Sidra cur iterent*] Sic etiam in manuscriptis, præterquam in uno pro *cur, cum*: docti homines, sive Pontanus is fuit, sive quis alius, *cur* retinent, quod post alii sunt secuti.

Utinam coma regia fiam] In manuscriptis ut, idque 'Utinam' sunt interpretati: in uno erat, *uter*: fortasse etiam legi possit hoc modo, *Sidra cum intereant, ut tunc coma regia fiam*. Ea sententia, ut, quasi descendens, redeat in reginæ verticem: ut autem sit optantis, idemque sit quod 'utinam' adverbium.

94 *Proximus hydrochoi fulgeat Oarion*] In manuscriptis versus hic legitur eodem modo, præterquam pro, *fulgeat, fulgeret*, et pro *Oarion*, in nonnullis est, *Aorion*: neque vero sum nescius, quæ contra Politiani sententiam dicantur, tum quæ e Mathema-

ticorum scriptis proferantur hoc loco. Ego sat habui, quam manuscriptis in libris reperi lectionem, testari. Atque idem vehementer suspicor, Claudium Rutilium Numantianum, veterem Poëtam, in fine libri primi, quod *Oariona* etiam dixerit, exemplo Catulli fecisse. Sic enim est apud illum, 'Namque procelloso subjungitur Oarioni.' Ut sit hæc, aut hac potior alia sententia: se non laborare quæ quem sortiantur locum sidera, ut remotissimis e locis ad se invicem propius accedant, dum sibi modo in reginæ vertice esse liceat. 'Hydrochoum' pro Aquario dixit etiam Nigidius Figulus: auctor Interpres Phænom. Germanici in Aquario.

CARMEN LXVII.

1 *O Dulci jucunda viro*] Et apud Propertium, credo, janua queri fingitur.

2 *Teque bona Juppiter auctet ope*] Sic Ovid. Fast. 1. 'Hujus et augurium dependet origine verbi, Et quodcumque sua Juppiter auget ope.'

3 *Quamque ferunt rursus voto scripsisse maligno, Postquam es projecto facta marita sene*] Declarat januæ verbis nullo tempore pudicam fuisse dominam, ne tuum quidem, cum Balbo nupta esset, et pudica audiret. Sed in manuscriptis omnibus non *es*, sed *est*, legebatur: deinde, *facta marita*, quam dicit, alienum videtur, cum etiam antea Balbo nupserit, qui illi vir, et ætate parens esset: itaque legendum suspicabar, *Postquam est projecto functa marita sene*. *Projecto* autem, pulso, excusso foras; quamquam in manuscriptis etiam legebatur, *porrecto*. Hæc autem illorum uxor usu fuit.

7 *Dic age, dic nobis*] In manuscriptis, *Dic age de nobis*, et, *Dic age de vobis*. Illud retinendum fortasse sit, aut mutandum leviter, *Dic agedum nobis*.

9 *Non, ita Cæcilio placeam*] In Maffei libro est *plateam*, non *placeam*: le-

gendum credo, *Plateam*. Atque hæc fortasse sit ea puella, de qua ante, 'Ignosco tibi, Sapphica puella, Musa doctior, est enim venuste Magna Cæcilio inchoata mater.'

11 *Nec peccatum a me quisquam potest dicere quidquam*] Sic Cato Orig. lib. v. quisquam, quidquam, 'Quod eorum,' inquit, 'nemo quisquam quidquam mihi ignoturus est.'

12 *Verum isthac potius janitor ipse facit*] Omnia hæc conficta et notha. In manuscriptis enim omnibus, *Verum isti populi janua quid te fecit*: in Maffei libro, *popli quod 'populi' sunt interpretati*. Ego legebam, *Verum istis probri janua quidque facit. quidque pro quidvis, et quidcumque*. Sic Plautus in Mil. 'Mi Herele defregeritis talos post hac quemque in tegulis videritis:' ac post, 'Quemque a milite:' et Cic. in extrema ix. Philip. 'Quaque versus:' id est, quacumque. Probrum autem facere, etiam Cato dixit hoc ipso in genere: sic enim de Dote, 'Vir,' inquit, 'cum divortium fecit, mulieri iudex pro censore est, imperium, quod videtur, habet. Si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur. Si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, damnatur.'

17 *Quod possen*] In manuscriptis omnibus, *Quid possum*; quod aut retinendum, aut mutandum, *Qui possum*.

18 *Nos volumus vobis dicere, ne dubita*] Sic etiam in manuscriptis erat. Sed ineptum omnino videtur, cum multis hæc dictura sit, quod addit, *Ne dubita*. Legendum, opinor, *Nos volumus vobis dicere, nec dubia*. Nam, quod singulari et plurali numero de eodem est usus, id ipsum postea facit, illo loco scilicet, 'Nomine dicentem quos diximus, ut pote quæ mi,' &c.

20 *Namque illam tir prior attigerat*] In manuscriptis omnibus, *Non illam*. Quod retinendum censeo ea sententia: Non vir prior illam attigerat, id est, ante alios omnis; cum ejus pater

filio prior novam nuptam vitiasset.

21 *Languidior tenera cui pendens sicala beta*] Simili usus tralatione Nicander *κορνῆν* mentulam dixit. Et rutabulum eodem modo veteres dixerunt. Festus, 'Rutabulum, a pronuendo igne vocatum, quo panes coquuntur, invenitur etiam positum pro membro virili.' Ac Plautus in Casina gladium eodem modo videtur dicere: 'Dum gladium quæro ne habeat, arripio capulum.' Atque idem antea Catullus similiter, 'Pro telo rigida mea cecidi.'

22 *Numquam se mediam sustulit ad tunicam*] In manuscriptis omnibus, *Numquam se mediam sustulit hanc tunicam*. Legendum, opinor, *Numquam se media sustulit hinc tunica*: id est, ad hanc suam nonnunquam arrexerat.

25 *Ceco flagrabat amore*] In nonnullis manuscriptis, *tecto*. Sed illud probabilius.

26 *Seu quod iners sterili semine natus erat*] Sive quod inertis filii semen esset sterile.

27 *Ne quærendum aliunde foret nervosius illud*] In manuscriptis omnibus, *Et quærendum, unde foret*. Legendum puto, *Et quærendum, unde unde foret nervosius illud*. Sive, inquit, filii semen, quod esset sterile, et quærendum esset illud nervosius, &c.

30 *Qui ipse sui gnati mixxit in gremium*] In uno manuscripto, *immixerit*. *Gremium gnati*, id est, uxoris filii. Horat. II. Serm. Sat. 7. eodem verbo, atque eodem in genere est usus, 'Ditior aut formæ melioris meiat eodem.'

31 *Atqui non solum huic se dicit cognitum habere*] In Maffei libro erat, *Atqui non solum se dicit cognitum habere*: in alio, *sed pro se*: in tertio, *Atqui non solum sed dicit hoc cognitum habere*. Legendum puto, *Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere*.

32 *Brixia Chinæ suppositum in specula*] In manuscriptis omnibus,

suppositum specula. Legendum videtur, et Pontanns censebat, *Brixia Chinæ supposita specula*. Octavius Pontagathus, Brixienis ipse, singulari probitate vir, ac præstante doctriua, consultus a me, nomen ipsum *specula* hodie nullum exstare respondit, at turrim ibi positam vulgo, 'Mirabella' vocari, nomine, ut idem censet, ducto ab specula ipsa, unde longe lateque prospectus pateret.

34 *Veronæ mater amata meæ*] Vel quod esset urbs Brixia vetustior, vel quod inde Veronam coloni multi commigrassent, vel quod esset Cænorum metropolis Brixia, in quibus est Verona.

35 *Sed de Postumii et Corneli narrat amore*] In manuscriptis erat, *Sed de Postumio, et Corneli narrat amore*. Sed illo modo rectius: est enim in Postumio brevis antepenultima. Lucil. apud Non. Marcell. in verbo 'Capulum,' 'Quem illi cum vidissent Hortensius Postumiusque.' *Corneli* autem, antiquorum more, pro 'Cornelii.' Sic Romæ in ea basi, quæ est ad Septimii Imp. Arenæ, triumphis insignem, CORNELI. 7. C. ET, CORNELI. SUCCESSI.

37 *Qui tu isthæc janua nosti*] In manuscriptis omnibus, *quid tu isthæc, &c.* Quod probari possit.

38 *Cui numquam domini limine abesse licet*] Limen foribus imponi dicebatur. Plin. lib. XXXVI. 'Difficillime hoc contingit in limine ipso, quod foribus imponebatur.'

39 *Sed huic suffixa tigillo*] In manuscriptis, *hæc, non huic*: illud rectius. Janna vero sub tigillis est, e quibus etiam parietes. Tibull. lib. II. 'Illi compositis primum docuere tigillis Exignam viridi fronde operire domum.'

40 *Tantum operire soles, aut aperire domum*] Tacitus Ann. III. 'Operiri fores' etiam dixit, nisi aliter legendum sit, 'Dein, multam post noctem,'

inquit, 'egressa cubiculo uxore, operiri fores jussit.'

41 *Sæpe illam auditi furtiva voce loquentem Solam consiliis hæc sua fugitia*] In Maffei libro, *Solam cum conciliis*. In aliis, *Solam cum ancillis*. Ancillis enim libidinum omnium administris uti dominæ fere solent; quod multis Plauti, Tibulli, aliorumque docerem testimoniis, nisi res esset ipsa notissima.

44 *Nec speret linguam esse, nec auriculam*] In manuscriptis omnibus, *Speret nec linguam esse, nec auriculam*. Sed, quo versus staret, Pontanus primum, opinor, fecit *Speraret*. Legendum forte, *Nec linguam speret esse, nec auriculam*.

45 *Præterea ardebat quendam*] Legendum, ut est omnibus in manuscriptis, *addebat*, non *ardebat*.

Quem dicere nolo Nomine] Sic sæpe etiam Vergil. loquitur.

46 *Ne tollat rubra supercilia*] Minitabundus. Quamquam is etiam gestus est hominis impudentis. Eurip. Βούλομαι σ' εἰπεῖν κακῶς εὖ, βραχία, μὴ λαν ἄνω Βλέφαρα πρὸς τὰ ναιδὲς ἀγαγών. Aristoph. in *Lysistrata* dicit, τοξοποιεῖν τὰς ὄφρῦς.

47 *Magnas cui lites intulit olim*] In manuscriptis omnibus, *qui*, non *cui*, Terentius in *Andria*, 'lites sunt inter eos factæ maximæ.'

48 *Fulsum menduci ventre puerperium*] Si manuscriptam lectionem retinemus, erit hæc sententia: *Qui cum nothus esset, et qua volebat matre minime genitus, magnas, ob id credo, lites suscepit. Mendaci ventre sic dixit, ut et Horat. in Epod. 17. 'Tuusque venter Pactumeius, et tuo Cruore rubros obstetrix pannos lavit.'*

CARMEN LXVIII.

1 *Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo*] Sic Vergil. 'Casu concussus acerbo.'

4 *Et a mortis limine restituum*] Simile

quiddam Græci dicere videntur, illis verbis, ἐπὶ γήραος ὀδῶν. Lucret. 'Leti jam limine in ipso:' et Vergil. contra, 'Primoque in limine vitæ.' *Restituere* eodem modo dicit Flaccus in IV. Od. 'Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas.'

5 *Quem neque sancta Venus*] Idem ante, 'Nam sanctæ Veneri, Cupidinique.'

Molli requiescere somno] Μαλακῶ ἕπνῳ: et Ennius, 'Lætantes vino curatos somnus repente In campo passim mollissimus percudit.'

6 *In thalamo calibe*] Soph. Trachiniis idem dixit, 'Ἐνθυμίῳ εὐναῖς τ' ἀναδράτοις.

8 *Cum mens anxia perrigilat*] Sic etiam in manuscriptis: legebam ipse, *Cui mens anxia perrigilat*.

9 *Me quoniam tibi ducis amicum*] In manuscriptis omnibus, *dicis*. Illud probabilius.

10 *Muneraque et musarum hinc petis, et Veneris*] *Musarum munera*, eadem Horat. vocat in II. Epist. ad Augustum, 'Musarum dona:' 'Ad libros, et ad hæc Musarum dona.'

11 *Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Malli*] In manuscriptis, *Manli* et *Manlius*.

13 *Accipe, quis merser fortuna fluctibus*] Sic Horat. 'Adversis rerum immersabilis pndis.'

14 *Dona beata*] Sic Propert. lib. II. 'Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis.'

16 *Jucundum cum ætas florida ver ageret*] Apte et eleganter expressit τὴν ἡβην καὶ τὴν ἀκμὴν. Scleria apud Stobæum dixit, ἡβῆν μετὰ τῶν φίλων. At Callim. etiam 'Ver ætatis' dixisse videtur in Hymno in Delon, Παιδὲς δὲ θέρος τὸ πρῶτον ἰούλων: atque alibi de amore, Κρυπαδίη φιλότης, καὶ μέλιχα δῶρα, καὶ εὐνή, Ἄνθεα τῆς ἡβης γίνεται ἀρκαλία, Ἄνδράσιν ἠδὲ γυναικῶν. Eodem pertinet illud Pericleum apud Arist. Rhet. lib. III. Τὴν νεότητα ἐκ τῆς

πόλεως ἀνηρῆσθαι, ὡς περ τὸ ἔαρ τοῦ ἐναντιοῦ εἰ ἐξαιρεθεῖ: et Pompeius Macer, Παίξεται ὡ νεάι φρένες· ἔστιν ἡμῶν τοῦτ' ἔαρ παντὸς βίου: Ovid. 'Ætatis breve ver.' 'Ver agere' sic dixit, ut et Vergil. 'ver magnus agebat Jupiter.'

Jucundum] Expressit illud Homerici, *χαριεστάτην ἦβην τοῦ ἐπηνήτου*, quo est usus Plato in Protagora.

17 *Non est Dea nescia nostri*] Sic Auctor incertus in Ciri, 'Quod si alio quovis animo jactais amore, Nam te jactari non est Amathusia nostri Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo.'

18 *Quæ dulcem curis miscet amaritiam*] *Curis*, amoribus. Sic Horat. IV. Od. 'amaraque curarum.' Ac de Sappho hoc sumptum videri possit, apud quam, ut adducit Hephæstion *περὶ Αλοικῶν*, sic erat: 'Ἔρως δ' αὐτ' ἐμὸς λυσιμελῆς δονεῖ. Γλυκύπικρον, ἀμάχανον, ἐρπετὸν ἀπήχθετο, κ. τ. λ. Musæus, sive quisquis alius Auctor operis quod exstat, 'Ἦδη καὶ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων. Cic. Epist. ad Att. lib. v. eodem verbo quo Sappho est usus, 'In his,' inquit, 'γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore.' In eandem sententiam Plant. Cistellaria, 'Namque ecaster amor et melle et felle est fecundissimus; Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque aggerit.' et in Pseudolo Callidorus de suis amoribus, 'Nam mihi videor cum ea fabularier Lege, dulce amarumque una nunc miscens mihi.'

21 *Tu mea, tu moriens fregisti comoda*] 'Frangi' sic dicuntur 'comoda' ut et res. Horat. 'Postquam omnis res mea Janum Ad medium fracta est.'

23 *Omnia tecum una perierunt gaudia nostra*] Non dissimile huic videtur illud Vergil. in Bucolicis, 'Heu cadit in quenquam tantum seclus? heu tua nobis Pæne simul tecum solatia rapta, Menalca!' Similiter in

Ἐρωτικῶ: Παντά τοι, ὦ βούτα, ξυγκάτθανε δῶρα τὰ Μοισῶν.

24 *Quæ ius in vita dulcis alebat amor*] Hunc postea versum cum superiore repetit.

28 *Quod hic quisquis de meliore nota Frigida deserto tepefecit membra cubili*] Eo turpe Catullo Veronæ esse jocus Manlius scribebat, quod ad ejus amicam quicumque paulo melior ventitaret, et deserto in Catulli lectulo cubaret. Genere hoc ipso dicendi alia tamen in re usus est Curio in Epist. ad Cic. 'Et Sulpicii,' inquit, 'successori nos de meliore nota commenda.' Sed uno in libro tantum *tepefecit*; in duobus aliis *tepefacit*; atque in Maffei libro supra scriptum, 'vel *tepefactat*.'

30 *Id Manli non est turpe, magis miserum est*] Similiter Cic. Epist. ad Att. lib. III. 'Velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quam ineptam putes:' et in Verrem lib. III. 'Erunt qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed credulissimum tyrannum existinare velint.' At in Oratione pro Roscio conjungens utrumque, 'Videant,' inquit, 'ne turpe miserumque sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, servi nequissimi dominationem ferre posse.' Livius eodem prope modo quo Catullus, 'Neque id queri, quod hostilia ab hoste passi forent, esse enim quædam belli jura, quæ ut facere ita pati sit fas, saxa exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi, misera magis quam indigna patienti esse.'

34 *Illæ domus, illæ mihi sedes*] Ovid. 'Hæc domus, hæc sedes.'

35 *Illic mihi capitur ætas*] Omnibus in manuscriptis, non *mihi*, sed *mea*. Metaphora autem videri possit a fructibus, vel rebus iis, quæ carpando consumuntur, ut lana, quæ et carpitur et diducitur. Sic Vergil. *Æn.* IV.

‘Solane perpetua mœrens carpere juventa?’ et Ovid. de Remed. Amor. 723. ‘Si potes et ceras remove: quid imagine nnta Carperis? hoc peritit Laodamia modo:’ et de Trist. lib. iv. ‘Quæque meæ semper placuerunt otia menti, Carpere, et in studiis molliter esse meis.’ Eodem modo ætatem degere dicimus: est autem temere degere, minuere: auctor Non. Marcell.

36 *Iluc una e multis capsula*] In capsas libros includebant. Horat. i. Serm. ‘beatus Fannius, ultra Delatis capsis et imagine.’

37 *Quod cum ita sit, nolim statuas, me mente maligna Id facere*] In manuscriptis omnibus, non *me*, sed *nos*. *Maligna mente*, parum liberali.

39 *Utriusque petiti*] Sic ‘petitum’ dicitur, ut et ‘datum;’ de quo post. Sed quoniam in manuscriptis nonnullis, *potenti*, in aliis *ptenti* legitur, hoc retinendum censeo.

40 *Ulro ego deferrem*] Eodem modo Cic. loquitur Epist. Fam. lib. iv. ‘Nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit:’ et lib. xiii. ‘Ulro te ad me detulisse putabo.’ Livius quoque lib. iii. ‘Quæ consilii fuerunt, adeo æqua postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint.’

44 *Illius hoc cæca nocte tegat studium*] Sic Horat. iv. Od. ‘Sed omnes inlacrymabiles Urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro.’

46 *Et facite, hæc charta loquatur anus*] In manuscriptis omnibus, non *charta*, sed *certa*. In Maffei tamen libro supra positum, ‘vel *charta*.’ Si *certa* retinemus, interpretemur; Anus docta posteris narret vel *cera*, ut ceratas tabulas intelligamus, in quibus scribebant: itaque nihil adfirmo. Loqui annales, dixit et Macrobianus. Saturn. iii. ‘Sed et multus exercitus, oppidaque hostium Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarum-

que gentium, quas prisca loquuntur annales:’ et Auctor incertus in Ciri, ‘Æternum Sophiæ conjunctum carmine nomen Nostra tuum senibus loqueretur pagina seclis.’ ‘Senibus’ autem ‘sæclis,’ sic dixit et Catullus alibi, ‘Cana sæcula:’ et Claudian. in laude Serenæ uxoris Stilliconis, ‘Antiquos loquitur Musarum pagina reges.’ Philippus in Epigrammate chartas anus eodem modo videtur dicere, Ἡ ποτε Μαιονίδαο Βαθὺ κλέος, οὖνομ’ Ὀμήρου Λήθη γηραλέων ἀρπάζεται σελίδων.

47 *Omnibus inque locis*] Hic versus in manuscriptis non erat: et in omnibus tantum spatii reliquum erat, quantum uni versui capiendi satis esset. Atque in uno annotatum in margine, ‘Deficiebat hoc carmen in exemplo; itaque quicumque legitur versus hoc loco, notus is est.’

48 *Notescatque magis mortuus atque magis*] Eodem verbo atque eadem in sententia Propert. lib. ii. ‘Nec minus hæc nostri notescat fama seplichri.’

50 *Deserto in Malli nomine opus faciat*] Omnibus in manuscriptis, *In deserto ali omnine*: itaque legendum puto, *In deserto aliis nomine opus faciat*.

51 *Duplex Amathuntia*] *Anathusia*, in manuscriptis.

52 *Et in quo me corruerit genere*] Sic etiam erat omnibus in manuscriptis; aut igitur hoc retinendum, aut mutandum fortasse leviter sic, *Et in quo mi corruerit genere*. Ut aut Catullo corruerit, aut Venus ipsam ruerit: active enim etiam Plant. opinor, ‘Ibi me corruere posse aiebas divitias:’ et Vergil. ‘cumulosque ruit male pinguis harenæ.’ Similiter Laberius in Virgine, ut est apud Non. Marcell. in verbo ‘Pelvis,’ ‘Amore cecidi tanquam blatta in pelvim.’ In eodem genere Apoll. R. lib. iii. Ἐκ δ’ ἄρα οἱ κραδίη στήθεων πέσεν. Optima tamen et verissima lectio videtur, *torruerit*, non *corruerit*:

quo verbo idem alibi eodem in genere utitur, 'Cum vesana meas torreret flamma medullas:' et Horat. sæpe. 'Me torret face mutua Thurini Calais filius Orintbi.' 'Si torrere jecur quæris idoneum.'

53 *Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes*] Summum ex amore incendium sic significat. Sic enim Plaut. Asin. 'Nam ni impetro, Regem perdidî, ex amore tantum est homini incendium:' et Polyphemus apud Ovid. Met. XIII. 'Uror enim læsusque exæstuat acrior ignis, Cumque suis videor translata viribus Ætnam Pectore ferre meo.' Sic ille quoque summo se Galatææ amore teneri significat.

54 *Lymphaque in Ceteis Mullia Thermophylis*] Jacobus Taurellus, vir eruditus inprimis, ac diligens, non *Manlia*, vel *Mulia*, sed *Lamia* legendum putabat, a Lamiaco sinu; has enim aquas esse calidas demonstrat Pausanias in Atticis his verbis, Ἄτε τοῦ κόλπου τοῦ Λαμιακοῦ τέλματος πρὸς ταῖς Θερμοπόλεις ὕψος αἴτιον δὲ ἐμοὶ δοκεῖ, τὸ ὕδωρ ταύτῃ τὸ θερμὸν ἐκρέον ἐς τὴν θάλασσαν: quod legendum affirmare aude-rem, si liqueret modo ejus verbi principem syllabam produci, et 'Lamiam,' ut 'Lamiacam,' dici posse. Sed hoc levis, illud e re magis. At 'Malliam' gemino LL, a Maliaco sinn dici, ne id quidem probandum videtur: itaque videndum etiam atque etiam, quid sequi debeamus.

58 *Rivus muscoso prosilit e lapide*] 'Muscosum lapidem' dicit, ut et Horat. 'Musco circumlita saxa.'

59 *De prona præceps est valle volutus*] Syllabarum concursus in verbis, *Valle volutus*, mire cursum aquæ defluentis exprimit.

61 *Dulce viatori lasso in sudore levamen*] In manuscriptis omnibus non *lasso*, sed *basso*; atque in Maffei libro supra verbum *Viatori* scriptum, 'vel *viatorum*.' Itaque legendum opinor,

Dulce viatorum lasso in sudore levamen: ut sic prope 'lassum sudorem' dixerit, ut et 'febris arida' dicitur ab effecto.

62 *Exustos æstus hiulcat agros*] Verg. in Georg. 'Ubi hiulca siti findit canis æstifer arva:' et Auctor Ius in Priapum, 'Agente terra per caniculam rimas.'

63 *Ac veluti nigro*] Omnibus in manuscriptis, *Hic veluti nigri*: in uno autem, *Hic veluti nigro*, &c.

65 *Jam prece Pollucis jam Castoris implorata*] In manuscriptis, *implorante*: legendum fortasse sit, *implorante*. Ea sententia, ut aura secunda venit implorante Castoris et Pollucis opem: nam *implorata prece Castoris*, id est, quod Castorem precemur, utrumque durum atque insolens videtur.

69 *Ad quam communes exerceremus amores*] Sic in Maffei libro; in alio, *exercemus*; in tertio, *nos exercemus amores*. Aut igitur primum illud, aut hoc retinendum; nec enim versus aliter stabit.

70 *Quo mea se molli*] Se atque amicam, Malli domo receptos dicit, ibique inter se amasse.

71 *Intulit*] Propert. lib. I. 'Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro Limine formosos intulit ulla pedes.'

Et trito fulgentem in limine plantam Innixa, arguta constitit in solea] Omnibus in manuscriptis, *constituit solea*: est vero 'constituere' idem nonnunquam quod ponere: ut eam dicat trito in limine pedem posuisse innixa arguta solea. *Arguta*, crepante, sonitum edente. Sic Vergil. 'argutumque nemus pinosque loquentes.' Sin *constitit malis*, id fortasse conjungendum cum verbo *plantam*: nam et 'plantam insistere,' sic Plaut. Casina videtur dicere, apud quem est, 'Institit plantam:' et Propert. lib. II. 'Prosilit in laxa nixa pedem solea.' Turpilius in Demetrio, ut adducit

Nonius Marcell. in verbo 'Primores' similiter, 'Sandalio innixa primoribus digitis.'

75 *Incepta frustra nondum cum sanguine sacra Hostia caelestes conciliasset heros*] In manuscriptis quoque *Incepta* sine diphthongo. Ac fortasse *Incepta*, pro 'non accepto;' ut 'invocatus' apud Horat. id est, non vocatus: *frustra* vero jungendum cum verbo *conciliasset*, vel potius, quod in omnibus manuscriptis legitur, *pacificasset*. In quibus *caelestis* more veterum, non *caelestes*, erat scriptum: *caelestes* autem *heros*, τοὺς οὐρανίους μάκαρας, quod dicit Euripides. Ovidii, opinor, est versus ille, 'Mica salis puri pacificabat heros:' atque hostiam quidem illam intelligit, quam pro salute viri ad Trojam militantis Laodamia Dis immolarat, de qua Ovid. in Epist. Laodamiæ, 'Exentior somno, simulacraque noctis adoro. Nulla caret fumo Thessalis ara meo. Tura damus lacrimasque super, quæ sparsa relucet, Ut solet a fuso surgere flamma mero.' Talis, inquit, in Mallii domum se mea contulit, qualis Laodamia tum, cum primum ad maritum venit, ante, scilicet, quam Trojam ille proficisceretur, ipsa vero absens Deos marito militanti maectatis hostiis, nec litatis, frustra placaret.

77 *Nil mihi tam valde placeat*] Non ego, inquit, si vehementer hujus meæ conjugium concupiscam, Dis invitis quidquam effectum velim. Atque ita significare vult bono omine, et Dis adprobantibus suam sibi junctam fuisse.

79 *Quam jejuna piium desideret aram cruorem, Docta est amisso Laodamia viro*] In manuscriptis duobus, *defeceret*, non *desideret*; in uno *disgeret*. Mutandum puto *defeceret* in *defecerit*, ea sententia, quam supra posui. Nihil prodesse contra Deorum voluntatem sacrificia, nec aræ ipsæ sanguine victimarum utiliter imbuuntur: itaque

fusum sanguinem jejuna deficiunt, ac sacrificantem voto frustrantur: quod exemplo, inquit, suo Laodamia docuit. Sed locus tamen hic etiam atque etiam considerandus.

81 *Conjugis ante coacta novum dimittere collum*] In manuscriptis; in aliis *novit*, pro *novum*; in aliis, *torit*; in aliis, *voluit*; legendum omnino, *novi*: *collum*, autem dixit, opinor, a jugo transferens; vel, complexum sic significat.

84 *Possit ut abrupto rivere conjugio*] Facilius vel absentiam vel mortem viri tulisset, si aliquamdiu suis amoribus illi frui licuisset.

85 *Quod scibant Parcae non longo tempore abesse*] In manuscriptis duobus *abisse*; in uno, *abuisse*, ea fortasse sententia: Quod conjugium non longo abisse tempore sciebant; id est, id non accidisse, ut diuturnum foret. Quod si non placet, priorem lectionem retineamus.

86 *Si miles*] Protesilaus ipse.

88 *Caperat ad sese Troja ciere viros*] *Ad sese* 'contra sese,' 'in sese,' ut Græci πρὸς: *ciere viros*, ad iram impellere, aut, in sese concitare. Verg. 'Ære ciere viros, Martemque accendere cantu:' et Tibull. 'Jam ciet infernas magico stridore catervas.'

89 *Troja nefas, commune sepulchrum Europæ Asiæque*] Propert. 'Olim mirabar quod tanti ad Pergama belli Europæ atque Asiæ cassa puella fuit:' atque alibi, 'Excidium Europæ quæ fuerim, atque Asiæ.' Lucret. de terra, opinor, 'Eadem rerum commune sepulchrum.'

90 *Acerba cinis*] Feminino genere quoque Lucret. lib. iv. 'cinere ut multa latet obrutus ignis.' De quo Caris. Gramm. Sic et 'pulvis' eodem genere Propert. extulit lib. i. 'Sit mihi præcipue pulvis Etrusca dolor.'

91 *Quæ nempe et nostro letum miserabile fratri Adtulit*] In manuscriptis omnibus, *Que veteri id nostro, &c. Le-*

gendum forte, *Quæ veteri nostro, &c.* Sed non ita frater, ut amicus dicitur vetus. Legendum forte, *Quæ veteri domino, et nostro, &c.* ut illud de Priamo intelligatur.

97 *Quem nunc tam longe*] In manuscriptis omnibus *Quæ*. Sed illud probabilis.

98 *Nec prope cognatos compositum cineres*] De mortuis id verbum usurpabant. Lucret. lib. 1. 'Compositis plenæ genuerunt ossibus urnæ:' et Cornel. Tacit. Ann. xvii. 'Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Junium Crispina filia composuere, quæsitis redemptisque capitibus quæ venalia interfectores servaverant:' et Propert. proxime accedens ad hæc Catulli, 'Et mater non justa piæ dare debita terræ, Nec pote cognatos inter humare rogos.'

99 *Sed Troja obscæna, Troja infelice sepulchrum*] Scribendum forte, ut in omnibus manuscriptis, *sepultum: infelice* vero, auferendi casu, vetuste, credo.

100 *Detinet a nostro terra aliena solo*] Manuscripti omnes summo consensu habebant, *Detinet extremo terra aliena solo*. *Extremo*, id est, longinquo. Vergil. 'Extremique hominum Morini:' quamquam hi extremi, quod in ultimis terris. Sed mutandum fortasse leviter, *externo*.

101 *Ad quam cum properans fertur simul undique pubes*] In manuscriptis non *cum*, sed *tum*: et in duobus libris versus mancus, in quibus legitur hoc modo, *Ad quam tum properans fertur undique pubes*; in uno, *Ferretur undique pubes*; quod rejiciendum omnino: itaque verbum deesse suspicor, ac vocem *simul* esse prorsus addititiam atque alienam.

102 *Penetrales*] In manuscriptis more veterum scriptum, *Penetralis*; ut ante, 'cælestis.'

105 *Quo tibi tum casu*] In manuscriptis omnibus, *Quod*: sed illud potius.

107 *Conjugium*] Conjux ipse tuus.

Tanto te absorbens vortice] Etiam hoc loco isdem in libris scriptum erat *vortice*. Atque ita semper esse scribendum, quidquid ea vox significet, pluribus doceo in meis in Horat. Commentationibus. Idque Scipioni Africano placuisse scribit Quintil. lib. 1. Similitudine vero utitur in tenui re maximarum etiam rerum. Sic ante, 'Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes.' Sic autem exprimit eum, quem Græci, opinor, βαθὺν ἔρωτα vocant.

109 *Quale ferunt Graii Peneum prope Cyllenæum*] Eodem modo in manuscriptis. Sed pro *Peneum*, legendum *Pheneum*, quemadmodum Aldus olim impresserat. Est autem *Pheneus* urbs Arcadiæ, quæ, ut scribit Stephanns, κείται ὑπὲρ τὸ ὄρος τῆν Κυλλήνην. Atque idem *Peneum* masculino genere dici tradit.

110 *Siccari emulsa pingue palude solum*] De quo Pausan. Arcadicis multa: idemque affirmat opus id Herculis fuisse Tirynto pulsus ab Euristheo. Alia est Strabonis in extremo octavo libro sententia; id enim terræ motu accidisse scribit. Eum sequitur auctorem Plin. lib. xxxi. 'Terræ quoque,' inquit, 'motus profundunt sorbentque aquas, sicut circa Pheneum Arcadiæ quinquies accidisse constat:' *emulsa* vero dixit, pro 'absorpta,' 'attracta,' 'hausta.' Sic Ennius, ut adducit Priscian. lib. x. 'Mulserat hinc navem compulsam fluctibus Pontus.'

111 *Quod quondam cæsis montis foudisse medullis*] In manuscriptis nonnullis, *fudisse*.

112 *Ausus falsiparens*] Omnibus in manuscriptis, *Audet*, qui modus est in primis historicus: *falsiparens* autem id videtur exprimere, quod Græci dicunt ψευδοπαράρ.

114 *Perculit, imperio deterioris heri*] 'Deterior,' etiam, opinor, Latine dicitur 'Inferior.'

115 *Janua cæli*] Portam cælo tri-

buebant, qua ingrediantur indigetes. Vergil. 'quem super ingens Porta tonat cæli:' et multo ante Ennius, 'Mi soli cæli maxima porta patet.'

116 *Hebe nec longa virginitate forct*] *Hebe* Juventa Latine dicitur: sic enim vertisse videtur Ovid. ex Pont. lib. 1. 'Nectar et Ambrosiam latices, epulasque Deorum Det mihi formosa gnava Juventa manu:' cui Hercules conjux obtigit, ac propterea vetus Poëta apud Hephæstionem de Hercule, Χαῖρ' ἄναξ, ἐτάρε ζῆθεάς μάκαρ Ἥβας.

117 *Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo*] Pausanias et Strabo illa etiam βέρεθρα et βάραθρα vocant. Altum amorem Græci, ut dixi, etiam βαθὺν ἔρωτα dicunt. Theocrit. in Idyllo 111. Ὡς Ἰδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς εἰς βαθὺν ἄλλει' ἔρωτα. Eurip. etiam transfrens ab aquis eodem in genere in Hippolyto 'cor' dixit, Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἦν πολλῆ βῆς.

118 *Quod divum dominum ferre jugum docuit*] In manuscriptis duobus erat, *Qui tuum domitum ferre jugum docuit*: in uno, *Qui tuum dominum ferre jugum docuit*. Legendum inspicor, *Qui tantum indomitum ferre jugum docuit*. Impotentem, inquit, amorem illum tuum fuisse oportet, qui te amoris expertem tantum jugum ferre docuit.

119 *Nam neque tam carum confecto atate parenti*] In Maffei libro legitur hic versus, *Nam nec causa earum confecto atate parenti*; in aliis, *Neque tam causa earum*. Quæ sunt omnia ἀσύστατα. Verbum autem *causa*, huic loco plane est alienum. Ego sic scriptum id verbum in uno reperio, cā, quod *causa* interpretari solent; e quo facile fit verbum alterum *tam*. Legendum igitur eodem quo in vulgatis libris modo.

120 *Una*] Atque eo illi nepos carior; acerbissimus enim parentibus atque avis dolos, si alienos, non liberos ac nepotes relinquunt heredes.

Pindarus, 'Ἄλλ' ὥστε παῖς ἐξ ἀλοχοῦ πατρὶ Ποθεινὸς ἦκοντι νεότατι Τὸ πάλιν ἤδη, μάλα δέ τοι θερμαίνει φιλότατι νόον' Ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον, Θνάσκοντι στρυγέρατος. Serrus autem nepos dicitur, quod, avo jam senio prope confecto, natus sit.

121 *Qui tum dicitis*] Legendum, ut in manuscriptis omnibus, *cum, non tum*.

Vix tandem] Servum enim nepotem dixit.

122 *Nomen testatas intulit in tabulas*] Id est, in testamenti tabulas.

123 *Impia derisi gentilis gaudia tolens, Suscitata et cano vulturium capiti*] Posterior versus in manuscriptis nonnullis legitur hoc modo, *Subcitata cano vulturium capiti*: in aliis, *Suscitata cano vulturium capiti*: in Maffei libro sic erat, *Scuscitata cano vulturium capiti*. Ego nihil adfirmare audeo; in mentem tamen illud venerat, *Se citat a cano vulturium capite*; vel, *Se citat incano vulturium capiti*: id est, 'incitat.' Sic eo verbo veteres usos esse, multis omnino exemplis doceri potest: 'Vulturium' autem dicebatur, qui et Vultur; ac, μεταφορικῶς, qui cujusquam bona involaret. Æmilius Scaurus contra Qu. Cæpionem actione secunda, ut Caris. adducit lib. 1. 'Nefarius vulturium, patriæ parricida.' Cic. in Pisonem, 'Vulturium illius provincie.' Idem in eadem, 'Scaurus, vulturium reip.' Crates quoque adseutores ac meretrices vulturium sive milvis esse similes dixit eandem ob causam; in Græcorum enim sententiis hoc ejus legitur: Κράτης τὰ τῶν πλουσιῶν καὶ ἀσώτων χρήματα ταῖς ἐπὶ τῶν κρημῶν συκαῖς ἐκάζειν ἀφ' ὧν ἄνθρωπον μῆδεν λαμβάνειν, κόρακας δὲ καὶ ἰκτίνους, ὥσπερ παρὰ τούτων ἐταῖρας καὶ κόλακας.

126 *Seu quidquid dicitur improbius*] In manuscriptis, *Qui multo dicitur improbius*: in Maffei libro, *Quæ multo dicitur improbius*; ut illud ad columbam referatur: liberum cuique sit,

utrum sequi malit, dum modo non ignoret, impressam lectionem alienam esse, ac minime Catullinam. At nihil tam improbum in rapiendis osculis fingi potest, quam sunt ipsi columbi. De quo Ovid. Eleg. lib. II. 'Oscula dat cupido blanda columba viro:' et Mæcenas, ut auctor est in lib. XX. Epist. Seneca, 'Labris columbari,' idem significans dixit. iisdem verborum figmentis usus C. Marius apud Gell. lib. XX. cap. 8. dixit in Mimiambis, 'Sinnuque unicam accipere frigidam caldo, Columbatimque labra conserens labris.'

128 *Quantum præcipue multivola est mulier*] Legendum, ut in manuscriptis omnibus, *Quamquam, &c.* Mira, inquit, in amando Laodamiæ fuit constantia, cum mulieres tam sint inconstantes, nec uno unquam contentæ.

131 *Aut nihil: aut paulo cui tu concedere digna, Lux mea se nostrum contulit in gremium*] Sic etiam in manuscriptis, præterquam in uno, in quo non *tu*, sed *tum*. Ego, quoquo modo legatur, nihil aptum video huic sententiæ; nam *paulo* verbum, cui verbo jungemus? deinde, *tum*, qui hic tandem loci habet? Ego *tu* in *plus* mutandum puto, quocumque id modo accidit. Sed nihil tamen adfirmo.

133 *Quam circumcursans huc illuc sæpe Cupido*] In manuscriptis, pro *huc illuc, hinc illinc*; quod sequamur. Similiter Horat. I. Od. de Venere, 'Quam Jocus circumvolat, et Cupido.'

139 *Conjugis in culpa flagravet cotidiana*] In manuscriptis omnibus, vel *flagrantem*, vel *fragrantem*. Nihil autem, quod e re foret, comminisci poteram. Sed deesse tamen verbum unum atque alterum, vehementer suspicabar.

140 *Noscens omnivoli plurima furta Jovis*] Anacreon, quod Jovi Catullus, idem Amori tribuit, apud quem sic est, 'Ἄλλ' οὐ θέλω σνοικεῖν Ἐρωτι παντο-

πέκτρῃ.

141 *Atqui nec divis homines, &c.*] Hic versus erat omnibus in manuscriptis; nec tamen apparet, qua referri eum oporteat, ant quam sit in partem ac sententiam accipiendum. Nisi sit forte in eam, non esse conjugium semper e patris sententia celebrandum. Sic ut semper esse castam necesse sit. Sequitur enim, 'Nec tamen illa mihi dextra deducta paterina,' ut id onus etiam sublatum fuisse significet. De deducendi ritu dictum antea.

145 *Nigra munuscula nocte*] In manuscriptis omnibus non *nigra*, sed *mira*. Miram autem noctem vocat, qua sibi illius frui licuit consuetudine: id enim versus, qui sequitur, significat.

146 *Ipsius ex ipso dempta viri gremio*] Eodem prope modo 'Gremium' videtur antea dixisse, 'Qui ipse sui gnati immixerit in gremium.'

147 *Si nobis id datur unis*] Sic in tribus manuscriptis; in Maffei, si *nobis is datur unis*.

148 *Quo lapide illa diem candidiorem notet*] In tribus libris sic scriptum erat, *Quem lapide illa dies candidiorem notat*: in uno, *Quem lapidem illa dies candidiorem notat*. Ego superiorem et hunc ipsum versus sic legendum suspicabar, ut quam minime possem, longe ab scripta lectione discederem, *Quare illud satis est, si nobis is datur unis, Quom lapide illa diem candidiorem notat*. Hoc, inquit, satis est, si is nobis unis, non item aliis dies datur, eumque diem solidum in amore ac deliciis consumimus, atque eum sibi illa diem ducit felicissimum.

151 *Ne vestrum scabra tangat robiginis nomen*] 'Scabram robiginem' dixit etiam Vergil. in Georg. Catullum, credo, imitatus.

155 *Sitis felices*] Sic idem Vergil. Æn. I. 'Sis felix:' Eurip. in Iphigenia, 'Ὀνάσθε μῦθον, καὶ γένοισθ' εὐδαίμονες.'

Et tua vita] Tui amores. Idem alibi, 'Jucundum mea vita mihi proponis amorem.'

156 *Et domus ipsa, in qua lusimus, et domina*] In manuscriptis verbum, *ipsa* non erat; itaque aut verbum deest unum, aut legendum, *Atque domus in qua lusimus, et domina*. Sæpe enim, *Et*, pro *Atque* et contra, scriptores librarii peccantes fecere, et ultimam syllabam verbi *Domus*, productam interdum nominandi casu nonnunquam legimus. Octavius Pantagathus legebat, *Et domus ipsi in qua, &c.*

157 *Et qui principio nobis dominam dedit, a quo, Sunt prima nobis omnia nata bona*] In manuscriptis sic leguntur hi versus, *Et qui principio nobis terram dedit, aufert, A quo sunt primo omnia nata bona*. At, quæ vera lectio ex his verbis possit existere, non dispicio. Sed qui meus fuerit conatus, et si mihi quidem ipse displicet, non tacebo, *Et qui principio nobis teneram dedit, ac fert*: et illo etiam modo, *Et qui principio nobis teneram dedit, ac fere, &c.* Vel pro *aufert*, legendum *Afer*, ut *Afrum* aliquem eo nomine puellam Catullo et Manlio dedisse intelligamus. Cætera mihi quidem probantur. Concursus enim illius vocalium duarum liberum esse posse, jam antea docui. Erat tamen quibusdam in Ms. non, *nata*, sed *nota*. Sed in nonnullis libris emendatum sic, ut legendum censemus *ac*, pro *bono*, malim equidem *bona*.

CARMEN LXIX.

Hic est, opinor, M. Cælius Rufus de quo Plin. Nat. Hist. lib. vi. c. 49. 'M. Cælius Rufus, et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt. Oratores quidem ambo, sed tamen dispari eventu,' &c. Ad quem post etiam Catullus, 'Rufe mihi frustra, at nequicquam credite, Amice:' atque alibi, 'Cælius Aufilenus, et Quinctius Aufilenam.' Ubique vero summum summum amicum fuisse declarat.

Pro quo extat etiam Cic. Oratio, ac tot ad eum Epistulæ. Egit autem adulescentiam Cælius in summa vitæ licentia. Eundem Cic. in Epist. sæpe Rufum vocat. Nisi si hic alter ille Cælius de quo ante, 'Cæli Lesbia nostra, Lesbia illa.'

3 *Non si illam raræ labefactes munere vestis*] In libris manuscriptis, fere sic legitur: *Nos illa raræ*: in nonnullis, *Nos illa aræ*. conentur alii pravam lectionem meliorem reddere. Propert. lib. iv. de eadem sententia, 'Qui versus, Coa dederit nec munera vestis, Ipsius tibi sit surda sine arte lyra:' in veteribus libris 'sine aëre lyra.'

4 *Aut pelluciduli deliciis lapidis*] In omnibus fere libris, *proluciduli*, quasi procul lucentis.

5 *Lædit te quædam mala fabula*] Eodem modo verbo 'lædere' videtur usus Ovid. Fast. iii. 'Sed lædit ille pulendus amor:' Eurip. in Hippolyto coronato 'mordere' sic videtur dixisse, *Δάκνει σε Θησεῦ μῦθος; ἀλλ' ἐχ' ἤσυχος, τοῦνθένδ' ἀκούσας, ὡς ἂν οἰμώῃη πλέον.*

6 *Valle sub alarum trux habitare caper*] 'Capras,' Horat. alii 'hircum' dicunt, Aristoph. Acharn. *Ὅζων κακὸν τῶν μασχαλῶν πατρὸς τραγασαίου.* 'Vallem' quoque sic transtulit Ansonius in Pædagogum liguritorem, 'De valle femorum intrinsecus paris rugas.'

7 *Nam mala valde est Bestia*] Eodem modo Bion apud Stobæum, *φεῦγε μακρὰν, κακὸν ἐντι τὸ θηριον.*

8 *Nec qui cum bella puella cubet*] Sic sæpe Plaut. loquitur, 'Si hoc impetraro, ut ego cum Casina cubem:' et in Mil. Glor. 'Ne illa fortunata, quæ cum isto cubant.'

9 *Interfice pestem*] Sic 'pestes' dixit Virg. Geo. i. 'Tuum variæ inludunt pestes sæpe exiguus mus,' &c. Atque alibi in colubro, 'Pestis acerba boum.' Itaque ut illæ frumenti pestes, illa boum, ita hæc nasorum.

CARMEN LXX.

2 *Non si se Juppiter ipse petat*] Sic post ad Lesbiam, 'Nec prae me velle tenere Jovem.' Plaut. Casina eadem in sententia, 'Negavi enim ipse me concessurum Jovi, Si is mecum oraret:' et in Pænulo similiter, 'Patru mi, ita me Di amabuunt, ut ego, si sim Juppiter, Jam herele ego illam uxorem ducam, et Junonem extrudam foras:' et Ovid. in Epist. Phædrae ad Hippolytum. 'Si mihi concedat Juno fratremque virumque, Hippolytum videor praepositura Jovi.'

3 *Dicit sed, mulier cupido quod dicit amanti*] Non sine imitatione repetitum videtur verbum *Dicit*. Sic enim Menander, λέγεις, & δὲ λέγεις, ἔνεκα τοῦ λαβεῖν λέγεις. 'Dicere' vero Promittere; et 'Dicta,' Promissa.

4 *In vento et rapida scribere oportet aqua*] Verbum vetus est Graecorum, εἰς ὕδωρ γράφειν. Idem vento, aëre, igni leviolem mulierem esse adfirmant. Staius eodem modo Memoriam dixit madidam, et Fidem profluviam. In Epiclero enim sic posuerat, 'Itane Antipho est iuventus profluvia fide, Itane est immemoris, itane est madida memoria?' At Catullus de Xenarcho sumpsit, cuius illud est, Ὀρκον δ' ἐγὼ γυναικὶς εἰς οἶνον γράφω. Menander de improbis hominibus, Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὄρκον εἰς ὕδωρ γράφε.

CARMEN LXXI.

1 *Si cui jure bono*] Ita olim Aldus edidit, et in nonnullis etiam libris fuisse adfirmant. Eodem vero principio saepe utitur, id est, ab eodem verbo initium ducit, 'Si qua recordanti,' 'Si quidquam mutis,' 'Si quidquam tacito,' 'Si quidquam cupido.'

3 *Vestrum exercet amorem*] Quasi interruptit, et interturbat.

4 *Mirifice est actu nactus utrumque malum*] In Achillis Maffei libro, ita

ut Aldus edidit, *a te, non actu*: quod ipsum placet.

CARMEN LXXII.

4 *Sed pater ut gnatos diligit et generos*] Tibull. in eadem prope sententiam lib. III. 'Hæc tibi vir quondam, nunc frater casta Neæra,' &c.

5 *Nunc te cognovi*] Idem post, *Quod te cognossem bene*.

6 *Multo ita me nec tu vilior, et levior*] Aldus ante impresserat, *Multo ita ne mi tu vilior et levior*. In libris manuscriptis dupliciter legitur, *Multa ita me nec vilior et levior*: et, *Multo ita nec me vilior et levior*: prave utrumque. Placet autem, quod edidit Guarinus, *Multo mi tamen es vilior, et levior*.

7 *Quis potis est? inquis*] In Maffei libro, *Qui potis est*: in aliis, *Qui potis es*: mihi legendum videbatur, *Qui pote sic, inquis*; vel, *Qui potis hoc*. Deinde quod sequitur, *Quod amantem injuria talis*, in libris manuscriptis omnibus, *Quam amantem*: legebam ipse, *Quæ amantem injuria talis*.

8 *Cogat amare magis*] In scriptis libris omnibus, *Cogit*: quo probabilior est superior lectio, *Quæ amantem*. Mihi vero aut simul eum his legendi videbantur, aut statim post hos illi versus, 'Huc est mens deducta tua mea Lesbia culpa, Atque ita se officio perdidit ipsa suo; Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias, nec desistere amare, omnia si facias:' deinde illi: 'Odi, et amo: qua re id faciam, fortasse requiris: Nescio, sed fieri sentio, et exerucior.' Nam, *Quare*, divisum legendum puto, ut et ipsa postulare videtur sententia. Sed, ut illi inter se omnes parte ex omni non colæreant, aptius tamen hoc omnes loco legi videntur. Veniebat etiam illud in mentem mihi, ut superiores illos versus ita legerem, *Qui potis hoc, in quis, quia amantem, &c.* ut prior illa pars cum interrogatione legeretur, posterior responderet: ejusmodi vero oxymoris sive antithesis frequenter

usam Sappho, constat: adducit hos illius versus Hephæstion, Ἐρῶ τε δῆτα, κ' οὐκ ἔρῶ· Καὶ μάλισμαι, κ' οὐ μάλισμαι. Non alieni sunt ab hac sententia veteris Poëtæ versus hi: Ἀργαλέως μοι θυμὸς ἔχει περὶ σοῦ φιλόττηα· Οὐδὲ γὰρ ἔχθαίρειν, οὐδὲ φιλεῖν δύναμαι. Sed, quod Catullus quare illud fieret, se nescire dixit, explicat eleganter Ovid. Eleg. lib. III. 'Nequitiam fugio, fugientem forma reducit. Aversor morum crimina, corpus amo. Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum, Et videor voti nescius esse mei.' Alexand. Aphrodis. in Arist. Top. lib. III. ubi de genere, quomodo speciei genus esse aliquod dijudicabimus, Ἄλλ' οὐδὲ ὁ ἔρως ἐν τῷ φιλεῖν, ἐπεὶ καὶ μισοῦσι ποτε οἱ ἐρῶντες.

CARMEN LXXIII.

1 *Desine de quoquam quidquam bene velle mereri*] Ita erat uno in veteri lib. in aliis pro *quidquam*, et *quisquam*, et *quemquam* legebatur. Legendum fortasse sit *quisquis*.

3 *Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est*] *Est* verbum, nullis in manuscriptis libris erat: ita vero distinguebam, ut prior pars, *Omnia sunt ingrata*, pronuntietur, adfirmeturque posterior, *nihil fecisse benigne*, cum interrogatione, ut subaudiatur verbum 'Oportet;' quasi dicat; Nihil ne cuiquam benigne fecisse oportet. Tum quod sequitur, respondeat: 'Immo etiam tædet,' &c. Quam in sententiam Philotis apud Terentium in Heeyra multa loquitur cum Syra.

3 *Nihil fecisse benigne*] Sic veteres loquebantur. Plaut. Cistel. 'Faciam, facis benigne.' Et in Capt. 'Facis benigne.'

4 *Immo etiam tædet*] In manuscriptis fere omnibus totus hic versus legebatur, *Immo etiam tædet, statque magisque magis*: in uno, *stat magis atque magis*. Guarinius in veteribus libris etiam quomodo Aldus edidit, fuisse testatur. Mihi quidem nihil in men-

tem veniebat, quod aptius judicarem.

6 *Qui me unum, atque unicum amicum habeam*] Unicum, summum, amicum diligimus quos vehementer amamus.

CARMEN LXXIV.

1 *Gellius audierat, patrum objurgare solere*] Hic est ille Gellius, homo impurissimus, quem Cic. pro Sextio tanto opere exagitat. Sunt hæc apud illum: 'An sicubi aderit Gellius, homo et fratre indignus viro clarissimo, atque optimo consule, et ordine equestri, cujus ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit; id erit popolare? est enim homo iste populo R. deditus; nihil vidi magis: qui, cum ejus adolescentia in amplissimis honoribus summi viri, L. Philippi vitrici, florere potuisset, usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset. Deinde, ex impuro adolescente, et petulante, posteaquam rem paternam ab idiotarum deliciis ad philosophorum regulam perduxit, Græculum se, atque otiosum putari voluit, studio literarum se subito dedit, nihil sane a re juvabatur. Anagnostæ, libelli etiam pro vino sæpe oppignerabantur: manebat insaturabile abdomen, copię deficiebant: itaque semper versabatur in spe rerum novarum, otio et tranquillitate reip. consenescebat. Et quæ seditio nunquam fuit in qua non ille princeps? equis seditiosus, cui ille non concitator? cui bene dixit nunquam bono? bene dixit? immo quem fortem et bonum civem non petulantissime est insectatus? qui, ut credo, non libidinis causa, sed ut poplicola videretur, libertinam duxit uxorem. Is de me suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum, in quo tamen est ne ullus cum illo reo, est inimicus, est mens suaviatus.' Quem locum totum eo descripsi, ut postrema hæc verba, quæ vitiosissime omnibus in libris leguntur, miro Octavii Panta-gathi acumine emendata restituta-

que demonstrarem. Sic autem legit vir doctissimus, 'In quo tamen est me ultus, cum illo ore inimicos est meos suaviatus.' Hujus enim sententiæ videntur etiam illa Catulli post in eundem, 'Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella, Hiberna fiant candidiora nive?' Frater autem Gelli hujus fuit L. Gellius: qui cum Q. Arrio prætor a Spartaco acie victus est. Livius in Epitome lib. xcvi. Sed idem tamen Pantagathus illum apud Cic. Gellium tuius patrum fuisse putat, filium consulis illius scilicet, qui est ab Spartaco superatus: qui degener uxorem ipsam patris libertinam amaret, et cum patruus inrumari se vellet, juvenum in mulieres libidinem reprehendebat. Itaque nepos Gellius patruo inrumando silentium imponit, quo libertinæ ipsius amoribus sine querela perfrui posset.

3 *Patruï perdespuit ipsam Uxorem*] Vir eruditus legit *perdespuit*, non *perdespuit*. 'Despere' enim, in obscenis est.

5 *Quod voluit fecit*] *Quod voluit patruus*, sunt qui malunt, *Gellius*.

Nam, quamvis inrumet ipsam Nunc patruum] *Quantumvis patruo sic iuriam faciat, maledictum nullum audiet; et quod uxori pepercerit patruï, et ei silentium obscæne imposuerit. In manuscripto uno pro Nunc, Hunc legebam; idque, opinor, rectius.*

CARMEN LXXV.

4 *Quantum in amore suo ex parte perta mea est*] In manuscriptis omnibus, *in amore tuo*. Sic vero significat τὸν ἔρωτα τὸν ἀμοιβαλῆ, et 'bene mutuis,' ut Flaccus ait, 'Fidum pectus amoribus.' Sed si de Lesbia, non cum Lesbia, loquitur, illud sequendum.

7 *Ut jam nec bene velle queam*] 'Οξύμωρον videtur, quale etiam illud, ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ.

8 *Omnia si facias*] Sic etiam Cratinus apud Polluc. x. Οὐ δύναται πάντα ποιῶσα νεὸς οἶκον λαχεῖν.

CARMEN LXXVI.

5 *Multa paratu manent in longa ætate Catulle, Ex hæc ingrato gaudia amore tibi*] Genus ipsum dicendi, expressum ex Callim. in Lavacro Palladis: ὦ ἐτάρα, τῷ μὴ τι μινύρεο· τῷδε γὰρ ἄλλα τεῦ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῦντι γέρα. Ejusdem prope sententiæ Pindaricum illud, apud Platonem, Ὅς ἂν δικαίως καὶ δόσιως τὸν βίον διαγάγη, γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτιτάλλουσα γηροτρόφος ξυναορεῖ ἐλπίς, & μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ. Hujus me similitudinis admonuit Corbinellus.

9 *Ingratæ perierunt credita menti*] Collocata in hominem ingratum.

11 *Quin te unimo affirmas, teque instingisque reducisque*] In manuscriptis omnibus, *Qui tu animo affirmas, atque instinctoque reducis*. Ego vero conjecturam faciebam sic legendum, *Quin tu animum affirmas atque istinc usque reducis*, quasi si id dicat, *Quin tu animum affirmans*, ab ea cogitatione, et amoribus illis tuis semper abducis. Sic Cic. in 11. Philipp. 'Omnem se amorem abiecisse illinc, atque in hanc trausfudisse.' 'Reducere' autem, pro movere, positum. Sic, 'Vallis reducta,' ab Horat. et Verg. dicta, id est, remota: et Hor. virtutem definiens, 'Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum;' id est, remotum.

12 *Et Dis invitis*] Proverbium fuisse videtur, quo Poëta dixit, 'Heu nihil invitis fas quendam fidere Divis.' Itaque expriment Homericum illud, Ἀέκῃτι θεῶν.

Desinis esse miser] Ovid. Rem. Amor. lib. 11. 'Nec curandus adest, odio qui fuit amorem, Aut amat, aut ægre desinit esse miser.'

16 *Sive id non pote, sive pote*] Sic ante, quod posteritas dixit, 'possibile,' et 'impossibile.' Cic. lib. x. ad Att. 'At deplorandi quidem, quod cotidie facimus, sit jam nobis aut finis omnino si pote est, aut moderatio

quædam, quod profecto pote est.' Sic enim lego.

18 *Extrema jam ipsa in morte*] Vergil. 'Extrema jam in morte parant defendere telis.' 'Extremam' dicunt 'mortem,' quod ea sit 'ultima,' ut ait Flæcus, 'linea rerum.'

19 *Me miseram aspice*] Aspiciendi verbo, sæpe sic utitur Verg.

Et, si vitam puriter egi] Sic Horat. et Tibull. 'puras manus,' nullius eade pollutas. Sic apud Heraclidem *περι Πολυτείων*, de Parisi, ubi Corax, Archilochi interfector, Pythiæ jubenti, ut e templo exiret, respondet, 'Ἄλλὰ καθαρὸς εἰμι ἄναξ.'

21 *Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus*] In manuscriptis omnibus, *Scu mihi subrepens imos ut corpore in artus*: legendum forte sit, *Hæc mihi subrepens imos in corporis artus. Imos artus* sic dixit, ut et Horat. 'imos sensus,' 'Mollis inertia cur tantam diffuderit imis oblivionem sensibus.'

22 *Expulit ex omni pectore lætitiis*] Legendum forte sit, *Ex omnis*: ut sit, *Omnis lætitiis ex pectore*. sic Lucret. 'tuisque ex inelyte chartis:' et Verg. in Bucol. 'Injiciunt ipsis ex vincula sertis.' Quam hoc loco *ἀναστροφὴν* esse, propterea puto, quod 'omnes lætitiis' quasi proverbio dixisse veteres, animadverti. Sic Cic. de Fin. lib. II. 'Ille Cæcilianus, qui omnibus lætitiis lætum esse se narrat:' et lib. II. Epist. ad Cælium, 'Repente vero inCESSI omnibus lætitiis:' et Pomponius quoque multitudinis numero, 'Quot lætitiæ insperatæ modo mihi inrepserunt in sinum:' et Lucret. lib. III. 'Hic exultat enim pavor, et metus, hæc loca circum lætitiæ exultant.'

23 *Non illud quæro*] Sic, ut puto, etiam Cic. 'Neque vero jam illud quæro:' et Verg. Æn. IV. 'Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.'

Contra ut me] In manuscriptis, *contra me ut*. Hoc vero est *ἀντεπεῖν*. Si-

mile illud in Priapum, 'Quare illud satis est, si te permittis amari, Non contra, ut sit amor mutuus inde mihi.'

O Di] Sic Eurip. Iphigenia, *ὦ θεοί*.

CARMEN LXXVII.

1 *Rufe mihi frustra, ac nequicquam credite amice*] Ad M. Cælium Rufum, de quo jam dictum; vel potius ad Alfenum Rufum, cujus ante oblivionem amicitia accusavit. *credite* vero, non *eognite*, in omnibus manuscriptis: itaque olim edidit Ald. Manutius. Sic Sulpicius in Periocha, 'Sororem falso creditam meretriculæ.'

2 *Immo magno cum pretio, atque malo*] Pretium dixit, more Græcorum. Sic Crantor, *Μὴ νοσοῦμεν νοσήσασι δὲ παρέη τις αἰσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ημετέρων, εἴτ' ἀποσπάτω τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἀνευ μεγάλων ἐγγίγνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ. τεθριώσθαι γὰρ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχὴν. Quæ Cic. totidem verbis lib. III. Tusc. 'Ne ægrotus,' inquit, 'sim: sed, si fuerim, sensus adsit, sive secetur quid, sive avellatur a corpore; nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore:' et Callim. Hymno in Dianam, *Οὐδὲ γὰρ Ἀτρείδης ὀλίγῳ ἐπεκόμπασε μισθῶν*: et Vergil. Æn. VII. 'At licet amborum populos excindere regum. Hac gener atque socer coëant mercede suorum.' Ovid. Met. X. eodem, quo Catullus, modo, 'Mors pretium tardis:' ac post, 'Indignamque necem pretium patietur amoris.' 'Malo' etiam Tibull. sic dixit, 'Ne pigeat magno post didicisse malo.'*

CARMEN LXXVIII.

1 *Gallus habet fratres*] Gallorum nomen Romanum fuisse constat; nam et Poëta Cornelius et Favonius quidam Galli fuisse leguntur. In marmoribus tamen Capitolinis Galus simplici L. ut et in æreis nummis Antoni Augustini Episc. Herden. GALUS. APRONIUS. et, GALUS. MES-

SALLA. In vetustissimo Vergili exemplo, PAUCA MEO GALLO, per duplex LL.

7 *Sed nunc id doleo*] Vehementer suspicor, ceteros, qui sequuntur versus, suo loco positos non esse, aut esse ἀποσπασμάτων.

8 *Spurca saliva*] Idem post, 'Tamquam commixta spurca saliva lupæ.'

10 *Et, qui sis, famu loquetur anus*] Sic Martialis, 'Unum pro cunctis fama loquatur opus:' et vetus Poëta apud Priscian. *Τὸς ἀγῶνας αἰὼν λαλῆσει.*

CARMEN LXXIX.

1 *Lesbius est pulcher: quid ni*] Esse quibusdam in libris adfirmant, *Gellius est pulcher. Quid ni.* Sic veteres locutos, tradit Festus Pompeius: 'Quid nisi,' inquit, 'usurpavisse antiquos testis est Afranius in Epistola. Me auctore, mater, abstinebis: quid nisi.' Nisi id Festus notat, quod posteriores, 'Quid ni,' sic veteres, 'Quid nisi' dixisse: et idem post Catullus, 'Gellius est tennis: quid ni.'

3 *Sed tamen hic pulcher*] Esse et hæc potest sententia, hunc sua cum gente Catullum venditurum pretiumque hoc daturum ei, qui tria sibi dederit suavia.

CARMEN LXXX.

3 *Et cum te octava quiete E molli longo suscitatur hora Dic*] Postquam sis meridiatus æstivis ac longis diebus.

6 *Grandia te medii tenta vorare viri*] Et quia *κακόφατον* videtur, Deorum vehiculum 'tensum' dixerunt, non 'tentum,' ne verbum turpe sonaret in sacris. Diomedes Gramm. de 'Ostentum,' et 'Ostensum' supinis agens, nisi legendum sit apud Diomedem, 'Deorum vehiculum tensam dixerunt, non tentam.' Verbo eodem obscene etiam Græci utuntur. In Epigrammatis enim Græcorum sic Priapus loquitur, 'Ἄλλ' ὡς ἐντέταμαι, φῶρ ἔμβλεπε. Medii autem viri, quod

dicit, pudenda ipsa significat, et nefariam libidinem, quam gentibus opprobrians Minutius in Dialogo, 'Qui,' inquit, 'scortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt, homines mala linguæ, etiamsi tacerent:' et in lusibus Priapus, 'Oscula dat medio si qua puella mihi.' Auson. quoque in Euanum liguritorem, 'Eune quid affectas vendentem Phyllida odores, Diceris hanc mediam lambere, non molere:' atque alibi idem de Castore fellatore, 'Lambere cum vellet mediorum membra virorum Castor.'

7 *Sic certe est, clamans Victoris rupta miselli Iliæ, demulso labra notata sero*] In manuscriptis libris, *Ille te mulso:* in aliis, *Illa te mulso.* Itaque doctissimi viri Pierius Valerianus, et Gabriel Faërnus, conjecturam fecerant valde probabilem, legendum, *Iliæ et emulso.* Mihi etiam in mentem venerat, suspicari legendum, *Iliæque et mulso;* vel, *Iliæque et multo.* Sed 'mulgendi' verbo sic usus Lucret. lib. IV. 'Et commiscendo semen cum forte virile Feminum mulxit subita vi, corripuitque:' eodem prope modo Horat. in Epod. VII. 'Sic est, acerba fata Romanos.'

CARMEN LXXXI.

Nemone in tanto potuit populo esse, Juventi] Ad eundem Juventium, ante, 'O qui flosculus es Juventiorum.'

3 *Præterquam iste tuus*] *Iste,* contemptim.

4 *Hospes, inaurata pallidior statua*] Aurum etiam Græcis *χλωρόν* dicitur. Notum illud vetus, et ab Aristoph. Interprete expositum, *τίποτ' ἐστὶ χλωρόν ἀντιβουλῶ τῷ χρυσίῳ; δέδουκ' ἐπιβουλεύμενον ὑπὸ πάντων αἰεί.* Silius hoc Astures colore in aurifodinis versantes adfecta valetudine, atque ægros esse significat. Est enim apud illum sic, 'Sed scelorum caussas aperit Deus, Astur avarus Visceribus laceræ telluris mergitur imis, Et redit infelix

effosso concolor auro.' Lucian. in Gallo: Οἴμωζε καὶ διαγρόπνει, καὶ ὁμοίως γίγνου τὸ χρώμα τῷ χρυσῷ προστετηκῶς αὐτῷ.

6 *At nescis quod facinus facias*] Sic alibi loquitur, 'Sæpe facis facinus:' et Plaut. Pænulo, 'Eo tu vin' ut facinus facere lepidum et festivum:' et Terent. 'Non fit facinus magnum, et memorabile siue periculo.'

CARMEN LXXXII.

1 *Quincti]* C interpono, veterum monumentorum fidem secutus.

3 *Eripere ei noli]* Μοροσυλλάβως etiam Plaut. in Pseud. 'Ei homines cenas sibi coquunt, cum condiunt:' et ante, 'Eas herbas herbis aliis porro condiunt:' et statim, 'Eo laserpicii libram pondo diluunt:' Ut Lucil. 'Eidem,' διασυλλάβως, 'Uni se atque eidem studio omnes dedere, et arti.' Et Vergil. in Bucol. 'Uno eodemque igni.' Lucret. lib. III. 'Ei' bisyllabum fecit, priore tamen longa. 'Sive aliud quodvis potius conjunctius ei:' et lib. VI. 'Et manibus nitidum teneris opus effluit ei.' Nisi forte legendum apud illum sit, 'eii:' itaque sit 'ei' prius monosyllabum.

4 *Seu quod carius est oculis]* Sententia postulare videtur, ut potius, *Siquid*, legamus, Dixit enim ante, 'Aut aliud si quid carius est oculis.'

CARMEN LXXXIII.

3 *Mule nihil sentis]* Ejusdem prope sententiæ est illud ejusdem, in eadem, 'Lesbia mi dicit semper male.' Est autem hic, ut idem ante dixit, fictus questus. Quibusdam in libris, *Mulle*, per duo LL. In Patavino exemplo, *Nulle mihi*, quod est, opinor, rectius. *Nullum* enim appellat stupidum, nihil audientem, nihil, ut alibi loquitur, sentientem. Nec tamen repugno, quo minus *Mule* legas. Sic enim Cic. Pisonem admissarium atque asinum dicit. 'Nihil sentis.' Sic Ovid. Amor. lib. III. 'Fabula, nec

sentis, tota jactaris in urbe.'

Si, nostri oblita, taceret, Sana esset] Insanire enim dicuntur, qui amant. Sed omnibus in libris manuscriptis erat, *Samia*; vel *Sannia*: itaque videndum, an legendum potius *Sanna*, quod inrisionem significat, quasi dicat, inrideri me amantem ab ea putarem, planeque contemni, si de me taceret: nunc quod loquitur, ardere se etiam demonstrat: *nunc* autem, sic adversatur hoc loco, ut apud Græcos *Nûn δὲ*.

Quod nunc garril] In manuscr. *gannit*.

6 *Irata est, hoc est uritur, et loquitur]* Tanta vis est ejus in me amoris, ut irascatur; id est, vere irascatur. Est enim ira fervor atque ardor sanguinis, et, qui amant, ardent etiam ipsi: suntque hæc τοῦ πάθους σημεῖα. Similiter Tacitus, de vitibus, opinor, quæ objiciuntur, 'Namque spreta exolescunt: si irascere, agnita videntur.'

CARMEN LXXXIV.

2 *Et Hinsidias Arrius Insidias]* Q. Arrii meminit Pedianus in argumento Ciceronianæ Divinationis, 'Q. nimirum Arrius Prætor, qui cum L. Gellio a Spartaco acie victus est, de quo Livius in Epitome lib. xcvi. ab u. c. Arrium vero per duplex RR. profereundum ac scribendum censeo. Confirmat hoc et Festus in verbo 'Torum.' Nam antiqui, inquit, nec mutas nec semivocales litteras, geminabant, ut fit in Ennio, Arrio, Anno.' Et vetus scriptio Romæ apud Rufinum Episcopum,

SOLI.

INVICTO.

L. ARRIVS.

RVFINVS.

D. D.

et in vetustissimo marmore in quo centuriarum incisa nomina ad Capitolini montis radices, eodem modo, L. ARRIVS, HELIVS. Sed eodem tamen

in saxo et in templo Ludovici Gallorum Regis sacrato, ubi nunc aqua lustralis, et ARRIVS per duplex RR, et per simplex ARIA.

D. M.

TIMOTHEO. CANTABRIO. QVI. VIXSIT. ANNIS. DVOBVS. MENS. DVOBVS. DIEB. XV. ARRIVS. SEVERVS. ARIA. FELICISSIMA. PARENTES. DVLCISSIMO. FILIO. FECERVNT.

7 *Hoc misso in Syriam*] In manuscr. *Hic*: legendum forte, *Hinc*.

Requicrant omnibus aures] Quas ille tot aspirationibus, *ἐκκεκῶφωκε, καὶ ἐμπέπληκε*, ut ait Plato in *Lyside*.

9 *Postilla*] *Postilla*, id est, 'Postea,' Terent. Phorm. 'Eam Compressit, unde hæc nata est, neque postilla umquam attigit.' Cornel. Fronto in *Exemplis elocutionum*. Et Ennius, 'Postilla germana soror errare videbar:' et Plaut. in *Cur*. 'Sed eam qui mihi vendidit illam numquam postilla vidi.' Ultima longa, ut in 'Postea.' Comperio autem, veteres 'Post,' præpositionem, sic tribus modis composuisse, 'Postea,' 'Postilla,' 'Postinde,' ut apud Suet. de *Illustribus Gramm.* in Q. Cæcilio, 'Postinde damnationem,' ut est in libris jam olim impressis, non 'Postdeinde.'

CARMEN LXXXVI.

1 *Quintia formosa est*] 'Quinctium' veteres dixisse antiqua monumenta declarant. Sed et, non interposito C, 'Quintiam' eosdem pronuntiasse, vetus inscriptio demonstrat, quæ hodie exstat Romæ ad S. Marci,

C. FVL. QVINTIA. C. FVLVINA

C. FVLVINIVS. C. L. EROS

Nescio an eadem de 'Quinctia' in lusibus in Priapum, 'Deliciæ populi, toto notissima circo, Quinctia, vibrata docta movere nates,' &c.

Longa est] Ovid. lib. III. *Amorum Eleg. 3*. 'Longa decensque fuit, longa decensque manet.'

Mihi candida, longa, Recta est] Horat. I. *Serm. Sat. 2*. 'Candida, recta-

que sit; munda hactenus, ut neque longa, Nec magis alba velit, quam dat natura, videri:' Propert. lib. II. 'Despicit et magnos recra puella Deos.' Nonnullam formæ laudem esse, etiam Cic. pro *Muræna* significat: 'Solos,' inquit, 'sapientes, esse, si distortissimi sint, formosos.'

3 *Totum illud, formosa, nego. nam nulla venustas*] Sueton. in *Nerone*, *Pulchrum* a *Venusto* secernens, 'Vultu,' inquit, 'pulestro magis quam venusto.' Ut ex his ejus verbis intellegatur, aliud 'pulchrum,' aliud esse 'formosum.' *Totum illud*, id est, τὸ ὄλον, sive τὸ σύνολον.

4 *Nulla in tam magno est corpore mica salis*] *Lucret. lib. IV. eodem in genere*, 'Charitonia, tota merum sal.' Quem versus *Honoratus Fasciellus* ab erudito homine legi dicebat, *Χαρίτων ἴα, tota merum sal*, ut ea *Gratiarum* esse una dicatur; de quo tamen considerandum etiam atque etiam puto. *Octavius Pantagathus* legendum putabat, 'Charis omnia, tota merum sal:' anget autem vim boni magnitudo. Id se quoque multis locis probatum a veteribus animadvertisse *Corbinellus* aiebat. Apud *Arist. in Rhet. Θεληῶν δὲ ἀρετῆ, σώματος μὲν κάλλος καὶ μέγεθος* et *Sappho* idem quoque sensisse, *ὅτι μικρὰ μοι παῖ ἔμμεναι φαίνεαι, κ' ἔχαρις*. Et, quod 'micam salis' dicit 'in corpore,' hoc ejusmodi sit, e *Plutarchi* verbis in *Sympos. lib. V. intelligitur, Διὰ τοῦτο δὲ ἴσως καὶ κάλλος γυναικὸς, τὸ μήτε ἀργὸν μήτε ἀπίθανον, ἀλλὰ μεμιγμένον χάριτι καὶ κινητικῶν, ἀλμυρῶν καὶ δριμύ καλοῦσιν*. Hunc interpretans locum *Quinctilianus* in VI. 'Nam et Cicero,' inquit, 'omne, quod salsum, ait esse Atticorum, non quia sunt maxime ad risum compositi:' et *Catullus* cum dicit, 'Nulla in tam magno est corpore mica salis, hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum. Salsum erit igitur, quod non erit insulsum,' &c. *Lesbiam* itaque sic laudat suam *Ca-*

tullus, ut Helenam Zenxidis veteres laudaverunt, quam pinxit ille τὸ τῶν ἄλλων κρείττον ἀπανθίζων, ut ait Dionysius Hal.

CARMEN LXXXVIII.

1 *Qui cum matre atque sorore Prurrit*] ‘Prurire’ sic feminas dixit obsceni Auctor carminis: ‘Oro, nam quis erit modus, Quirites, Aut præcidite seminale membrum, Quod totis mihi noctibus fatigant Vicinæ sine fine prurientes, Vernis passeribus salaciores.’

4 *Ecquid scis, quantum suscipit sceleris*] Sic Cic. Philipp. xi. ‘Miserior igitur, qui suscipit in se scelus:’ et in Pompeiana, ‘Delenda est vobis illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta.’

5 *Quantum non ultima Tethis, Non genitor Nympharum abluat Oceanus*] Genus expiationis hoc fuisse videtur, eamque vini non mare tantum, sed ipsos etiam fluvios, habere credebant. Ex hoc genere videtur esse, quod sæpe apud Obsequentem de Prodigiiis legimus, ‘Lunæ Androgynus natus, præcepto haruspicum in mare deportatus:’ atque alibi ‘Puer haruspicum jussu crematus, cuiusque ejus in mare dejectus:’ item alibi, ‘In Etruria Clusi mater familiæ vivum serpentem peperit, qui jussu haruspicum in profluentem dejectus adversa aqua natavit:’ et apud Juvenal. Sat. vi. ‘Ut quidquid subiti et magni discriminis instat, In tunicas eat, et totum semel expiet annum. Hibernum fracta glacie descendat in amnem Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsi Verticibus timidum caput abluet:’ et apud Persium, ‘Hæc sancte ut poseas, Tiberino in gurgite mergis Mane caput.’ Pausanias in Bæoticis, idem de mari significans, ‘Ὁ μὲν δὴ σεμνότερος ἐς αὐτὸν λόγος τὰς γυναῖκας φασὶ τὰς Ταναγραίων πρῶτας Διονύσου τὰ ὄργια μυθεύσας ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι καθαρῶν ἐνεκα. νηχομέναις δὲ ἐπιχειρή-

σαι τὸν Τρίτωνα, κ. τ. λ. De fluminibus Soph. in Œdipo Tyr. Οἴμαι γὰρ οὐτ’ ἂν ἴστρον οὐτε φάσιν ἂν Νίψαι καθαρμῶ τήνδε τὴν στέγην, ὅσα Κεῦθει, κ. τ. λ. Mari eluendi vim maximam Lucret. tribuens lib. vi. alio quidem in genere idem prope dixit, ‘Non si Neptunus fluctu renovare operam det, Non mare si totum velit eluere omnibus undis.’ ‘Ultimam’ vero ‘Tethin’ dicit, totum mare ad extremos usque ejus fines.

6 *Non genitor Nympharum*] In manuscriptis, *Nec genitor Nympharum.*

8 *Non si demisso se ipsi roret capite*] Haud scio, an eandem obscenitatem Cic. significet in Clodio, in Orat. pro domo: ‘Quære,’ inquit, ‘hoc ex Clodio scriptore legum tuarum; jube adesse; latitat omnino. Sed, si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se, capite demisso. Nam, si Sex. ille Clodius cunnilingus, hic Gellius juvenis inrumator, par est utriusque obscenitas.’

CARMEN LXXXIX.

1 *Gellius est tenuis*] Etenim, qui Veneri dediti sunt, eos macie confectos videri necesse est. Lucret. lib. iv. ‘Ἴσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, cum vivere non quit Præ macie: βαδύη,’ &c.

Cui tam bona mater] Tam pulchra.

5 *Qui ut nihil attingat*] Jocus esse videtur παρὰ προσδοκίαν id enim sequi videbatur, ut hic, ea quæ liceret, non attingens, multo minus, quæ non liceret, attingeret, eoque minime macresceret nunc tantum sese polluens nefaria libidine, sat causæ tamen est, cur sit idem macer.

CARMEN XC.

1 *Nascatur magus ex Gelli, matrisque nefando Conjugio*] *Magum* lingua Persarum Sacerdotem dici testatur Appuleius. Persas vero ipsos ceteris gentibus odio esse, propter hæc nefaria cum parentibus sororibusque conjugia, tradit Eusebius.

3 *Nam magus*] Id est, sacerdos; ejusmodi ergo matrimonii sacerdotes suscipiebantur, non item alii. Significare enim hoc Catullus videtur.

5 *Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos*] *Accepto*, sibi que per manus tradito a parentibus incestuosus; nisi 'acceptum carmen,' Dis gratum malis intelligere.

6 *Omentum in flamma pingue liquefaciens*] *Positis* in ignem visceribus victimarum. In 'liquefacio' E produxit, ut et sæpe Lucret. ut lib. iv. 'Ac rarefactum detracto sanguine venis:' et lib. iii. 'Expergefæctique sequuntur inania sæpe:' et Ovid. Met. vii. 'Tura liquefaciunt.'

CARMEN XCI.

2 *In misero hoc nostro perditō amore fore*] In veteribus omnibus haud paulo melius, *In misero hoc nostro, hoc perditō amore.*

3 *Quod te cognossem bene*] Ponam duos hos versus, ut nonnullis in libris manuscriptis rectius, mea quidem sententia, leguntur: *Quod te cognossem bene, constantemve putarem, Aut posse a turpi mentem inhibere probro.*

5 *Sed neque quod matrem*] Hic quoque versus in exemplo Guarini aptius legitur, *Sed quod nec matrem nec germanam esse videbam.*

6 *Cujus me magnus edebat amor*] Sic Verg. 'Est mollis flamma medullas Interea:' atque alibi, 'et caeco carpitur igni:' et alibi, 'Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.' 'Edax amor' etiam ab Apoll. R. lib. iii. dicitur *Μάργος ἔρωσ*, et, ut citat ejus Interpretes, ab Anacreonte, *Τακερός δ' ἔρωσ*. Idem significans Soph. de Venere, *Ἐνθήκεται γὰρ πλευνόντων ὄσοις ἐνὶ Ψυχῇ τὸς οὐτί δε τῆς θεοῦ βορός*; Magnus amor, *δευός*. Sic Plato, *Ὅψις γὰρ ἡμῶν δευράτη μεν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ἧ φρόνησις οὐχ ὀράται δεινούς γὰρ ἂν παρείχεν ἔρωτας, εἴτι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἰδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.*

9 *Tu satis id duxti*] Ita proorsus legendum videtur; tametsi est in omnibus fere manuscriptis, *induxti*.

Tantum tibi gaudium in omni Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris] Eadem prope sententia apud Cic. Philip. xi. 'Deinde ea libidinum turpitudine, ut in hoc sit semper letatus, quod ea faceret, quæ sibi objici ne ab inimico quidem possent verecundo:' et pro Milone, 'Ut eum nihil delectaret quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret.'

CARMEN XCII.

2 *Dispercam, me nisi Lesbia amat*] In manuscriptis, *Lesbia, me dispercam nisi amat.*

3 *Cui ego quasi eadem totidem*] In cidi in veteres libros A. Gelli: in sexto vero ejus libro, ubi hic Catulli versus legitur, sic erat scriptum, *Quo signo qua sin totidem mox deprecor illi*: itaque conjecturam feci legendum, *Quo signo, quasi enim totidem mox deprecor illi*. Fuerat, opinor, sic scriptum: *Quo signo, quasi enim totidem*. Simili errore factum, 'sin,' quoque, opinor, in Proëmio, quo Hieronymus, Eusebii Chronicon Interpretes, utitur, in illis ejus verbis, 'Nec ignoro, multos fore, qui solita libidine detrahendi omnibus, quod vitari non potest, nisi qui omnino nil scribit, huic volumini genuinum dentem insigant. calumniabuntur in tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas ventila-bunt,' &c. Quibus in verbis, 'in' mutandum omnino in 'enim,' fuerat enim scriptum 'enim.' Sic autem et Cic. junxit in Lælio, 'Quasi enim ipsos induxi loquentes.' Deprecari autem sic dixit, ut et Ennius in Erechthico, 'Quibus servitatem mea miseria deprecor.' Et Chresphonte, 'Ego, cum meæ vitæ parcam, letum inimico deprecor.'

CARMEN XCIII.

2 *Nec scire, utrum sis albus, an ater*

homo] Idem, opinor, Plaut. significans in Pseudolo, 'Quem ego hominem nulli coloris novi.' Ejusdem quoque sententiæ est ironia Cic. Philip. XIII. 'Magnum crimen senatus; de Theopompo summo homine negleximus: qui ubi terrarum sit, quid agat, vivat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat.' Quintil. lib. XI. dissimulato Catulli nomine, ne Cæsarem suum videlicet offenderet, hujus loci meminit, 'Negat,' inquit, 'se magnificere aliquis poetarum, utrum Cæsar ater, an albus homo sit: insauia. Verte, ut idem Cæsar de illo dixerit: arrogancia est.' Sunt, qui desiderari ceteros versus putent hujus Epigrammatis.

CARMEN XCIV.

1 *Mentula mæchatur*] Locus videri posset ex paronomasia, si similliora essent initia verborum, 'Mentulam mæchari,' ut 'Ollam olera legere.' Festus Pompeius in verbo 'legere,' 'Legimus aut scriptum, aut olera.' Cum Mentulam igitur ipsum adulterii insimularet, sic Mentulam igitur mæchari dicit, ut, 'Olera ollam legere,' proverbio dicitur. Sententia vero ejusmodi est, ut, cum Mentulam hunc, sive quis alius adulter esset insignis, cum Catullus aut se ipse sic excusare fingatur, se non mæchari, sed mentulam ipsam; in suamque mentulam sic culpam conferat, ut vulgo dici etiam solet, non olera aliquem furatum, sed ollam ipsam: at ejus furtum fuisse constat, cujus etiam sit olla, ut adulterum etiam esse eum dubitandum non sit, cujus illæ sint obscæne partes. 'Legere' autem, Furari est: quo verbo Horat. ceterique sic sunt usi. Hinc 'sacrilegium.' De furto olerum, in obscænis lusibus, 'Fur abeas, pœnam licet indignere, feramque, Propter olus, dices, hoc ego propter olus?' quod expressum videtur ex illo, ἄλλ' ὡς ἐντέταμαι, φῶρ ἐμβλεπε. Τοῦτο δ', ἐρωτᾷς, τῶν ὀλίγων λαχάνων εἶνεκα, τῶν λαχάνων;

CARMEN XCV.

1 *Smyrna mei Cinnæ*] Commentario *Smyrnæ* edito, L. Crassitium Tarentinum inclaruisse scribit Tranquillus, aut quisquis alius auctor est libelli de Illustribus Gramm. Et 'Smyrnam Cinnæ,' puto, intelligit. Carisius lib. I. 'Hujus tabis, Cinnam in Smyrna, nullo auctore dixisse, tradit.' Quintil. lib. X. de Emendatione, 'Nam, quod Cinnæ Smyrnam novem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis quem parcissime decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet.'

Nonam post denique messem, Quam capta est, nonamque edita post hiemem] Vergil. eodem modo æstivum tempus significans, 'messem' dixit: hibernum autem, 'frigoris' nomine: 'Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.'

3 *Millia cum interea*] Ἀναξλουθον mihi videtur; itaque aut aliquid ante hunc versum defuit, aut hic suo loco positus non est: quod mihi eo probabilius videtur, quod Volusi annales brevi tempore perituros esse significet, nisi quis et Hortensium et Volusium simul esse reprehensus contendant. Suspicebam tamen sic legendos hos versus: *Smyrna mei Cinnæ, nonam post denique messem, Quam capta est, nonamque edita post hiemem. Smyrnam caras Atracis penitus mittetur ad undas Smyrnam incana diu sacula pervoluent. At Volusi annales... Et laxas seombris saepe dabunt tuniceas.*

5 *Smyrna cava Atracis*] Aut *Atracis*, aut *Atacis*, legendum videtur. Utriusque enim meminerunt auctores optimi. Propert. lib. I. 'Et dicam, Atracis licet hæc considat in oris.' Et Tibull. 'Cum tremere forti milite victus Atax.' 'Cavam undam' dixit etiam Ovid. in Ibin, 'Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis:' et Verg. Georg. I. 'cava flumina;' 'Implentur fossæ, et cava flumina cres-

cunt.' Et idem alibi Catullus, 'cavam paludem' dixit.

6 *Smyrna incana diu sæcula pervoluït*] Sic est in plerisque manuscriptis. Si *pervoluet* feceris, versum reddideris haud paullo meliorem. 'Cana sæcula' et Martialis dixit lib. VIII. 'Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori.' Ac, si Martialis Catullum in eo est imitatus, quod mihi quidem verisimile fit, dubium non est, quin Catulli versus, ut in quibusdam manuscriptis est, ita legendus sit, *Smyrnam cana diu sæcula pervoluent*: etenim quod ante *M* fuit, mutatum est in in præpositionem, verbo autem *pervoluet* apex detractus, qui *N* valet. Propert. lib. II. 'canos' etiam dixit 'annos,' 'Quid si jam canis ætas mea candeat annis?'

7 *At Volusi annales*] Reliquum hujus versus deest; nisi, *Paduam*, in manuscriptis libris male legitur, ac pro eo fuit aliud in optimis libris, quod cum scribæ librarii fædissime corruperint, cujusmodi fuerit, conjectura adsequi non possumus.

8 *Et laxas scombris*] Hac mali Poëtæ pœna addiuntur; de qua sæpe Martialis aliique auctores.

9 *Parva mei mihi sunt cordi monumenta*] 'In libris manuscriptis, et sunt, et sint: ab omnibus autem quos viderim, abest verbum ultimum. Quin vero hoc aliud sit Epigramma, aut pars potius Epigrammatis, ne dubitandum quidem videtur.

10 *At populus tumido gaudeat Antimacho*] Acron, vetus Horati Interpres, illis Horati verbis, 'Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim: Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum: 'Aut nomen proprium,' inquit, 'Cyclicus, et significat Antimachum poëtam; mali vero poëtæ imperitæ multitudinis auribus esse solent fere jucundiores.' Eurip. Hippol. Ἐχει δὲ μοῖραν καὶ τοδ' οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς Φαῦλοι, παρ' ὕχλη μουσικώτεροι λέγειν.

CARMEN XCVI.

1 *Si quidquam mutis gratum acceptumque sepulchris Accidere a nostro, Culve, dolore potest*] Eodem modo Cic. Epist. ad Q. Frat. lib. I. 'Sed certe a te mihi omnia semper honesta et jucunda ceciderunt.' In eandem sententiam Isocr. Evagora, Ἡγησάμην Εὐαγόραν, εἷτις ἐστὶν αἰσθησις τοῖς τελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθαδε γιγνομένων, εὐμενῶς μὲν ἀποδέχεσθαι καὶ ταῦτα, καὶ χαίρειν δρῶντα τὴν περὶ αὐτοῦ ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν σὴν μεγαλοπρέπειαν: et Soph. Electra, Ὡστε τῷ θενοῦτι τιμὰς προσαιτεῖν, εἷτις ἔτ' ἐκεῖ χάρις. Itaque veteres, an vita functis eorum, quæ hic agerentur, sensus esset, vehementer dubitarunt; eaque de re disputat Aristot. Ethic. Nicom. lib. I.

4 *Atque olim missas flemus amicitias*] In manuscriptis aliquot, *amissas*. Sic Verg. Georg. III. 'Tum quos amisit inultus amores.'

CARMEN XCVII.

1 *Non ita me Di ament*] I longum in extremo, incipiente etiam dictione, quæ a vocali quacunq; inciperet, fere non elidebant, idque nunc corripuere, nunc vero etiam producere. Observatum hoc multis in locis apud Vergil.

2 *Utrum os an culum*] Sic omnes libri manuscripti. Guarinus legit, *Utrum ne os*.

3 *Nil immundius hoc, nihil est immundius illo*] Dupliciter hic versus in libris manuscriptis legebatur: primum sic, *Nihil mundius hoc nobisque immundius illud*: deinde etiam sic, *Mundius hæc nihil est, nobisque immundius illud*; quod rectius judico, si hæc tantum in hoc mutetur. Nobis, inquit, nibilo mundius haberi solet, Culus nimirum ipse. Prior etiam lectio stare possit, si, *que*, tantum mutaris in, *quam*: nam *nihilo* contracte non minus legi potest, quam *nihil*, quod

factum a veteribus poetis nonnumquam invenio.

5 *Nam sine dentibus est, hoc dentes]* In libris manuscriptis, *hic dentes*; quod est ipsum probabilius.

6 *Ploxemi]* Quid hoc verbi sit, declarant Quintil. et Fest. Pomp.

7 *Præterea rictum, qualem defessus in astu Meientis mûæ cunnus habere solet]* Legendum forte sit *diffusus*, pro *defessus*.

10 *Atque asino]* 'Ovovs, opinor, vocat Xenophon etiam 'molas,' quibus frumenta teruntur.

12 *Ægroti culum lingere carnificis]* Cur *ægroti*? itaque vehementer suspicor nomen proprium fuisse, atque scriptum, *Agroti*, aut *Argoti*, aut quovis alio modo non dissimile: corruptum deinde in, *Ægroti*.

CARMEN XCVIII.

1 *In te, si in quemquam, dici pote, putide Vecti]* Ego manuscriptis etiam libris *Vecti*: quod si probabilius iudicamus, legendum omnino *Vetti*; *Vettium* enim et *Vettiam* scribebant. Namque ut cetera vetustatis monumenta præteream, in hortis Rodulfi Pii Cardinalis Carpensis vetustum marmor huiusmodi literis incisum legitur, A. BAEBIVS. A. F. OVF. VETTIA. A. F. VXOR.

4 *Culos, et crepidas lingere Carbatinas]* Ego vero in Politiani sententiam lubens eo: præsertim cum gravissimis veterum auctorum testimoniis, iisque firmamentis nitatur, quibus isti, qui reprehendunt, nihil afferunt aut gravius aut melius, præter inanissimas rationes. Obscœnitatem ejusmodi Euno cuidam objiciens Ausonius, sic scribit, 'Eune quod uxoris gravidæ patriæ inguina ambis, Festinas glosas non natis tradere natis:' atque alibi, 'Inguina quod calido levas tibi dropace, cansas est, Inirant volsas levia membra lupas. Sed quod et elixo plantaria podice vellis, Et teris

inclusas pumice elazomenas, Causa latet, bimarem nisi quod patientia morbum Adpetit, et tergo femina, pube vir es.'

6 *Dicas]* Aut loquere, aut causas age.

CARMEN XCIX.

2 *Suariolum, dulcius ambrosia]* Horat. 1. Od. 13. 'Speres perpetuum dulcia barbæ Lædentem oscula, quæ Venus Quinta parte sui nectaris imbuunt.'

3 *Namque amplius horam]* *Amplius* cum accusandi casu, ut Cic. optimi-que alii Latinitatis auctores.

4 *Suffixum in summa me memini esse cruce]* Quo modo in cruce suffigi atque suspendi solerent, quos eo supplicio adicerent, Manil. Astron. lib. v. declarat: 'At simul infesti ventum est ad litora Ponti, Mollia per duras panduntur brachia cantes. Astrinxere pedes scopulis, injectaque vincula, Et cruce virginea moritura puella pependit.'

6 *Tantillum vestræ demere sævitæ]* *Vestræ*, de uno; ut et Ovid. Fast. 1. 'Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphii Tradiderat domitas jam tibi Rhenus aquas:' et Verg. 'Crimen amor vestrum.'

8 *Abstersi guttis]* In veteribus libris, *Guttis abstersi*; faciendumque *abstersisti*, quod est aptius.

10 *Tamquam commixtæ spurca saliva lupæ]* In libris quibusdam, *comminctæ*; in aliis, *conjunctæ*: ex quo factum opinor, *comminctæ*: itaque legendum forte, *conjunctæ*. 'Lupam' vero meretricem intelligit. Placiades in Glossis: 'Lupam, meretricem, a rapacitate, vel a libidine hujus animalis; unde et Lupanar dicitur.' Cic. pro Milone, 'Ille, qui semper secum scorta, semper exoletas, semper lupas ducebat. Sic Martial. lib. 1. 'Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.' Sunt, qui *commixtam* reti-

neant, et 'lupam commixtam' sic a Catullo dictam existiment, ut a Plauto etiam Mostell. 'Capra commixta' dicitur; id est, fœda. Sed hoc illi viderint. Inamabile suavium significans, Statius Comicus argute dixit, 'Sed tua morosa ne uxor, quæso est, quam rogas?' Quæ tandem, tædet mentionis, quæ mihi Ubi domum adveni ac sedi, extemplo savinum Dat jejuna anima. Nil peccat de savio, Ut devomas vult, quod foris putaveris.'

13 *Ut ni ex ambrosia*] In manuscriptis, *ambrosio*. Ut 'osculum' sic 'ambrosium' dicatur, ut etiam Verg. 'Cornæ' dicuntur 'ambrosiæ.'

14 *Tristi tristius helleboro*] *Amarius*. Sic Verg. 'Media fert tristes succos;' et alibi, 'Tristesque lupini.' 'Amarius' autem 'elleboro,' Proverbio dicitur, ut in illo, 'Ἀδὺ τὸ βινεῖν ἔστι, τίς οὐ λέγει; ἀλλ' ὅταν αἰτῆ Χαλκὸν, πικρότερον γίνεται ἔλλεβόρου.'

CARMEN C.

1 *Calius Aufilenum*] Et *Calium* per E et per Æ diphthongos legimus in vetustissimis monumentis, iis scilicet quæ Romæ sunt in amœnissimis Card. Carpensis hortis, et in ea basi, quæ hodieque in Urbe ad Arcum Septimio dicatum cum Centuriarum exstat nominibus et diversas quidam esse volunt familias. Ego vero dubito *Aufidena* ne pro *Aufilena*, legendum sit. Romæ enim apud Episcopum Ferratinum monumentum exstat ejusmodi.

IVNONI

IVLIE

AVFIDENÆ

CAPITOLINÆ

SACRVM.

Nam, de antepenultima ejus verbi quid statuam, non habeo.

2 *Flos Veronensium depereunt juvenum*] *Flos*, ζωτος verbum Pindaro frequentatum in hoc genere et Theocr. Τῆμος ναυτιλίας μιννάσκετο θεῖος ζωτος

Ἡρώων. Juvenal. Sat. v. 'Flos Asiæ ante ipsum pretio majore paratus.' In *Veronensium* vero Synzesis eadem, quæ in verbo 'omnia' apud Vergil. Æn. vi. 'Quin protinus omnia Perlegerent oculis.' Itaque est in illo optimo vetustissimoque libro, quo Romæ magno Card. Carpensis beneficio sum usus. Jam, quia et Nicolaus Erztlræns et Pierius Valerianus accurate de eo atque erudite multa tradiderunt, addam ad illa versus Lucri, qui colligentes illos alia fugerunt, e lib. v. 'Sed sic quodque suo ritu procedit, ut omnia Fœdere naturæ certo;' et, 'Ignis enim superavit, et ambiens multa perussit;' et Ovidii illud, Catullini hujus simillimum, e Fast. lib. v. 'Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensium.'

4 *Fraternum vere dulce sodalitiūm*] Simillimum illud Horat. 'hæc in re scilicet una Multum dissimiles, ad cetera pæne gemelli.' Nisi sic turpitudinem atque obscenitatem τῆς ἑταιρήσεως significare voluit. Sed illud rectius, quod et Corbinello videbatur, ob similem, aut eandem potius Menandri sententiam, 'Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ὁμονοίας Ἔρως.'

6 *Perspecta exigitur unica amicitia*] In manuscriptis etiam, *Perfecta est igitur*: in aliis, *Perfecta, atque exigitur*: utrumque mihi tralatum videtur ab operibus, quæ ad regulam fiunt ac libellam: itaque amicitiam perfectam illius ac sanctam significat. Plin. lib. xxxvi. cap. 25. verbo 'exigere' de pavimentis sic utitur: 'Deinde spissa calcatis carbonibus inducitur sabulo calce ac favilla mixtis: materia crassitudine semipedali ad regulam et libellam exigitur.' Indidem translatum videri possit et Ovid. illud Fast. lib. III. 'Non habet exactum, quod agat.'

CARMEN CI.

2 *Advenio*] Legendum puto, *Adveni*.

concinnius enim est, 'Adveni ut donarem,' quam, 'Advenio ut donarem.'

3 *Ut te postremo donarem munere mortis]* Et Vergil. 'suprema' hæc vocat 'munera' Æn. xi. 'Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine vobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Muneribus:' et Ovid. Eleg. lib. iii. 'Hic certe manibus fugientis pressit ocellos Mater, et in cineres ultima dona dedit.' In Hispania citiore monumentum ejusmodi exstat,

C. IVL. FABIAN

ANN. XIX.

FADIA. PAVLA

AMITA

MVNVS

SVPREVM

Ambrosius eodem uno verbo 'suprema' vocat. 'Munus' autem hoc etiam Græci dicunt. Homer. Τοῦτό νυ καὶ γέρας ὄν διζυροῖσι βροτοῖσι Κερασθαί τε κόμην, βαλέειν δ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν atque alibi, Πάτροκλον κλαίωμεν ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Verg. 'Et fungar inani Munere.'

4 *Et mutum nequicquam adloquerer cinerem]* Hujusmodi allocutiones προσφθέγματα dici ab Eurip. Corbinellus observavit, apud quem est in Troad. Πρὸς τάφον δ' ὀμηλικῶν Κώμου ἀπάξω, φίλα διδοῦς προσφθέγματα. In Achillis Maffei libro, alteroque Patav. *mutam*. Utrumque per veterum licet auctoritatem. Tibull. 'Et mea cum muto fata querar cinere:' Auson. eodem modo, 'Non nomen non quo genitus, non unde, quid egi, Mutus in æternum sum cinis, ossa, nihil. Similiter Propert. lib. ii. 'Taliaque illacrimans mutæ jace verba favillæ.' Hoc e genere est, quod est apud Verg. Æn. v. 'Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos.'

5 *Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum]* In scriptis libris omnibus, *te abstulit*; quod stare etiam potest.

6 *Heu miser indigne frater adempte mihi]* Sunt, qui legant, *misero*, non suffragantibus libris. More igitur Græcorum rem eandem ἐπιθέουσ cumulat. Ovid. Fast. iv. in eandem sententiam, 'Osculaque adplicnit posito suprema feretro, Atque ait, invito frater adempte mihi.' 'Ademptum' vero vita defunctum intelligunt optimi Poëtæ. Ovid. 'Jure igitur Celso lacrimas libamus adempto.'

8 *Tradita sunt tristes munera ad exsequias]* In scriptis est, *tristi*; itaque legendum, *tristis*.

10 *Frater hate, atque vale]* Salutandi sitos, etiam Græcis mos erat. Theocr. in Epigr. Χαίρω οὗτος ὁ τύμβος, εἰεῖς ἐπεὶ Εὐρυμέδοντος Κεῖται τῆς ἱερῆς κούφος ὑπὲρ κεφαλῆς. 'Havere' autem, et 'valere,' eos fere jubebant, quos amplius visuri non erant. Hoc, opinor, et Plant. significans in Cure. 'Ego,' inquit, 'abeo: vale, atque salve:' et Verg. 'Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale.' Sic in veteri quoque monumento Romæ, in ædibus Joannis Zabreræ Savonensis:

D. M.

VIRIÆ. PRIMITIVÆ. VIX. ANN. XVIII. MENS. I. DIE. XXIV. L. VIRIVS. HELIVS. CONJVGI. DVLCIS. HAVÆ. DOMINA. VALE. DOMINA.

CARMEN CII.

1 *Si quicquam tacite commissum est fido ab amico]* In omnibus manuscriptis, *tacito*: utrumque vero mihi non probatur. 'Tacitum' enim Latine, non qui tacet, sed quod tacetur ipsum, dicimus. Tum durum etiam illud videbatur, subintelligere, 'Ei,' *cujus sit penitus*, &c. Itaque legendum putaham, *Si quocumque tacitum commissum est*, &c. 'Tacitum' autem dicit id quod ἀπόρητον Græci. Sin dativum *Ei* velis omnino legi, legi possit, *Si quidquid taciti*. Sunt qui *tacito*, pro *tacite*, dictum velint, ut

'Certo,' pro 'certe:': quod non placet. 'Facita' vero τὰ ἀπὸ βήθητα sic dicta, ut ab Horatio 'tacenda,' 'Dicenda tacenda locutus.'

3 *Me unum esse invenies illorum jure sacratum*] Est in manuscriptis, *Meque esse invenies*; et, *Atque esse juvenes*: conabar igitur ita restituere, *Me, quem ipse adjures*; vel, *Aut quem ipse adjures*; vel, *Me, quem ipse invenias*. *Illo cum jure sacratum, Corneli, &c.* Neque vero impedio, quo minus etiam, qui volet, priorem illam lectionem sequatur, et sententiam. Sic se sanctum hominem, ac fidei plenum significat: probabiliorem lectionem facit, quod 'jus,' id est, religionem interponit, et 'sacratum' dicit. Sic enim Jusjurandum dicitur et apud Cic. lib. II. de Leg. 'Pæna violati juris esto.'

CARMEN CIII.

1 *Aut sodes mihi vedde decem sestertia, Silo*] Uno in libro, non decem, sed tuo: Færnus duo faciebat.

3 *Aut, si te nummi delectant*] In Patav. *At, si te nummi*. In nonnullis etiam libris, pro *nummi, nimium*. Interminari, ac ferocire leno, ut ejusmodi homines solent, ne pecuniam redderet: ejus se minis minime terreri Catullus significans, Nihil, inquit, moveor tua ista ferocia, reddas modo decem, quæ debes, sestertia.

CARMEN CIV.

4 *Sed tu cum caupone omnia monstra facis*] In manuscriptis, *cum tappone*; itaque est in Maffei libro, *cum tapone*, ut in Zanchi exemplo, *in tripone*, ut erat in Patav. itaque legendum suspicabar, *Sed tu cum turpi ore omnia monstra facis*: id est, turpissima quæque atque incredibilia confingis, et loqueris isto impolluto ore. Translatum autem videtur ab haruspicina atque anguriis. Sic enim apud Diomedem Gramm. 'L. Casius Hemina in II. Monstrum fit, sus parit porcos xxx.' Plaut. Mostell. 'Quæ hic mon-

Delph. et Var. Clas.

stra fiunt:' et Terent. idem significans, 'Aliquid monstri alere:' sic dixit Cic. ad Att. 'Venerat horis duabus ante Cherippus, mera monstra nuntiarat.'

CARMEN CV.

1 *Mentula conatur*] Ineptum hominem, ac peni deditum, versus etiam facere temptantem, inridet. *Pimplæum montem*, sic, ut est *Sororem montem*, Propert. lib. III. 'Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum:' nisi quid significatur, quale illud *Laberii* apud Non. Marcell. in verbo, 'Eugium,' 'Quare tam arduum ascendas; an concupisti Eugium scandere?'

CARMEN CVI.

1 *Cum puero bello*] In manuscriptis omnibus, *Obelio*. Si nomen forte id pueri fuit, jocus a venditione puero- rum petitus: pueros enim mangones vendere erant soliti. Martial. lib. I. 'Millia pro puero centum me mango poposcit.' Aut præco igitur puerum, aut se puer ipse vendere discupiebat, sed ad tempus. In Maffei libro erat, *Præconem qui videt ipse*. Ejusmodi credo puerum Cato intelligit apud Gellium: 'Sed nisi qui palam,' inquit, 'corpore pecuniam quaereret, aut se leoni locavisset,' &c.

CARMEN CVII.

1 *Si quidquam cupido, obtantique obtigit unquam*] In manuscriptis, *Si quidquid*; in Patav. pro *obtigit, obtulit*: legendum forte, *Si quidquam cupido, optantique obtulit unquam*.

2 *Insuperanti, hoc est gratum animo proprie*] Aristot. Rhet. lib. II. Ὅσπερ καὶ τέρπει τὸ πολὺ παρὰ δόξαν ita vero dispungo, ut insuperanti animo gratum id esse proprie intelligatur.

3 *Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro*] Durius quam Catullinæ conveniat elegantiae, *nobis quoque*: legendum forte, *nobisque hoc carius*

Catul.

2 T

auro; tametsi ἐνικῶς ante dixerit, *cupido optantique*. Sic vero *curius auro*, quasi proverbio dicebatur, quod sibi gratissimum carissimumque esse significabant. Tibull. lib. 1. 'Carior est auro juvenis, cui levia fulgent Ora, nec amplexus aspera barba terit.'

6 *O mihi cara magis candidiore nota*] In manuscriptis, *Nobis o luce*. Et, *Nobis, lucem*. Mihi quidem suspicari in mentem venerat, deesse versus, qui sequerentur. Martialis imitatus in lib. iv. 'Hanc lucem lactea gemina notet.'

7 *Quis me uno vivit felicior, aut magis hac est Optandus vita dicere quis poterit*] In manuscriptis omnibus, *aut magis me est*, sive, *mage me est*. Ego vero scriptum fuisse suspicor, *aut magi' mi esse Optandum in vita, dicere quid poterit*; est enim planior, et concinior sententia, nec longe a vestigiis veteris, quæcumque fuit, lectionis discedit. Plaut. autem in Capt. in eandem sententiam, 'Quoi hominum adæque nemo vivit fortunatior:' ut contra in Amphitr. 'Quisnam me Thebis alter vivit miserior?'

CARMEN CVIII.

1 *Siconi arbitrio*] In manuscriptis, *Sic homini populari arbitrio*; in aliis, *Sic horum*. Emendavit Hieronymus Avantius, *Si Comini arbitrio populi*, incertum, an vetus exemplar secutus. Sed causam, cur suo loco verba moveantur, non video. Legendum igitur, *Si Comini populi arbitrio*.

3 *Quin primum inimica bonorum*] Loci similes sunt apud Horat. v. Od. 5. 'Post inseputa membra different lupi, Et Esquilinæ alites:' et apud Ovid. in Ibin, 'Sive per imensas jactabar naufragus undas, Nostraque longinquus viscera piscis edet; Sive peregrinæ carpent mea membra volucres, Sive meo tingent sanguine rostra lupi:' ac post, 'Ipsæ te fugient, quæ carpunt omnia flammæ, Re-

spuet invisum justa cadaver humus; Unguibus et rostro tardus trahet illia vultur, Et scindent avidi perfida corda canes.'

4 *Linguo exsecta*] In manuscriptis omnibus, *exserta*.

5 *Effossos oculos roret atro gutture corvus*] In Patav. pro *guttura*, *gurgite* legebatur.

CARMEN CIX.

4 *Atque id sincere dicat, et ex animo*] Sic Terent. Eunuchus loquitur, 'Si istuc crederem sincere dici, quidvis possem perpeti.' *Ex animo* autem dicere, id Græce est, ἀπὸ καρδίας. Sic vetus Poëta: Ἦ μὴν ἐρεῖν σοι τ' ἀπὸ καρδίας, σαφῶς καὶ μὴ ἴτερηδες μῆδεν, ἀλλ' ὄσον φρονῶ.

5 *Ut liceat nobis tota perducere vita Alternum*] In manuscriptis, *tota perducere vita Æternum, &c.*

CARMEN CX.

3 *Tu quod promisti, mihi quod mentita inimica es*] *Quod promisisti, et quod mentita es*: primum scelus.

4 *Quod nec das et fers*] Alterum flagitium. In manuscriptis est, *nec das, nec fers*; Guarinius illo modo legit, nec tamen, librumne veterem sit secutus, exprimit. Auctor Carminis in Priapum verbo 'dandi' sic utitur, 'Quædam si placet hoc tibi Priape, Ficosissima me puella ludit, Et nec dat mihi nec negat daturam.' Sic χαρίζεσθαι Græcis κυρίως τὸ συνοουσιάζειν λέγεται, ut scribit Interpres Pindari.

Sæpe fucus facinus] Sic Plaut. Mostel. loquitur, 'Habeo, Neptune. Non dici potest quam indignum facinus fecisti, et malum:' et Anul. 'Hei, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis:' et ante illum Ennius Ann. vii. 'Ut faceret facinus, levis haud malus idem.' Plin. Nat. Hist. lib. xxxiii. cap. 3. aliisque in locis, 'scelus facere' sic dixit.

6 *Datu corrivere*] Id est, dona. Sic,

opinor, Ovid. de Amore, 'Nullis flec-
titur ille datis.' Certe Propert. hoc
modo lib. III. 'heu nullis capta Ly-
cina datis.'

7 *Efficitur*] In manuscriptis legi-
tur, et *efficit*, et *effecit*: itaque legen-
dum, *efficitur*.

CARMEN CXI.

2 *Nuptarum laus est laudibus eximiis*] Sic omnino est in iis, quos vidi, libris. Mihi legendum videbatur, *Nuptarum est laus e laudibus eximiis*. 'Nuptas' quoque absolute dixit Horat. nihil addens, I. Sermon. 'Hic nuptarum insanit amoribus.' Egregiam laudem nescio an hanc significarit Ausonius in Epicedio in patrem, 'Matronale decus possedit filia, cujus Egregia et nuptæ laus erat et viduæ.'

3 *Sed cujus quamvis potius succumbere fas est*] Sic Horat. eodem usus verbo, 'Juvet ut tigres succumbere cervis.'

CARMEN CXII.

1 *Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo*] 'Multum' corpulentum intellegit, hunc autem prostratum ac libidinis alienæ patientem; id enim dicit, *descendere*, non secum, sed ut Horat. loquitur, cinædo geminatum, multum esse dicit. Ovid. *Multam* dicere videtur *longam*, in II. Elegiarum. apud eum sic est, 'Tu quia tam longa es veteres heroidas æquas: Et potes in toto multa jacere toro.' Nisi sic intelligamus, eam quantumvis longam, esse tamen aptam veneri: vel, quod tanta sit, totum lectum corpore suo occupaturam.

CARMEN CXIII.

1 *Consule Pompeio primum duo Cinnæ sedebant Mæchilia, facto consule nunc iterum*] Quam multorum ingenia locus hic exercuit? Quam parum etiamnum inter eruditos homines convenit? Ego vero, cum veteris lectionis, quamvis corruptæ, rationem semper ha-

bendam existimo, tum conandum etiam cuique ut ab illa, emendans, quam minime possit, longe discedat; itaque cum in manuscriptis, quos viderim, omnibus legatur, *Mæchilia*, leviter mutato, distinguoque *Mæchi*; *illo facto consule nunc iterum*, &c. Sed isdem in libris erat, *solebant*, non *sedebant*: *sedebant* duco rectius: estque in obscenis verbum 'sedere,' de quo jam dictum.

CARMEN CXIV.

1 *Firmano saltu non falso, Mentula, dives Fertur*] Gnarinus legit, *Firmani saltus*. Aldus pridem impressit, quo modo posuimus. In scriptis libris est, *Firmanus salrus*, et *salius*. Ego primum illud, *Firmano saltu* retinendum censeo; ut Mentula Firmano saltu dives intelligatur. Cic. Divin. lib. II. 'L. Tarutii Firmani meminit; cujus is forte saltus fuerat. L. quidem inquit Tarutus familiaris noster imprimis Chaldaicis litteris eruditus,' &c.

2 *Qui tot res in se habet egregias*] In manuscriptis, *Qui quot res in se habet cgregias?* ut ab admirante hæc dici intelligas. Deinde enumeratio sequitur.

3 *Aucupia omne genus, piscis*] In manuscriptis, *Aucupia*, distinctum, *Omne genus piscis*. sic L. Pomponius ante eum, *omne piscati genus: piscis* autem, pro *pisces*, more etiam antiquorum, dixit.

4 *Nec quidquam fructus*] Nec enim quæstus potest consistere; ut ait Plant. si eum sumptus superat. In manuscriptis, *Ne quidquam fructus*: illud probabilius.

6 *Saltum laudemus dum tamen ipse egeat*] In manuscriptis omnibus, *dum modo*, et retinendum puto.

CARMEN CXV.

1 *Mentula habet instar triginta jugera prati*] Est etiam in manuscriptis libris, *instar*, et ferri possit quæ fuit

et aliorum poetarum licentia; tamen ab ea lectione non longe abiens, suspicabar legendum, pro *instar, justi*.

2 *Cetera sunt maria*] In Zancli libro erat, *extera sunt maria*.

4 *Uno qui in saltu tot bona possideat*] In manuscriptis aliis, *Moda*; in aliis, *Modo*, ut in Zancli; quod sit ipsum tolerabilius, nec enim plane satisfacit.

7 *Omnia magna haec sunt, tamen ut sint maxima et ultra, Non homo, sed vere mentula magna nimis*] At in manuscriptis aliter; sic nempe, *Omnia magna haec sunt, tamen ipse si maximus ultor, Non homo, sed vero mentula magna minax*. Credo ego, hunc Catullo in se jocanti graviter minatum, cum suas opes efferret. Hic igitur, inquit, ultor gravis, non homo. sed vero est minax mentula. Hic non, ut homines, telo, sed aliorum probitati ac pudicitiae mentula minatur. Sed lego pro; *tamen ipse si, tamen ipse hic*; nec enim a prave scripta lectione longe disceditur. Verg. Æn. VIII. Herculem maximum ultorem eodem modo dicit, 'nam maximus ultor Tergemini nece Gerionis, spoliisque superbis Alcides aderat.'

CARMEN CXVI.

1 *Sæpe tibi studioso animo venante requires Carmina uti possem mittere Battiadae Qui te lenirem nobis, neu conarere Telis infesta mic teremusque caput. Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem*] Ita descripsi hos versus, ut erant in melioribus manuscriptis. Nunc e malis bonos facere temptent atque experiantur acuti homines. Si quis tamen in tanta corruptela depravationeque lectionis

acumini locus esse potest, distinguebam ipse, *Qui te lenirem nobis*. Battiades vero Callim. dicitur etiam Ovidio in Ibin: 'Nunc, quo Battiades inimicum devovet Ibin, Hoc ego devoveo teque tuosque modo.'

4 *Telis infesta*] Legebam, *Telis infestans mi icere musca caput*. Veteres autem quasi proverbio *Μύλας δηγγῶν* videntur dixisse; nam Plut. in libro *Στωϊκῶν Ἐναντιωμάτων*, Chrysippi sententiam refellens, 'Ὅμοια δ' εἶρηται τοῦτοις ἐν τῷ τρίτῳ περὶ θεῶν' Ἐτι γὰρ οἶμαι, φησι, τοὺς ἐπαίνους ἀλλοτριωσέσθαι κατὰ τὰ τοιαῦτα τῶν συμβανόντων ἀπ' ἀρετῆς, οἷον δυσθανατώσης γράδος ἀποσχέσθαι, καὶ καρτερῆσαι μύλας δηγγῶν' ac paulo post, *Εἰ γὰρ ἴσον ἐστὶ τῷ ἀνδρείῳ δῆγμα μύλας ἐνεγκεῖν, καὶ τὸ σωφρόνος ἀποσχέσθαι τῆς γράδος, οὐδὲν, οἶμαι, διαφέρει τὸν σπουδαῖον ἀπὸ τούτων ἢ ἀπ' ἐκεῶν ἐπαινεῖσθαι*.

5 *Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem*] Nunc adversativa. Sic Metellus ad Cic. 'Nunc video illum circumventum, me desertum a quibus minime conveniebat.' Præcedunt hæc ipsa, multa alia.

7 *Contra nos tela ista tua eritumus amictu*] *Levia scilicet*. Sic Anacreon *Κοῦφα βέλεμα*: est enim apud illum, *Φιλολοιδороῖο γλώττης φεύγω βέλεμα κοῦφα*.

8 *Adfixus nostris tu dabis supplicium*] 'Nostrum,' inquit, 'enim mage erit,' ut ait Poëta, 'penetrabile telum.' Et posterior etiam Manilius S ipsum sic elisit, 'Formosos Phæbus geminos, Cyllenius cancerum:' ut Cicero ante, 'Delphinus jacet hand nimio lustratus nitore.' Vetustiores autem fere semper elidebant.

JANI DOUSÆ

NORDOVICIS

PRÆCIDANEA

PRO Q. VALERIO CATULLO.

CAPUT I.

‘Pius Poëta,’ pro erudito; ‘Impius,’ contra. Pluralem generandi Casum esse, quem alii omnes usque adhuc quidem, pro Causativo singulari sunt interpretati. Uncior loquendi ratio una et altera declarata. ‘Nulla, Nullus,’ pro Adverbiis negativis posita. Verborum concursus eodem sono cadentium in Ciceronis versu Catulli auctoritate defensus, contra horum hominum sententias. In Plautinis verbis tractio facta, Euphoniæ gratia.

MEMINI me ante septennium, hoc est, turbulentissimas istas, vereque decumanas civilis discordiæ tempestates, cum Victore meo Giselino de nova Catulli Editione, (quam id temporis, doctis omnibus cupientissimis adornare se, mihiq; adeo, sollenni insuper nuncupatione appensa, propriam dicare dixerat,) verbis pluribus accuratissime agere; Notulasque in cum Poëtam aliquot meas in re præsentî coram recitando præire: quarum Lectori, meum profecto non est, ut specimen invideam diutius, ne et integerrimi et subtilissimi viri iudicio; quo eæ ipsæ tum temporis serio hercule dilaudatæ, uniceque comprobatæ fuerunt, quicquam videar diffi-

dere: in quibus et hæc (nti spero) nomen suum profiteri non verebuntur: ‘pium,’ scilicet, ‘Poëtam,’ pro arguto et docto a doctissimo Poëta positum esse eo versu, *Nam castum esse decet pium Poëtam Ipsum, versiculos nihil necesse est.*

Id adeo quam maxime animum advorterim, facit ejusdem ad Calvum Epigramma: in quo expresse ac disertim legitur, *Qui tantum tibi misit impiorum:* hoc est, uti ego interpretor, malorum Poëtarum atque inficetorum. Nam de Suffenis, Cæsiis, Aquinis, cæterisque sæculi sui venenis atque incommodis loquitur: id quod clare ex sequentibus patet, *Ad librorum Curram scrinia, Cæsios, Aquinos, Suffenum, omnia colligam venena.*

Quem postremum versum haud perverse interpunctum modo, verum et scriptio ipsa depravatam, ideoque sinistre a Catulli Scholiasticis interpretatam, hac forma reconcinnes ac restituas licebit, *Suffenum, omnia colligam venena.* *Suffenum,* pro *Suffenorum,* more Plauto præcisque omnibus celebratissimo: dixerat enim Catullus antea *Cæsios, Aquinos,* plurali (nt vides) numero; qui ita temere ipsi migrandus non fuit.

Appingam hoc loco phrasim per-

elegantem ex proximo Epigr. *Cænabis bene, mi Fabulle, apud me Paucis, si tibi Di favent, diebus. Paucis diebus*, id est, propediem, et, quod Plaut. autumat, 'Cis paucos dies, si tibi Di favent,' hoc est, ut dicere didicimus a priscis et Romanis illis, 'Cum Dis faventibus volentibusque.'

In epigrammate ad seipsum, cui initium est, *Miser Catulle, desinas, &c.* ita in omnibus exemplaribus conceptus legitur versus ille, *At tu dolebis, cum rogaberis nulli.*

Statii Editionem excipito, in qua manifesto, *nulla* formis impressum existat; quæ lectio non displicet, tanto præsertim Achille, et Plauti insuper auctoritate suffulta: apud quem idem loquendi genus invenias non semel: ut Asinaria, 'Libanum in tonstrinam ut jusseram venire, is nullus venit:' et alibi, 'Nullus dixeris:' miror tamen, quidnam Lusitanum illum moverit, receptam interpunctionem sollicitandi, et *nulla* istud, cum insequentis versus principio, *scelesta*, construendi.

Tertium Carmen unius versiculi interpositione auctius legitur in libris ante quinquaginta annos excusis, et quidem hoc modo: *Passer mortuus est mea puella, Passer, delicia mea puella, Quem plus illa oculis, &c.* Quæ iteratio mihi et poetica magis esse, et nescio quod genuinæ Catullietatis habere videtur.

Notandum quoque veteres a continuata carundem syllabarum repetitione, numerorumque idem in diverso significato sonantium concursu non modo non abstinere fuisse; verum etiam hæc ipsa, ornatus et elegantiae gratia, pæne dixeram ambitiose conquisisse: contra, quam nos facere consuemus, qui continuo *κακόφατον* admissum vociferamur, quotiescunque (ut fit) posteriorum syllabarum literæ antecedentibus, veluti Echo quædam, respondeant: atque hujus vitii ipsum Ciceronem insimulare, palamque adeo redarguere audemus,

qui dixerit, 'O fortunatam natam me Consule Romam.'

Næ illi falsi sunt, nam quo eos nomine appellem nescio, qui omnia ad sui ingenii captum, novarumque aurium iudicium revocare atque exigere conantur, neque cogitant nos in civitate Latina inquilinos, hoc est, Barbaros esse; vel si Romani, Romani certe eorum comitate, qui istiusmodi nobis monumenta reliquere. Sed quid ennetatur M. Tullium, optimum illum omnium patronum scilicet, optimi omnium Poëtæ, neque enim Catullo ipsi, secus de se prædicanti, hæc in parte fides habenda, gratissimi inquam clientis sui patrocinio tueri porro atque defendere. Scribit igitur ille, *Fractum qui veteris pedem grabati In collo sibi collocare posset.* Sed et Virgil. ipse, 'Anchisem agnovit amicum:' item alibi, 'Sale saxa sonabant:' denique, 'Cassandra canebat:' ad quem locum notat Servius, compositionem eam ætate etiam sua pro vitiosa habitam, quæ majoribus placuisset. Hactenus quidem ille: et recte antiqui, consentientibus (ut vides) duorum in unum pariter principum Poëtarum indicis.

At inquiet in Phalenco Catulli aliquis, pronomine interposito recessu soni insuavitatem leniri. Fateor; sed quis ita obesæ naris, obsecro, ut hoc ipsum a Poëta carminis necessitate compulso, 'Factum non videatque sentiatque?' nisi si quis Plauti nobis exemplum objectet contra, eadem vocum iteratione in Asinaria usi, cum scribit, 'Hic pone, hic istam colloca crumenam in collo plane.' Hoc vero aliquid esse fateor: nec tamen tanti, ut hac re suram mihi præbendam autumem: et si quid mihi hisce est in rebus iudicii, ve-reor, ut scripserit potius Comicus noster, 'Hic pone, hic istam crumenam colloca in collo plane.' Hoc enim quanto altera illa 'collocatione'

numerous, illis tantum ignorabile objectum iri arbitror, qui, 'quid distent æra lupinis,' ignorant.

CAPUT II.

Lucretii Interpres quam in Catullo frustra, imo nihili fuerit, detectum.

MULTA sunt apud antiquos, quæ cum Menechmo Plautino pro insanis habita, statim in medicinam rapiuntur, opera, inquam, et comitate eorum, qui, ut ejusdem porro Comici verbis in re simillima uti pergami, 'dum alios perperam insauire prædicant, ipsi insaniunt:' veluti lepidissimis illis Catulli ad Ipsythillam Phalenciis evenit; quod clarius ut liqueat, integrum Poëtæ ipsius locum proponam: *Amabo, mea dulcis Ipsythilla, Meæ deliciæ, mei lepores, Jube ad te veniam meridiatum: Quod si jusseris, illud adjuvato, Ne quis liminis obseret tabellam.*

Quem quidem locum amicus noster mendosum falso dictis concinnat suis, mendis ipse ac mendacii cooperatus. Sed ipsius, amabo, verba, ipsamque emendationis rationem audiamus: 'Adjubere,' inquit, 'ad Ipsithillam dixit Catullus, ut Lucretius, adcredere. Sed locus hodie est mendosus.'

Mendosus sane usque adhuc iudicio illius quem dixisse me sentio: at nunc ejusdem solius beneficio primum mendo liberatus, restitutusque, si Dis placet, aliquando in pristinum. Nam absque illo esset, *adjuvato* istuc, natum non foret monstrum verbi: quod me hercule ego nusquam neque fictum, neque pictum, neque scriptum vidisse in Poëmatis memini, quæ quidem ab hoc verborum novatore architectata non sint, 'Quem penes arbitrium est, et vis, et norma loquendi.' Qui enim aliter, quæso, existimare possim, quamdiu mecum ruminor reputoque strenuam ejus hominis in Lucretiano Indice con-

textendo diligentiam, qua idem, 'de se si creditur ipsi,' in vocabulis illis priscis, ac dictionibus elegantioribus commemorandis explicandisque est usus: quibus si nos mendacii coarguere volet; at pol illum non poterit familiarem meum Plautum inquit, cujus ego auctoritate confisus, locum Catulli sine noxa esse, habereque recte licere meo periculo spondeo: paratus ultro etiam cum adversario pignus dare; hand quidem in mulsi, ne quis erret, sed vero in ellebori urnam, vel quadrantalem potius: quo videlicet et Sicambrum pectus, et caput tribus Antyciris insanabile, detergere, piare, ac penitus perpur-gare possit: quo expatrato probe, eumpse mox ad Planti locum huic Catulliano parissimum visere jubebo, qui in Pænulo exstat hujusmodi, 'Valete, atque adjuvate, ut vos servet Salus.' 'Adjuvate,' id est, ad-dite operam, adnitimini pariter, atque in eam curam cogitationemque incumbite: quo loco, si Fidentini nostri, *adjuvete*, legatur; immane, quantum de venustate sententiæ, et gratia decessurum est Plauto. Quis enim 'jubere,' vel 'adjuvare' possit, ut se servet salus? nisi forte novel-lum istum Antiquarium dicas, qui ejusmodi phrasim, pariter atque alias res solet, princeps nobis fabricare est ausus.

Idem de altera quoque hominis ejusdem interpolatione dictum velim; nam quo loco scripsit doctissimus Poëta, *Sed mulier cupido quod dicit amanti, In vento, et rapida scribere oportet aqua:* is vir, haud paulo sane doctior, ad lectionem hoc modo constituendam doctiores excitare se gloriatur, *In vino, et rapida scribere oportet aqua.* Quod quidem ego non *vino* (neque enim est tanti) sed *vento*, et *aquis* una cum auctore sno inscribendum pronuncio: monitosque cupio mecum 'Musis amicos omnes,' ut ejusmodi emendationes, quantum

est uspiam, cum 'tristitia, et metu,' id quod Horatius jubet, 'Tradant protervis in mare Creticum Portare ventis,' &c.

CAPUT III.

'Britanniæ,' *πληθυντικῶς* in Catullo repositæ. 'Unctum' quid? Scævus Romulus Serviano Commentario restitutus: indidemque Sallustii locus et correctus et enarratus planissime. Adverbium, 'ut,' paulo enucleatius expensum.

ARGUTA, mecastor, ac scita emendatio illa; scias a Faërno esse: *Mamurram habere quod Comata Gallia Habebat uncti, et ultima Britannia*: haud satisfacit tamen postremum istud; etsi non ignorem vocalem naturam brevem insequente muta cum liquida a Poëtis identidem produci: placet itaque magis, *Et ultimæ Britannia*; quo modo idem in Carmine de Acme et Septimio, 'Mavult, quam Syrias, Britanniasque.' Et paulo infra, *Hunc Gallia timent, timent Britannia*?

Quem Iambum, 'pravo fultum male talo,' ita correxit unus et unicus ille omnis eruditionis pater Turnebus, *Timentque Gallia hunc, timent Britannia*? Cui utique ego hac in parte assentior lubens: simul, ut *Cæsura* ratio habeatur, nusquam a Catullo temere alias neglectæ, nedum in Iambis, puris præsertim ac meris; quo in genere modo non regnat ac triumphat Valerius noster, cujus singulas etiam syllabas, hoc est, artificiosam pedum rationem, atque inimitabilem numerorum mollitiem, neque patienter hercule, neque stulte omnis antiquitas mirata: testimonio fuerit Martialis illud, 'Verona Docti syllabas amat Vatis.' Et tamen ut leniter et leviter quoque a certissimo conjectore in partem dissentiam: malim rescribi, *Timetque Gallia hunc, timent Britannia*; ut Comata solum Provincia intelligatur: singulari enim

numero Galliam extulerat antea: doctiorum arbitratus esto, utrum impendio magis probaverint, reponendi. Cæterum, *uncti* illud, ex unctiore illa, et Catulliana loquendi consuetudine depromptum esse; ideoque unctis manibus non tractandum, commonefaciendus est lector. Usus enim metaphora ea Poëta noster non semel; ut in Epigr. illo nimium lepido, 'Nec prætoribus esse, nec cohorti, Cur quisquam caput unctius referret:' denique hoc ipso Carmine, 'Nisi uncta devorare patrimonia?'

Eodem Poëmate inter cætera cognomenta, quibus Cæsarem insignem magis, quam honestum facit Catullus noster, eidem quoque Romuli titulum adsignat; eumque bis repetitum, hoc versu, quasi intercalari, *Cinæde Romule, hæc videbis, et feres?* quo nomine, et Mureto commentum placet, uti solebant in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli, nultumque ab illius præstanti virtute abesse: falso, sicuti ego existimo, et parum Romane. Scin', quid suspicer? vulgatum hoc in eos nimirum convicium fuisse, qui profunda imperii cupidine accensi dominationem in cives suos adfectabant, potentiam suam supra leges regum in morem extendentes: ex Sallustiani illius præscripto maxime, 'Impune quidvis facere, hoc est regem esse.' Primus autem Romanorum Rex Romulus: neque aliter accipiendum alterum Crispi exemplum, ex Oratione quam idem Mauerco Emilio Lepido attribuit: ubi hæc in Sullam, adhuc Sullaturientem, quamvis deposita jam Dictatura, inter cætera non bona dicta, stomachose ad Quirites pronunciata leguntur, 'Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud, quam libertas, et suæ cuique sedes; neu cui nisi legibus pareremus? quæ cuncto', (s. et libertatem, et patriam, promptaque solis legibus parendi volunta-

tem) 'sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta tenet,' &c. Quam interpretationem meam honorato etiam tibicine, Servio inquam, fulcire posse videor, ad Maronianum illud Eclogæ III. 'Quæ tu perverse Menalca,' &c. hunc in modum commentante, 'Aut converse ad turpitudinem; aut intelligamus fuisse quendam Menalcam nobilem, ut istum perversum Menalcam dixerit illius comparatione.' Subjicit deinde ipsissimum hoc Sallustii exemplum, verbis tribus: quo? nisi uti liquido planum ac palam faciat, eodem respexisse Historicum nostrum cum Sullam, per irrisum et contemptum quasi digito designans, 'Romulum' nominavit: quo Virgilium, cum 'perversi' Epithetum tribuit Menalcæ. Sed videtur ex glossæmatis Serviani sententia, non 'sævus,' uti nunc utrobique est, sed vero, 'scævus,' in Sallustio rescribendum: hoc est, sinistre perverseque pravus, sive etiam præposterus: et quod non minus significanter a nostratibus vernacula voce exprimi consuevit, 'verkeert.' Sed et Latinis, 'sinisteritas,' i. e. *σκαίωτης* (unde et τὸ *Scævus* natum testatur Pompeius) quidnam aliud, quam perversitatem sive improbitatem designat? Etiam a 'scævo' radices egisse verisimile est, id quod uos eodem patrio sermone, 'scheef,' dicimus, pro obliquo, flexuoso, atque distorto.

Advertendum quoque adverbium, 'ut,' tam apud Catullum, quam Horatium, ut verbi causa, *Juppiter, ut χαλῶβων omne genus pereat*: et, *O pater, o Rex Juppiter ut pereat positum rubigine telum*; non tam significare, 'utinam,' quomodo apud Charisium explicat Arantius Celsus, quam quod Comici alias cum excaescentia ac devotione quadam per, 'qui' efferrunt: ut illud Terent. 'Qui illum Di omnes perduint.' Sic enim idem alibi, 'Ut te Omnes equidem Di Deæ-

que perduint:' et Plaut. plusquam sexcenties, 'Ut te magnus perdat Juppiter:' quod ipsum et nos vernaculo sermone, plus mali cuiquam, quam boni imprecentes, totidem pæne verbis efferimus, dicendo, 'Dat u Godt schende.'

Ad Catulli votum redeo; cujus formulam a me quoque fideliter aliquando in Elegiis nostris expressam videor commeminisse: jam tum, cum Spanicæ dominationis pertæsus, meritissima hercule execratione in hæc vota erumpens proclamarem, 'Juppiter, ut pessum Maura tyrannis eat.' Nec phrasis illa silentio prætereunda, *Quare aut Hendecassillabos trecentos Exspecta, aut mihi linteum remitte.* Utitur eadem bis in Carmine ad Thallum; ut, 'Remitte Pallium mihi meum, quod involasti:' et paulo ibidem postea, 'Quæ nunc tuis de manibus reglutina, ac remitte.'

CAPUT IV.

'Homines recti' communis ac vetus in Catullo lectio defensa, adversus nuperum ejus sollicitatorem. Nova duum locorum explanatio. Latæbra improbitatis quæsitæ verbis honestioribus, 'facere,' 'præbere,' ac 'dare:' idque ipsum exemplorum aliquot productione liquido demonstratum.

In Carmine de Vari amoribus inscripto, quamobrem pro Lecticariis, *Homines rectos*, usurpaverit Catullus, rationem nobis explanat Ovid. ne aliam aliunde arcessere sit opus, quo loco monet, 'Sustineas ut onus, nitendum est vertice recto.' Eodem etiam a Juvenali allusum, 'Tot res Impositas capiti, quas recto vertice portat Servulus infelix.'

In Epigrammatico autem ad Vibennios mirificam geminarum lectionum varietatem satis nequeo mirari; nam ubi in aliis omnibus Editionibus legebatur, *Nam dextra pater iniquatiore, Culo filius est voraciore*;

Carrion noster in Commentariis suis Antiq. Lect. transpositis comparativis hoc modo rescribendum absque controversia omni asseverare non dubitat, *Nam dextra pater est voracior, Culo filius inquinatiore*. Argute quidem ille, cæterum ego tantum ipse a me impetrare nondum potui, ut credam a Catullo unquam ita scriptitatum fuisse; atque eo minus, quod hoc ipsum loquendi genus in re prorsus consimili videam usurpatum a Martiali lib. II. Epigr. 51. 'Infelix venter spectat convivia culi, Et semper miser hic esurit: ille vorat.' qua etiam sententia memini quondam fuisse Fruterium nostrum. Sed nos obscæna ista cum Vibenniis suis misa faciamus.

Epigrammate ad Sirmionem Peninsulam quod scribit, locus est hujusmodi: *O quid solutis est beatius curis? Cum mens onus reponit, ac peregrino Labore fessi venimus Larem ad nostrum*. qui hunc in modum nobis construendus videtur: *O quid beatius est, quam, cum mens onus reponit solutis curis! cumque peregrino, i. e. peregrinandi labore, itinerumque molestiis perfuncti, reduces domum, et quidem salvi, postliminio aliquando convertimur? Hoc propterea indicandum censui, quod videam pulcherrimam sententiam perperam omnibus in libris, etiam iis, quos ut emendatissimos exhibuit postremo nobis limatissima Scaligeri castigatio, interpunctam esse; vitio maxime interrogationis, quæ ubique voci, curis, appensa legitur, eo exemplo, quod proposui prius: nullo sensu. Quis enim Latine dicat, 'curas solutas beatas esse;' ac non potius, 'animum curis solutum?' Quo magis demiror, quidnam politissimo Germanorum Poëtarum Lotichio in mentem venerit, hujus ipsius loci, proinde ut vulgo legitur, imitationem a Catullo nostro mutuari. Sic enim est apud illum, 'Ecquid æstimandum est Curis esse beatius*

solutis?'

Sed idem nimirum ipsi, quod summis plerumque ingeniis, evenit, quibus perversa trium quatuorve verborum distinctio glaucomam ob oculos objectare consuevit, quo minus verum dispicere queant; quod ipsum et Mureto in loci hujus declaratione usu venisse res ipsa invitum prædicare me cogit.

Adponam et alteram explicationem nostram super Epigrammate in Aufilenam; in quo mehercule intellectu singulari, quantum ego quidem his in rebus perspicere queo, iteratum legitur verbum, *facere*: primum, *Aufilena, bonæ semper laudantur, amicæ Accipiunt pretium, quæ facere instituunt*; deinde altero disticho interjecto, *Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ*; quod idem significare mihi, ac tantum non geminum esse Ovidii τῆ 'præbere,' et Martialis, 'dare,' videtur. Sed neque alio haud dubie arbitrator respexisse Pelignum illum, cum scribit, 'Quæ, quia non licuit, non facit, illa facit:' id est, proinde uti ego interpretor, 'dat,' sive 'præbet,' facitque sui cupientibus copiam, 'Nec sinit esse moram, si quis adire velit:' motus cum primis auctoritate Senecæ, prorsus unicus ad hunc versum Interpretis, qui ab eodem hac specie adducitur, 'Quæ, quia non licuit, non dedit, illa dedit,' ut verisimile sit glossam apud eundem in ipsum contextum irrepsisse. Quid? quod canit Lucr. lib. IV. 'Nam facit ex animo sæpe, et communia quærens Gaudia sollicitat spatium decurrere amoris.' Hæc, Lector optime, volebam, nescius ne esses.

CAPUT V.

A sententia Mureti discessio. Catullus emendatus. In eodem loci obscurioris enarratio. Judicium factum de Poësi Belgicae Jani Hauteni. Proverbiorum auctus numerus.

EXSTAT inter alia Catulli opuscula elegantissimum quoque Pelei et Thetidis Epithalamium, Poëma vere Heroicum; et quod hercule ego, non dicam dolo, de tot Latinis veterum monumentis, reliquum nobis unum atque unicum superesse existimo, quo fastus ille Vergilianus retundi possit. In eo haud placet nobis Mureti expositio super vocem, *eximie*, in versu illo, *Teque adeo eximie, tedis felicibus aucte, Æmathiæ columen Peleu. Eximie*, id est, Cum alios Heroas compellabo, tum te, 'o Peleu eximie,' ac præter cæteros. Mihi enim adverbialiter positum accipi id ipsum, melius æquiusque videtur, et, *tedis felicibus*, conjungi: quod si admittant Critici, inducendum erit comma ante, τὸ *tedis*, rescribendumque hoc modo, *Teque adeo, eximie, tedis felicibus aucte, &c.* Legitur deinde adjecta hæc clausula, *Clarissime nato*: illepide sane, ac insipienter, uti ego hariolor: proinde non dubito, quin, *Clarissime natu*, hoc est, genere ac natalibus, scriptum fuerit a Catullo nostro. Quanta enim literæ, O, cum, U, ista, quamque antiqua semper intercesserit cognatio; norunt, puto, omnes, quotquot manuscriptos codices manibus aliquando præsentibus, imo oculis hercule haud somniculose usurparunt; unde errorem hunc etiam primitus obrepsisse, lubet credere: adde, quod 'natus' iste, Peleo necdum natus erat, quo tempore hæc ipsa a Parcis, si Poëtæ fides habenda, ad pulvinar ejus geniale canebantur, cui rei fidem facit consequens illa de Achille, etiam tum in oras adhuc luminis prodituro, disertissima vaticinatio, 'Nascetur vobis expers terroris Achilles.' Additurus difficillimi loci ex eodem Poëmate explanationem, videor hercule meo jure facturum, si carmen quoddam nostrum, quo et exemplum, quod dico, et latebra Obscuritatis quæ subest, in apicem ernatur, eademque res omnis, discussa Ænigmatis nebula, me

Ædipo, lucem accipiat denique; in medium aliquando proposuero: quod eo etiam sum facturum lubentius, partim ut hac occasione molliculam, et parum severam soluta serisque oratione explicandi aliquam laboris partem demam ac deminuum mihi: tum vero, ut una pariter opera amici studiis gratum faciam; qui, ut argumenti tam jocos per ludum et joculum carmine non laborioso interpretandi munus susciperem, auctor mihi, potiorque, ut ita dicam, fundus fuit. Is Hautenus meus est, cui omne etiam istud, quantulicunque tandem modi videatur, in hisce tabulis expensum referri cupio. Carmen autem sic habet:

JANUS DOUSA

JANO HAUTENO SUO.

Nempe etiam docti quid significare Catulli

Musa velit doctos omnes certare videmus,

Non te, Jane, modo: Nymphæ felicibus auctum

Cum tedis Thetidique jugatum Pelea scribens,

Mortalesque Deam non despexisse Hymenæos,

Induxit Parcas divina ita voce canentes:

'Non illam nutrix orienti luce revisens

Hesterno collum poterit circumdare filo.'

Et nos hac etiam de re contendimus olim.

Nunc Sphynx omnis abest, animique evanuit error.

Nostra proin' super his quæ sit sententia, quæris?

Dixi equidem, et dico, neque nunc iterare pigebit;

Crede me, ad morsus referendum, et vulnera prima,

Vulnera nocturnæ vestigia dulciorixæ,

Impresso quæ dentē facit furiosa libido:

Unde notæ memores labris colloque
residant,
Blanda admixta solet quas refrenare
voluptas.
(Quando aliter cupidæ non constant
sacra Diones.)
Queis nisi cauta manus medicinam in
tempore faxit,
Mane, novum surgat affectis partibus
augmen,
Mensura hesterni fili porrectius aug-
men;
Hinc tumor, ignari quem demirentur
amici,
Livida signa gerens, succis herbisque
fuganda
Ignotis vulgo: quales te, Delia, quon-
dam
In fraudem ipse suam queritur docu-
isse Tibullus.
Hæccine te, Veneris perhibet quem
fama nepotem,
Aut incognita adhuc usque aut con-
tempta habuisse?
Tene, duodecimo Paphius qui miles
ab anno,
Arma rudi tractare ausus lusoria dex-
tra,
Haud sine Dis, hastæ retulisti præmia
puræ?
Quid? nisi Romani legisses vota Phi-
letæ?
'In morso æquales videant mea vul-
nera collo.
Me doceat livor mecum habuisse me-
am.'
Hæc eadem culti testata Elegia Ti-
bulli:
Hæc eadem Flaccus. Sed tu non tan-
geris istis.
Dum tantum suctus, edentulaque os-
cula laudans,
Absque dolore jocos sequere, et sine
vulnere rixas.
Vix equidem credo, jurato at credere
verum est.
Tu quoque jurato credas mihi; nec
mihi soli,
Jane, tamen, nec tam ipse mei Suffe-
nus ego sum,

Sed Plantinæ inquam Scenæ, Vene-
risque magistro
Nasoni mecum: queis si subscribere
nolis,
Ad partes veniat Cari furor, auxilio-
que
Sit mihi: dum causas, testis gravis at-
que locuples
Exponit, rabies unde illæ hæc ger-
mina surgant.
Quod si nec Cari, nec te mea Suada
movebit
Indocilem, veniam succenturiatus, et
in te
Concibo, vatum quantum est veterum,
atque novorum,
Bembum, Flaminium, Cottam, nos-
trumque Secundum;
Magnum adiutorem, possit qui ferre
secundas.
Copiolisque simul junctis mox te,
quasi Verga,
In suillam cogemus haram concedere
verrem.

Sed quoniam nos in dicerii hujus
nostratis mentionem non quæsitam,
sed casu oblatam nobis, per causam
incidimus; dabimus hoc vel honori
patrii sermonis, vel amicitia, ac ju-
dicio popularis nostri Hanteni, ejus
linguæ callentissimi; et quem penes
unum lyræ Belgicæ, omnisque adeo
Pœscos nostræ vernaculæ, citra con-
troversiam, est principatus; ut, quod
apud nos, Germanosne, an Belgas?
quando Batavos etiam in Germanis
habuerunt veteres, Proverbii vicem
tantum non pueris decantatum ob-
tinet, illud ipsum Latinis quoque au-
ribus, quantum quidem in nobis erit,
familiarè, vel certe notum ex inso-
lente atque ignorabili faciamus. Eam
rem nos locus admonuit. Nos itaque,
quotiescunque significare volumus, de
nihilo esse, quod quis adversus recep-
tam conjuratæ multitudinis opinio-
nem, aut inveteratam communis pa-
triciæ consuetudinem niti postulet sese,
etenim se suasque spes corrupturum
nec voti compotem evasurum magis,

quam si 'Contra torrentem brachia dirigeret,' dicitare vulgo consuemus, 'Als alle de werelt seyt, dat ghy een vercken zijt, en moet ghy niet int schlot?' hoc est, 'Quod si omnes mortales uno ore porcum te perhiberent, num quæ causa siet, quin ad suilis illico seu potius haræ coloniam des nomen?' septuose Parœmia ejusmodi denotantes, nihil tam vel absurdum, vel paradoxum fingi posse, quod non probabile, aut certe verisimile faciat publicæ persuasionis consensus, præsertim, si sollemnis aliqua quasi præjudicio facto, et nescio quæ prærogativa severioris notæ hominum accedat auctoritas.

CAPUT VI.

Dum locorum, quæ in turbido fuerant hæcenus, liquido excolata veritas. 'Magnum mare:' et 'in eo depressus,' quid? Horatius explicatus. 'Supercilium tollere.' Petroniani loci cum Pliniano conlato. Alia quædam.

QUAM multa quotidie in veterum scriptorum tractatione nos fugitant, haud expectantia, dum repetantur! nec tamen abstrusa illa, aut caliginis manifestæ, ad quæ investiganda doctis indoctisque ardet omnibus animus, sed proletaria dico hæc nostra, atque in medio posita: quæ perspicuitatis specie incogitantes nos fallunt: in quo lustro, nisi ipse me fallo, censeri poterit et clausula illa Catulliani Epigr. in Thallum, *Et insolenter æstues, velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento.* Quibus verbis ipse aliquandiu otiose, et sine ulla ambiguitatis suspitione perfectis, vix tandem sensi stolidus, vere nimis et quasi ex tripode illud a Comitorum principe prolatum esse, 'Qui e nuce nucleum esse vult, frangit nucem.' Itaque ne usu porro idem veniret mihi, quod Nasidieni apud Horatium convivæ ad 'ingustatæ Passeris, ac rhombi ilia, aves, conchyliæ, pisces, Longe dissi-

milem noto celantia succum,' miserime hallucinanti; Petronianum tandem illud, 'Hic nescio quid boni debet esse' mecum et cum animo meo institi cogitare, donec, putamen ipsum persecutus, inveni non pinguis- simam quidem ficedulam, sub ovo pavoninum in modum ex farina pingui figurato latentem; sed vero sub involuero Epitheti, ut apparet, simplicissimi lantioris sententiam abstrusam: Epitheti inquam magno, quod mari attributum videmus, non sine elegantissimæ specie, oppositum quasi alteri illi τῶν minuta scilicet, quo 'navim in tempestate depressam' jam antea affecerat Catullus. Atqui hoc 'minutum:' illud pensius paulo, ac subtilius magno mari, hoc loco non pro immenso, ita ut vulgo sumitur, sed pro turbulento, valideque fluctuanti, vehementiusque ventis commoto, positum videri: interpretatione a Crispi elegantissimi petita, ita in Jugurtha de duarum in extrema Africa Syrtium natura prædicantis: 'Impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terræ præalta sunt; cætera, ut fors tulit, alia alta' (emendo, *alias*) 'in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse, et sævire ventis cœpit,' &c. Unde intelligere posthac erit principium libri secundi in Lucretio, 'Plinius, et multo certa ratione magis, quam,' vel ex Lambini Commentariis, vel etiam Gifanii Indice. qui hac de re ne 'mu' quidem Lucillianum; alias argutissimi. Scires utrumque in Sallustiana lectione quamvis negligerent fuisse. Locum quem dico, sic habet: 'Suave mari magno, turbantibus æquora ventis.' Quo etiam referenda dicti ejus raritas ac venustas, quo 'navis, in magno hoc æstu depressa,' describitur a Catullo: docte atque ex re traducta metaphora in mari periclitantibus convenientissima, iis maxime, quorum navigationi vesanientis venti desubito objecta superne incubuit tempestat. Probo

ex eodem Lucretio lib. vi. canente, 'Quam freta circum Ferviscunt graviter spirantibus incita flabris: Et, quæcunque in eo tum sunt deprensa tumultu Navigia, in summum veniunt vexata periculum.' Sed neque expers elegantiae istius unicus ille (vel Tacito teste) elegantiae arbiter, in Poëmate illo vere Heroico, 'Præterea gemino deprensam gurgite prædam Fœnoris ingluvies, ususque exederat æris.' ubi 'usus,' pro 'usura' usurpatum suspicari lubet. Horatius quoque simplici pro composito ausus est uti II. Od. 16. 'Otium divos rogat in patenti Prensus Ægæo, simul atra nubes Condidit Lunam,' &c. 'prensus,' enim pro 'deprensus,' positum: hoc est, subito, et velut ex insidiis circumventus a tempestate derepente coorta; quasi dicas interceptum: quæ si propius penitusque explorata Interpretes nostri habuissent, censesne hos unquam eo se incogitantia fuisse demissuros, ut 'prensus,' 'captus' interpretarentur? Quid? an non satius fuerat, Veteris Commentatoris sententiam sequi, hujusmodi verbis conceptam? 'Prensus; bene prensus, quasi naviganti mare sit insidiatum sereno.' In qua interpretatione bene omnia præter, rō 'bene,' habere videntur, quod ad maritimam prehensionem istam quid faciat, nescio. Mihi certe haud mediocriter de mendo suspectum: neque adco dubito, quin 'pæne prensus,' non 'bene,' scripserit explicator; idque admodum suo hic fuerit loco, utique ad opinionis nostræ stabilimentum. Addamus et alteram metaphoram non minus Romanam, ex Elegia illa Satyrica, hoc est, examussum Catulliana: *Præterea addebat quendam, quem dicere nolo Nomine, ne tollat rubra supercilia.* Facete: solennis enim minantium hic, atque excandescentium habitus, etiam a Plauto expressus in Milite, 'Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio

spicit?' neque aliud sonat Parœmia illa poëtica, 'Deme supercilio nubem:' id est, asperitatem ac tristitiam. Eadem fastus et superbiæ sedes. Petronius de Ascyli transfuga, nimium delicato puero Gitone, 'Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit; nec amoris arbitrium ad alium judicem tulit.' Cujus rei explanationem a Plinio petas licebit, lib. xi. c. 37. 'Frons et alii; sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In ascensu ejus supercilia homini et pariter et alterne mobilia: et in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, huc pendet.' De 'fronte' addidi, Juvenalis causa maxime, quo videlicet pervolgatum illud ex Pliniana consideratione planum facerem, 'Fronti nulla fides;' sed et Martialis, 'Nolito fronti credere: nupsit heri.'

CAPUT VII.

'Visum ducere ad aliquem.' 'Obdurrare se.' 'Myrmicæ incedere.' 'Ex tua libidine.' 'Urbs oblitissima,' perinde dicta, uti, 'Oblitum lupanar:' ejusdemque Epitheti suppositione Iambi unius correctæ pravitatis. 'It abit dies.' 'Cælestes heri,' pro 'Dis superis.' 'Eosdem pacificare.' 'Pura' et 'Spurca' opposita inter sese. Catullianæ sententiæ illustratio a Plauto, alterius explicatio præter opinionem Mureti.

Varus me meus ad suos amores Visum duxerat e foro otiosum. Antiquæ. Veteres enim, 'viscre ad aliquem,' dicitabant; id quod ex prisca comœdia clarum: *ad suos amores*, igitur non a Præterito verbo *duxerat*, verum a Supino potius rō *visum*, in constructione, ut Grammatici perhibent, regitur. *At tu Catulle destinatus obdura.* Sic doctissimus Scaliger, sic Muretus;

et nescio, an melius Turnebicum illud, *At tu, Catulle, obstinatus obdura*. Ut ut est, ego vero, *obstinatus*, retinendum autumo, eo obstinatius, quod ejusdem vocabuli iteratio præcesserit antea versu abhinc nono, 'Sed obstinata mente perfer, obdura.' Et fortasse Poëtam nostrum scripsisse, *At tu, Catulle, te obstinatus obdura*; eapse loquendi forma, qua idem usus postea, 'Quin te animo affirmas teque astringisque, reducisque.' Sic 'durare cor' Plant. 'animum' Ovid. 'Mentem' Tacitus. *Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis Turpe incedere, mimice, ac moleste*. Nihili est id quidem, atque adeo plane 'mimicum.' Nam *myrmice* rectum est et sanum: utque Plautus 'Formicinum gradum' vocat, sic hoc loco *myrmice incedere*, nil est aliud, quam (quod dicitur) vix pedem pedi præferre, et moleste ambulare; idque recte a doctissimo Mureto animadversum. Huc appone ex Martiali, 'Crusculum formicæ,' vetulæ item multo putidissimæ attributum. Legitur eodem Carmine, *Pudica et proba redde codicillos; εἰρωτικῶς* quod et in Epodis imitatus Horat. 'Tu pudica, tu proba Perambulabis astra sydus aureum.' Sic tibi bonus ex tuapons libidine fiat: id est, ex animi tui sententia: loquendi modus Sallustio (uti apparet) in delitiis habitus. *Eone nomine urbis opulentissimæ, Socer generque, perdidistis omnia?* Exclamare lubet cum Catullo nostro, 'Quis hoc potest videre? quis potest pati?' ut sic pravo talo fultum Hemistichium inter tot rectos ac meris Iambis subnixos numeros locum habeat? Pudet certe, pigetque patientiæ tam projectæ. Quod enim hac ipsa, quæso, lectione perditus? Ego itaque, pace Commentatorum quod fiat, non dubito, quin *Urbis oblitissimæ*, a Catullo scriptum fuerit; ut Urbem flagitiis, ac libidinibus, omnibus probris denique oblitam cooperitamque significet; id quod Pom-

peii potissimum ac Cæsaris comitate evenisse videri cupit Poëta; qui principes discordiis intestinis causas præbuerant, ad Mamurram, cæterosque id genus nepotes, qui nisi malo publico salvi esse non poterant, non solum provinciarum spoliis, verum etiam præda civili acerbissima, et proscriptorum bonis explendos: quo? nisi, cum Plauto dicam, 'Luxuriæ sumtus suppeditare ut possient;' homines et suæ, et alienæ pecuniæ iratissimi. Occasionem novæ correctioni huic nostræ primitus Antverpiensis Editio præbuit; ad ejus oram hoc loco pro, *opulentissimæ, opplitissime*, legebatur. Favet etiam conjecturæ meæ ejusdem Epitheti usurpatio in lepidissimis illis Hendecasyllabis comparens, quibus mæcham nescio quam, turpem certe ac putidam, Poëtico quasi pipulo dilatam, pugillaria sua reflagitat postea. Sic enim ibi, *Non assis facis, oblitum lupanar, Aut si perditus potest quid esse:* nisi cui hic potius magni illius Scaligeri sententiam sequi consilium est, emendantis ex Plinio, *Oblitum, lupanar:* qua de re Conjectanea ejusdem, qui volet, consulto.

In Epithalamio Juliæ et Manlii scribitur, *Sed abit Dies, Prodeas nova nupta*. Confine hoc Plautino illi, quod habes in Pseudolo, 'It Dies: ego mi cesso, i præ puere.' *Accepta frustra: nondum cum sanguine sacro Hostia calestes pacificasset heros*. Hemistichium istud postremum nove, ac præter morem suum, a Catullo mutatus Ovidius, quum scribit, 'Mica salis puri pacificabat heros.' *Sed nunc id dulce quod pura impura puella Saria conjunxit spurca saliva tua*. Docte, et pure: pura enim et spurca quodammodo inter se opponi gaudent. Plant. Asinaria, et ipse proprietatis in verbis retinentissimus, 'Si forte pure velle habere dixerit, Tot reddat spurcas, quot puras habuerit.' *Firmano saltu non falso Mentula dives Fer-*

tur; qui tot res in se habet egregias: Aucupia, omne genus, pisces, prata, arva, ferasque. Nequicquam: fructus sumtibus exsuperat. Hujus clansulæ sententia Plautino a nobis testimonio illustrabitur. Sic enim idem Pænulo, 'Nam pro herili nostro quæstu satis bene exornatæ sumus. Non enim potest quæstus consistere, si eum sumtus superat.' In te, si in quenquam dici pote, putide Vecti, Id quod verbosus dicitur, et fatuis. Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis Culos et trepidas lingere cercolipas. Ad quem locum Muretus, 'Quæcunque,' inquit, 'in verbosus fatuosque dicuntur, ea in te omnia dici queunt.' Atqui non hoc dicit Catullus: quidnam igitur? Si in alium quenquam, unice in Vectium certe convenire scilicet, dieterium porro illud, quod in sequente mox disticho continuatur, nimirum, *Ista cum lingua, &c.* non vero omnia, quæ in verbosus fatuosque dici possunt, uti Mureto placet, nihil mehercule minus. Hoc enim convicium in ejusmodi buccorum genera, qui quidem insulsi impendioque loquaces essent, jaci vulgo ac torqueri solitum, manifesto ex hoc Catulliano Epigrammate docemur. Atque ita mediū, id est, secundi distichi sententia a primorum versuum deductione pendebit; puncto, quod, τῶ fatuis, latus claudit, expuncto: atque ejusce vicem colo quasi succidaneo subdito.

CAPUT VIII.

Publica in Cicerone lectio defensa pariter, ac declarata: tum Velleii Paterculi locus, pessime hercule affectus usque adhuc, idemque nunc Catulli ope persanatus primulum.

Temperare mihi ipse haud possum, quin locum quendam Tullianum, 'Catullianæ arcæ' occasione maxime, sagacius paulo excutiam atque investigem. Eam rem nobilissimus nos Interpres commonuit, qui ad Phaleucum illum Poëtæ nostri, *Furi, quoi neque*

servus est, neque arca: fidei, opinor, causa, testimonium nobis Ciceronianum in antepositum Commentariis inseruit suis, ex quadam ad Pætum Epistola decimo ejus voluminis libro petitum, et hoc quidem exemplo, 'Nos jam ex arcis tantum habemus, ut Verrium tuum, et Camillum, qua munditia homines, qua elegantia? vocare sæpius audeamus:' falso, atque alieno loco, sicuti ego existimo; qui vulgatæ scripturæ, immeritissimo oppressæ, liberali causa vindex atque assertor venire cogito. Ea autem sic habet, 'Nos jam ex arcis tantum habemus,' &c. Examussim optime. Quid enim? 'Arcis,' hoc loco, haud quidem pro 'tritura, quæ fit in arcis,' cum Ascensio: sed vero pro, 'pulvinis,' interpretor: quæ eminentior in hortis terra est, in qua semina depanguntur: ea enim, vel Columella teste, 'areola,' sive 'area' vocitatur: unde et 'informare areas,' lectum apud eundem; ut per joculum et ludum solens significet Cicero, ex arcis, hoc est, pulvinis hortorum suorum ita uberem ac lætam fungorum, helvellarum, omnigenerum herbarum, ac fructuum denique, se quasi messem atque annonam quendam recipere instituisse, ut jam obsonandi magistrus etiam, hoc est, lautissimos, et ad Genium quamvis sapientissimos convitatores, ad cænam porro vocitare identidem haud verecundetur scilicet. neque vero mirum cuiquam videri debet, cur ganeatorum ferculorum, quibus macelli annonam exandefaciunt magnæ mandonum gulæ, ac quæsitissimis illis cupediarum scitamentis quasi pro derelicto habitis, ne dicam, ejuratis penissime; nil præter parables, imo inemtas dapes, hoc est, apparatus vere Pythagoricum, quod genus, δειπνον αἶμα οὐκ ἔχον, indignant Græci, quasi de horto, haud de foro obsonans, in tam gloriosa cænularum snarum prædicatione meminerit Cicero: quippe cui etiam-

num recens illa necdum antiquatæ Juliæ legis continentia penito in animo hæserat: Sumtuaræ dico, qua præter 'miselli illius at Lucilliani Centussis' impensam macellariam, imo ducenos æris tricenosque, etiam hortensia insuper universa, olera, ac legumina p̄ta, cujusvis generis, usui atque esui publico concessa videbantur: nihilque, modo sanguinis expers quod foret, ulla Legis cautione exceptum; hoc est, in jus vocari vetitum, Catianum dico, haud Papyrianum: quam quidem Legem Tullius noster migrare cur vellet, causa visa est nulla; adultam præsertim, nec minus prerogativa tot quasi præcidanearum Legum, in quibus præcipuæ Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Æmilia numerantur, auctoritate, imo præjudicio, quam publico usu atque observantia, jactis altissime radicibus munitam corroboratamque; ne Epulis quidem, aut Collegiorum Cœnis exceptis: quas cæteroque innumerabiles seculi sui aenonam immensum flagellare, ac tantum non incendere solitas, merito hercule conqueritur Varro. Argumento, quod dico, haud inani fuerit, p̄nto, alter Ciceronis locus, ex libro ejusdem operis septimo ad Gallum familiarem suum. 'Lex sumtuaria, quæ videtur *λίσθητα* attulisse, ea mihi fraudi fuit; nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. In eas cum incidissem in cœna Augurali apud Lentulum,' &c. Quod quidem exemplum mirifice ad hujusdem loci illustrationem conducit: quam rem si curiosius aliquanto indagassent Tulliani Enarratores, nihil profecto opus fuisset, seque ac membranaceos Codices tot pugnantium sententiarum struicibus, tamque indefessa contentionum pervicacia fatigare: partim, 'ex arcis,' (uti diximus); aliis, 'ex

artis,' seu potius, 'et artis;' nonnullis etiam, 'ex te artis,' ne Ciceronis quidem causa reveritis conscribillare: quidvis potius denique, quam, 'areis,' consentibus retinendum.

Atque hactenus quidem 'disertissimo Romuli nepotum,' Patrono Catulli, inquam, in gratiam Poëtæ clientis sui, auxilium latum: nunc vitio nobis vorti haud debet, si pari studio ad Velleium itidem adjuvandum, nostra quidem ex parte pro virili adnitamur, operamque addamus: ilque alterius Catulliani exempli opportunitate adjuti maxime, quo in Cominium scribit, 'Effossos oculos voret atro gutture corvus.' Nam quis, obsecro, hinc non videt, recte a nobis emendatum jam olim insignitum quendam hujus Historici locum? in quo funestissimum illum Romano nomini pugnae Pharsalicæ diem, fugæque et necis Pompeianæ causas deploret: meritissimo hoc insuper Elegio Magnum illum, quamvis eapite jam diminutum, honoratum dimittens, 'Et collisa inter se duo Reip. capita, effossumque alterum Romani Imperii lumen.' Quis, inquam, ita lolio victitans, ut recte atque ordine, 'effossumque,' a nobis emendatum non perspiciat illico? Persistit enim in metaphora rite instituta Paternulus: et quid grave si post tam furiosam duorum valentissimorum capitum collisionem, alterius oculi (hoc enim 'lumen' est) cruenta effossio, atque (ut sic dicam) exoculatio quædam partem imbecillioem sequatur? At in Germanicis hodie, tum Italicis Editionibus, 'effusumque' legitur: unde Manutius, quum se satis ex sententia expedire non valeret, 'extinctum' nobis exterebravit tandem: atque istuc timide, et pudenter tamen; nec de mendo saltem (sicuti ipse fatetur) pro comperto ausus adseverare: quippe qui Velleium non optimum esse Latinitatis auctorem Romanæ Historiæ candidatis persuadere se præoptave-

rit potius, quam de loci superioris integritate in ambigua litem descendere; quasi vero difficile admodum fuerit ex 'effusum,' 'effossum,' exsculpere; ei præsertim antiquario, eni post tam assiduam ac diligentem librorum Veterum tractationem, ignara esse non potuit, Vocalium istarum, U et O, scilicet promiscua usurpatio, operas inter se quasi mutuas tradentium, ac subinde pro re nata, vel potius arbitrio exscriptorum stationem commutantium vicissatim.

CAPUT IX.

Catullus saltuatim percursus.

Reliquiarum hoc Capite reliquias colligere decretum est mihi, non quidem distincte, aut cum cura, sed vero confuse, ac tumultuaria opera potius, in qua ordo sit nullum servare ordinem. *Irascor tibi sic meos amores Paulum quidlibet allocutionis, Mæstius lacrymis Simonideis?* Ita hæc distinguenda arbitrator, interrogationis nota non post amores, illico, verum sub ipsum usque Epigrammatis finem, puta, *lacrymis Simonideis*, transscripta: neque eo tamen sequius viris eruditus subscribere stat sententia; quibus genus istud orationis concisum esse et ἁλλειπτικὸν placet; ad indicandam vim et magnitudinem doloris scilicet: hætenus quidem, nam quod iidem isti prioris Phaleucii clausulam interpretantur hoc modo; Siccine meos amores a te parvi fieri, ut meliorem mihi consolationem nullam adferas? &c. Pace tua liceat nobis, Murete, profari; Nescio qui sensus non placet iste mihi. Nihil magis utique, quam altera illa unici Interpretis transpositio, *meos amores*, ad Poëtæ catamitum accommodare visi, quem mæstum allocatione sua Cornificius solari neglexisset. Quid enim? non Catullum, puerumve ejus, sed vero Cornificium ipsum notari existimo, in hanc sententiam, *sic meos amores*: subaudi, 'Te, quem mehercule ego in

amoribus meis habeo;' seu, 'qui in amoribus ac deliciis es mihi:' *Paulum quidlibet allocutionis*, scilicet ausum denegare mihi, ejus ego cupiens eram maxime? neque mirum, in tanta animi corporisque ægritudine positus scilicet, *An, continenter quod sedetis insulsi Centum, aut ducenti, &c. Continenter*, id est, ordine perpeti, et quasi in lineam continuatione frequentes; vel potius, spissiore velut orbe factio in unum pariter conglobati, quasi in Velabro olearii de compacto gerentes omnia. *Nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus In fossa Liguri jacet supernata securi, Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam.* Haud absimilis huic et argutia illa hyperbolica, in re prorsus gemina, apud Martialem meum: 'At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis Adjuvat: absentem, narmoreamve putes.' Ad ulteriora vero gradum aliquando capessamus. *Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.* Bene, hoc ipsum Muretus ad Tibullianum illud accommodans, 'Ima videbatur talis illudere palla:?' pro, *identidem percutere*, interpretatus est nobis: bene, inquam, proprieque, nec vero antique minus. Quid enim aliud Plaut. Mostellaria, ubi herum suum Theuropidem mero etiam meridie caligantem percontatur Tranio? 'Viden' pictum, ubi Indificatur cornix una volturios duos?' Nam quamvis eo loco servus multo nequissimus Comicos senes duos, quos risus movendi causa 'volturiorum' nomine quasi digito designat, ludos fieri, hoc est, illudi probe, frustra que a se vaserrima cornicula haberi, sic tanquam δι' ἀνιργμῶν significet; in aliam tamen partem percontationem suam accipi a Theuropide postulat Tranio; et bardum illum, τὸ 'Indificatur,' pro 'ferit,' 'appetit,' 'vellicatque identidem rostro,' quasi serio a se, haud joco quæsitum interpretari: unde Catulli, 'abludere' istud, item Tibullianum 'illudere,'

non nimium sane abluisse videri possunt. Neque hujus elegantiae raritas unum et unicum illum de Poëtis popularibus, Secundum cognominem meum dico, subterfugit; qui campse illam, per causam descriptionis Elysiorem, Basis suis insertam venustissime visus est usurpare. Sic enim inibi, 'Qua violisque rosisque et flavicomis Narcissis, Umbraculis trementibus, Illudit Lauri nemus et crepitante susurro Tepidi suave sibilant Æternum Zephyri: nec vomere saucia tellus Fœcunda solvit ubera.' Et haectenus quidem Secundus meus: nunc, in Catullo quod reliquum est, persequamur. *Ille Lesbiam, quam Catullus unam Plus, quam se atque suos amarit omnes.* Idem hoc propemodum cum illo, 'Quam te cum tota gente, Catulle, tua.' In clausula porro Elegiae ad Ortalum, *Atque illud prono præceps agitur decursu: Atque, pro 'statim' positum accipio: id quod ex Euniario illo perspicue planum, 'Atque accedit muros Romana juvenus:'* quomodo etiam Maronis illud intelligendum, 'si brachia forte remisit, Atque illum in præceps prono rapit alveus amni,' docuit nos jam pridem Gellius lib. x. cap. 29.

In illa autem poëtica, ac Catulliana detestatione, admirabilem Scaligeræ industriæ indolem, vellem equidem pro rei dignitate satis laudare ut possem; primitus in locum *Χαλύβων* antiquam vocem, *Sicelicum*, civi suo restituentis; examussim doctissime; ac pro cultris tonsoriis interpretantis, tralatione aptissima. Nam sicuti, 'prata siceliri,' a Varrone dicuntur, tunc enim 'sicelice,' id est, sicula, seu falce a fenicis præterita consecantur messores; eo usque, donec omnem quasi herba tuberosum relictum attonderint usquequaque, ac purum reddiderint tandem; sic et 'capitis exuvias,' si quando bidente forcipe, hoc est, cultro tonsorio, novaculam quam perhibent, sive strictim, sive adeo per pectinem demetuntur, vel

attendentur, 'sicelire' dici quid velat? crines dico, pratorum instar subinde luxuriari, ne dicam regerminare solitos in tempore.

Neque minus erudite Interpres, quem dico et vere Scaligerum in morem, Elegia ad Manlium, aptissimam ex ineptissima nobis sententiam concinnavit correctione istiusmodi: *Set tuus altus amor baratro fuit altior illo, Quod Dicum domitum ferre jugum docuit. Dicum*, pro ipso Hercule simplicissime ausus interpretari: ejus Scaligeræ lectionis testimonio corrobore quid attinet, cum Catullus ipse haud dissimiliter hac voce usus, in Nuptiis Pelci et Thetidis liquidissime convincatur? verbi causa, 'Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes Accipient læti Divum fumantibus aris.' 'Divum,' absolute, pro Libero patre, in Divorum numerum legitime adscito adscriptoque. *Furi, villula nostra, non ad Austri Flatus opposita est, nec ad Faroni.* Placet scripta potius lectio, de qua benigne mihi gratiam fecit solens, unico magis unicus Lipsius meus; ex Romano, opinor, Codice depronta primitus, et quidem ad hanc faciem: *Furi, villula rostra, &c.* Quis enim ambigat porro, quin idem hic sit Furius ille, cui perpetuæ passim ignominiosæ paupertatis maculæ a Valerio nostro inusta? *Nam quo tempore legit inchoatam Dindymi dominam, &c.* In eoque illo, si recte commemorini, codice, *entheatum*, legebatur, non *inchoatam*; et probe fortassis: nam et Martialis, 'Cum furit ad Phrygios enthea turba modos:' item alibi, 'Nec turba cessat entheata Bellonæ.' Ex eodem porro exemplari, *Num te lacteolæ tenent papillæ?* pro *puellæ*, Lipsiana fide transcriptum accepimus: ejus rei explicatio a superiore illa urbanissimæ puellæ monstratione petenda, 'Quædam nitidum sinum reducens, En hic in roseis latet papillis.' Etiam ab illius loci scriptura, *Deprendi modo pupulum puellæ Trusantem:* SCORSUM:

longe Fulvianus codex sentiebat, *Crissantem*, altero versiculo nobis visus repræsentare, non *Trusantem*. Lucillius, 'Crissabitque, uti si frumentum clunibu' vannat:' item Martialis cum Juvenale suo passim, haud semel; quorum exemplis citandis supersedeo, 'Ne sit, Hypercriticis lumina cur doleant. Per quos prisco etiam nunc scribere more vetamur, Nec fas Romana simplicitate loqui.'

Quod superest, quid vera, amabo, lectione illa proletaria invenustius, inficetiusve? *Quis me uno vixit felicior, aut magis hac est Optandus vita, dicere quis poterit?* quam et Lipsii et veterum Librorum comitate potissimum, me porro interprete facetiis suis ac pristina venustati hoc modo restitnas licebit, *Quis me uno vixit felicior? aut magis ista hac Optandam vitam dicere quis poterit?*

Et ille nunc superbus, et superfluens Perambulabit omnium cubilia. Superbus, et superfluens, hoc loco, non tam ad immoderatum animi fastium, atque insolentiam, quam ad ea quæ sequuntur porro referenda autumo: ad elationem fascini scilicet, in bellissimam quamque femellarum impetu facto, 'Vim illam Lucillianam evomentis promiscue;' atque in omnia omnium cubilia, nulla aut matronalis stolæ, aut dignitatis suæ habita ratione, temere ac passim ingerentis et penetrantis sese: atque eo in hanc sententiam sum proclivior, quod cum superbia ista penita superfluentiam conjunxerit Poëta: quæ tametsi prima fronte pro vitio, quod dixi; vel etiam pro infami fædeque prodiga pessime partarum opum effusione, posita videri possunt; tamen rem ipsam penitus inspicienti, facile opinor, fuerit considerare, Valerium hunc nostrum non alio, quam ad plena et quasi prægnantia Mamurræ vasa, ac locorum ejus multo semine turgentium proliuviem in primis respicere voluisse.

JANI DOUSÆ

NORDOVICIS

PARODIA,

Catullianis numeris, de ejusdem Phaselo adumbrata.

In effigiem Rosillæ defunctæ.

Et os, et ista, quæ vides, labellula
Ferunt fuisse pyxidem Dioneam,
Ubi reposita margarita conderet:
Neque ullius Deæ aut puellæ hono-
ribus

Nequisse prænitere, dum quidem, sibi
Opus quod esset, omne promittendi:
dem:

Et ipsa facta se venustior Venus
Bonis clientæ abutitur quasi suis;
Bonis, quibus fuisse rarius nihil;
Nihil pote esse carius mihi, aut iis,
Quibus madere rore Cyprio placet,
Suavisque vinulis, venustulis
Corrigare, nomine hand suavibus
Modo, sed et reapse; sive quem tre-
mens

Labante voce sub susurro amabili
Juvat querela sive flammeum jubar,
Fragrantiaque mista vis fragrantia.
Et hoc negare Gallicum sinum negant
Ligustici sali insulasque Stæchadas;
Ubi ista, post labella nata basiis,
Coralla lucida ante, dos Salaciæ,
Thorum qua adepta regium; ac Tha-
lassicum

Decus fuere: templa cujus hand se-
mel

Novo superba reddidere murice.
At erro: nec coralla enim ista Gor-
gonis;

Odor, colorque sed fuisse comprobatur
Roseta; quæ nepote Dardano Venus
Super Cythera vecto, et aura, et os-
culis

Suis refecta spiritu induit novo;
Rosillulæque suavio addidit mæx.

Jocose, Donsa, basiis ovans tuis,
Tibi hæc fuisse, et esse cognitissima
Et os, et ista clamitant labellula,
Tua bilingua arte facta primulum,
Tuis rude imbuisse suavis jecur

Fatentur illa, sucta, pressa mordicus :
Et inde basiandi amore percita,
Redhostiente contra amore, nescio
Quid addidisse disciplinæ luic novi.
Ita hercle docta visa, seu bilingui
opus

Prehensione, seu tremente sibilo,
Loquacibusve morsiunculis foret.
Sed hæc prius fuere, dum quidem
(ah) tibi hic

Fuit Rosilla ; nunc quæ in orbe Cy-
prio

Suis minora facta poela de labris
Jovi, Deisque Nectare uda temperat,
Phryge abdicato ; ovansque se dicat
tibi,

Cupidinum Dea, et Deo Cupidini.

ELEGIA

Ad ejusdem Catulli exemplum con-
cinnata potissimum.

De septem, mihi quæ Charite dare
dixerat, unum

Hesterno rapui vespere suaviolum.
Suaviolum, in cujus lepidum cœvatus
odorem,

Tunc quoque pro dulci Juppiter
ambrosia est.

Haud impune tamen : nam quo me
tempore primum

Impulit in tantum mens malesuada
nefas ;

Hicet ex illo Charite me pejus habere
Semper, et hei misero velle loqui
abnuere.

Nec satis : et multam hanc mihi di-
cere pessima, pactis

Suaviolis porro in perpetuum ut ca-
ream.

Suaviolis egon' ut caream sic suavi-
bus usque ?

Quid ? si me una opera se quoque
amare vetet ?

Obsequar ? at, rogo, qui possim ? pos-
sim ? imo, velim ? imo

Di melius, quam unquam tale sce-
lus faciam.

Imo, morisatus : possum quoque luce
carere hac,

Possum oculis, Charites mi oscula
dum superent.

Ire igitur ; quæque ex sponsu mihi
debita restant,

(Sex ea sunt,) exambire operæ pre-
tium.

Certum est ; nec pretio, aut operæ
stat parcere : verum, hei,
Deterius mihi quid ne eveniat, pa-
vito.

Et metuo, et Dominam cupio metu-
isse videri :

Utrum, Amor, ah ! faciam, des ro-
go, consilium.

Audiit, ac risit Veneris puer ; et mihi :
Sic te

Rebus in adversis esse hominem ti-
midum ?

Quid faceres : si non foret exorabilis
illa ?

Quid faceres, Charite ni tibi nota
foret ?

Quare age nunc promissa tibi fac
basia solvat ;

Teque intra dentes ac labia insi-
nues.

Quod metuas non est : auso Venus
ipsa favebit ;

Omninoque tibi, quæ cupis, eve-
nient.

Quin licet et linguam penita intra
guttura coudas

Nunc Charites, verbum non faciet
Charite.

Addamus, propter argumenti simi-
litudinem, hoc etiam Epigramma, Sua-
viorum Libro, sicuti et superiora,
connectendum.

Ad Idam.

Quid rudia, aut modo lota mihi suda-
ria mittis ?

Rore uda, et succis linteâ malo tuis.

Quin et mucceinum quondam fieri im-
probis opto :

Dum tamen, Ida, tuis usque terar
manibus.

Scilicet ut pressas simulanti emun-
gere nares,

Osculer hinc oculos, inde labella
tibi.

Altera ejusdem Parodia Catulliana.
In Felles literarias.

Tagax Laverna, vosque Flamines,
quantum est,

Deæ tagacis, literariæ Felles :

Solis putatis esse literas vobis ?

Solis licere, quicquid est vetustatis,
Interpolare, et ire perditum ex ves-
tra

Lubidine, ac putare cæteros blennos ?
An, mutuas quod tradere invicem in-
ter vos

Jurati opellas, clamque habere fur-
tivas,

Silicernii in morem a silentibus cre-
tas,

Hæreditates; non putatis ansurum
Flagitia me nudare scilicet vestra ?

Pellemque qua grassamini Leonina,
Introrsum aselli, voce proditis ipsa,

Detrahere vobis, mimicamque perso-
nam ?

Atqui putate: nam quid? Hippo-
natao

Præconio omnes, quotquot estis, ad-
dictos

Plagii agam, in ipsa noxiaque de-
prensos

Manifesto, Fures me tenere, clamabo.
Hinc nomina apud Triumviros sicut,
faxo

Vestra, Capitales dico, non Mone-
tales.

Vel eo usque donec furta ab unguibus
vestris

Reglutinata viderim manus lævæ.

Pomona namque, quam novissimis
cæris

Pater ipse, Pisonum ille flosculus,
frugi

Moriens jugandam liberalibus tedis,
Nobis reliquit, virginem, atque sig-
natam

Velut hostica vi capta servitumque

Duellico jure, heu, coacta servire

Ingenua civis, haud probe pudiceque

Servatur istic, hancee conscii quique
Ad vos trahentes, Pentheum velut
Bacchæ,

Vexatis, rapitis, oppido quasi ves-
tram,

Vestram usu factam, pessimo hercule
exemplo.

Bellissimum quodque hinc et inde
sublectum

Quo jure, etaque injuria catillantes.
Sacrum, profanum, publicum sit, an
privum

Sus deque habentes: et quidem,
quod indignum est,

Omnes patellari, imo semipagani

Modo, hordearii que Literatores :

Tu præter omnes, alpha Leguleiorum,
Larane, quem inter bustuarios Verres

Plumis adumbratum, et colore furtivo
Autumnitas Pontana nobilem fecit,

Notisque Transrhenana inusta frons
Gallis.

Ne sequentes pagellæ vacarent sci-
licet, placuit in gratiam Poëtices stu-
diosorum maxime et alia nonnulla
Epigrammata huc nostra subtexere :
Nam sane et hæc de Vate Lesbiæ ant
certe

De Martialis formulis adumbrata.

Ad Justum Lipsium.

Inteream, si non aut ad te scribere,
Lipsi,

Aut legere usque abs te scripta,
lubido mihi est.

Sed spatium est ingens, hominum nec
copia Leidæ

Certorum in mundo quotidiana
mihi.

Inde fit, ut quamvis mandem tibi
mille salutes,

Ex tot reddatur vix tamen una tibi.
Nedum ut Lovanium quis perferat
usque tabellas,

Tam procul a Rheno, tam procul a
Batavis.

Et merito: quid enim scrutis in-
cedat onustus

Quisquam, onere abjecto cui vacuum esse licet?

Et miraris adhuc, dederim quum quinque tabellas,

De quinis ternas deperiisse tibi?

Ut tamen accipias, me non piget has dare centum;

Ut non accipias, tres dare, Juste, piget.

De Hircano, ad Janum Hautenum.

Perenni servus ille compedum tritor,
Illiterato illiteratior Santra,

Nec musicam, nec nare doctus Hircanus,

Dici ac videri literatus adfectat.

Reperitque fungos porro, ita esse qui credant:

Ut concolores convolant aves semper,
Similesque amant habere labra lactucas.

Quidni? Magister Artium ad Nicrum quondam

Elementa terna nectere ausus Hebræa.

Unde ille, Boiarum, heu, colonia effracta,

Profugus malum ad nos attulit pedem porro,

Uti semi-Rabbi Literator audiret.

Et ei tumorum hunc, papulasque ventosus

Immane quantum plane Cynthia inflavit,

Lunaticæque cornua addidit fronti:
Ex quo sacrum illud Carmen edidit nuper,

Plenum veneni et pestilentiaæ Carmen.

Sibi vel secundum ut esse non putet quenquam,

Nec literatiorem in urbe Lugduno.

Quid imprecabor falsa, Jane, persuaso?

Hoc opto, reapse Literatus ut fiat.

Ad Abrahamum Ortelium.

Doctrinarum orbem quis te neget ab solvisse?

Terrarum certe Sphæra peracta tibi est.

In Creticum.

Posse mihi bene te facere, et velle omnia jactas:

Nec facis: an levius dicere, quam facere est?

Haud puto; namque potes, cupias tantummodo; verum

Invidia est, quæ te munificum esse vetat.

Largitrix quo lingua mihi si mortua res est?

Nosque opera et factis fallere cura tibi?

Prompto animo, non lingua opifer spectatur amicus.

Posse tuum nolo, Cretice, velle volo.

De Rufo nescio quo, cognomento Artoerca; ad Bellavosinum Legatum Galum, F. N.

Legatis peregre missis dare lautia quondam

Æterna prisci moris in Urbe fuit.

Sic quoque nunc Rufus offert, sua lautia, Carmen

Non intellectum, Bellavosine, tibi.

Ille sibi contra, quos clare intelligat ipse,

Nummos pro numeris, Bellavosine, petit;

Non ex ære quidem, sed quo flavescit Hydaspes:

Tum stupidus nunquam nec, puto, Glaucus erat.

Aurea dona aliquis pro fæce ac stercore poscit?

O Cynica improbitas, o sine fronte caput.

Sed valeat quæris, quæ des responsa molesto?

Dic te, dic, tanti non emere Artocream.

Noræ Batavicaæ Monetæ inscriptio.

Ultori curæ quis nos neget esse Tonanti,

Propter quos adeo rem male gessit
Iber?

—
De Othone et Otacilio.

Pauper Otho est, fateor; sed qui plus
credat Othone,

Haud facile in nostro Gymnasio
invenias.

Mirare? et, fieri hoc quo possit more,
requiris?

Narro tibi: auditor factus Otacilii
est.

Quin surdus licet, atque alienis auri-
bus utens,

Esse novum Euclidem censet Ota-
cilium.

An necdum hoc tibi, Leida, satis?
quid? an insuper illud

Expectas, Vatem dicat ut Arto-
cream?

—
Ad Philippum Morum, Mathematicum.

Et tua Galla mihi placet et tua,
More, Cytheris.

Possum etiam Stellæ potus amare
salem.

I nunc, et dubita, Dousa an te diligit
ipsum,

Quem Veneres videas jam quoque
amare tuas.

—
Ad eundem, de Rufo.

O rem ridiculam, et nimis jocosam:
Ride, quod facis, O Philippe, ride;

Sed quantum potes omnibus cachin-
nis,

Liberalibus, optimo dierum,
Ride quicquid amas, Philippe, Dou-
sam;

Risionibus omnibus, quod usquam est,
Sed nostris tamen, et Catullianis.

Hoc mavis, scio, quam Catonianis.
Nam res ridicula; et nimis jocososa est.

Rufus, fosculus ille Grannionum,
Atque idem Batavi pecus Lycæi,

Illud dicere; non, Decus, volebam;
Jam post Hebraicam Professionem,

Post tot Pilea parta, tot Triumphos;
Tot plausus juvenum, faventisque,

Heu desiderio sui relicto,

Ad rastros, et avita aratra tandem,
Et suilia Guestphala est reversus;
Scrophipascus, arator, et bubulcus
De Oratore futurus, et Magistro.
O rem ridiculam, et nimis jocosam.
Ride quod facis, o Philippe, ride
Liberalibus, optimo dierum.

—
In Manium.

Vix nare a puero, vix Beta edoctus
et Alpha;

Nil nisi stribligo, nil nisi barba-
ricis;

Haglanum ad Puteal causas agis, et
Fora frangis

Omnia, rauca tuis facta patrociniis.
Unde satur bene re gesta, pioguis-
que revertens;

Magnificeque unum ad quodque
screans spatium,

Per Fora, perque vias ansato corpore
cedis;

Fastidi plenus, plenus avaritiæ:
Mox de Jure domi Responsa cienti-
bus edens

Sæpe novas Lites, lis ubi nulla,
seris.

Scilicet hinc prægnans tibi rerum ac-
cessio, Mani,

Hinc gravis immenso sacculus ære
tumet.

En, cui piscator salarim, venator a-
prugnam,

Mittat aves auceps, succidias Co-
rydon.

At tibi tricenis præstantem millibus
Aulum

Quinti progeniem, linguæ utrius-
que scium,

Illuvies et squalor habet; dum mu-
rice stratum

Esse Forum mallet; ac domicœnia
agit.

Nec tamen est, inopem miserans qui
curet amicum?

Quem veluti Sacrum tangere quis-
que timet:

In causa ipse sibi est, versus et ludi-
cra sectans.

- Quid mihi cum Musis? Practicus esse volo.
- Plectra, chelyn, thyrsos, et scinde Thalia coronas,
Si dare Causidico Bartolus ista potest.
-
- Ad Gerardum Achteveldium.*
- Tam bene quum Musis Christi sociaris amore,
Quumque meas aliquid esse putas apinas;
Mercedem meritis nescit dare, qui dare versus,
Et qui miratur me bene velle tibi.
-
- Ad Janum Larnutium.*
- Quod faustum, felix, et utrique sit utile nostrum,
En tibi Dousææ symbolum amicitiae.
- Quam simul inspicias, miraberis; et puto, dices:
Næ tu bucco nimis, ac Batavæ auris homo es,
Scruta tua, atque apinas qui per tot millia Brugas
Ad me Lugduno mittere sustineas.
Quo vero hæc? tua legi olim (sat sic quoque crudus)
Et vetera, et pridem quæ puer edideras,
Parva loquor nunc et tua nupera Carmina ructor,
Illud Leidensis Editionis opus.
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: altera omite
- Saltem, meque prius concoquere illa sine.
- Quid mihi cum Crambe, quæ ter repetita fatiget?
An toties miseros nos habuisse parum est?
- Confiteor: sed parce, precor, fasso, optime, parce.
- Sic propria usque tibi, quæ cupis, eveniant.
- Nugari libuit (quid enim manifesta negemus?)
Mærori hinc fieret ut medicina meo.
Nec, semel insanisse, satis, cumulum addere visum est,
Atque aliam ex alia texere Amazonidem.
- Scilicet ut melius possem dare verba legenti,
Glaucomamque oculis objicere Invidiæ:
- Qui pote? vis, dicam? simul omnia conturbando,
Miscendoque vagis millia multa modis.
- Infinita, inquam, nec quæ limare legendo
Fascinus aut Livor pernumerare queat.
- Nunc quoque idem facio, vitia ut ne nostra sciantur,
Experti metuens dentis amaritiam.
Neve unquam facili noceat mala lingua Camœnæ,
Tantum nugarum cui sciat esse domi.

JANI DOUSÆ FILII

IN

Q. VALERIUM CATULLUM

CONJECTANEA ET NOTÆ.

CAPUT I.

‘Pumicatus.’ Exclamationem ‘Jupiter’ respondere Græco δ̄ Ζεῦ. Eubuli Comici versus distincti et illustrati. Quædam Catulliana cum Græcis collata. Studiosus Callimachi imitator Catullus: ejusdem illustris sententia ex Platone et Orpheo expressa. Seneca Tragicus emendatus. Lucilius, Horatius, Petronius illustrati. ‘Nox una, longa, ultima’ de Morte. ‘Vidua noctes.’

QUANTUMVIS in perpurgando Catullo laboratum jampridem sit a doctissimis ea cura ac diligentia, quam merebatur Auctor tantus; tamen ex tam uberi messe spicas etiamnum aliquas esse reliqui erroris, quæ a nobis legi mereantur, atque aliquid etiam ab illis relictum desiderari, quod novis operis expleri atque sarciri possit, facile mihi æqui omnes et boni dabunt. Neque enim in ullius hominis esse arbitror potestate, ut exhaustat sequentium ingeniorum sæcunditatem, præsertim in hoc studio, quod velut Africa est, et in quo, ut in humanæ vitæ curriculo, nunquam ita quisquam bene rationes subduxit, ‘Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi.’ Quod cum viderem, neque summos illos viros viam posteriorum industriæ obstruere voluisse

existimarem, collocatos in ea laudis arce quam ad omnem posteritatis memoriam sibi exædificassent: facile me in eam sententiam pertrahi passus sum, ut nihil eruditissimorum Interpretum majestate deterritus, in hac silva si quod materiæ superesset nondum ab aliis edolatum, efformare atque exasciare tentarem, et opis aliquid afferre politissimo Scriptori, præsertim iis in locis, qui aut mendosi aut obscuri aut a nemine hactenus satis explicati essent. Ad principium hujus libri:

CARMEN I.

I *Quoi dono lepidum novum libellum Arida modo pumice expolitum*] Respexisse Plin. Nat. Hist. lib. xxxv. c. 21. his verbis, ‘Sed et ii pumices, qui sunt in usu corporum levigandorum fæminis, jam quidem et viris, atque, ut ait Catullus, libris,’ alii monuerunt. Illud non perinde vulgatum, homines ‘pumicatos’ dictos, qui hoc levigandi corporis studio, sive potius morbo, laborabant. Plin. Jun. Epist. lib. II. ‘Qui titulus a vita hominis comiti semper et pumicati non abhorrebat.’ Martial. lib. v. ‘Et pumicata pauperes manu monstras:’ huc pertinuit et illud Lucilli lib. VII. Satyrarum, ‘Scabor, subvellor, desquamor, pumicor, ornor.’ Ubi si argu-

tari liberet, dicerem 'desquamor' et 'pumicor' respondere illis Catullianis, *leptidum* et *pumice expolitum*: de altero clarum est: de priori ita probarem *lepidum* dici ἀπὸ τῆς λεπίδος, unde *λεπίζειν*, quod 'desquamare' significat, derivetur. Lexicon Græco-latinum vetys, *Λεπίζω Squameo*, correxerim, *Desquamo*.

7 *Doctis, Juppiter, et laboriosis*] *Juppiter θαυμαστικὸν* est: notandum autem etiam Græcos ita loqui atque uti suo ὦ Ζεῦ. Philemo apud Athenæum, Σὲ γὰρ λέγουσι πρῶτον αὐτὸ τοῦτ' ἰδεῖν Δημοτικὸν, ὦ Ζεῦ, πρᾶγμα καὶ σωτήριον. Eubulus Comicus, Αἰγίδιον, σὺ δὲ τόνδε φηρήσεις Στέφανον πολυποικίλον ἀνθρώπων, Γρυσότατον, χαριέστατον, ὦ Ζεῦ. Sic enim distinguo eos versus, qui apud Athenæum indivulsi leguntur, et laborant ab interpunctis.

CARMEN II.

2 *Qui cum ludere, quem in sinu tenere*] Particulam in a mala manu esse ut suspicer, facit Poëtarum consuetudo, qui eam aliasque similes in sermone creberrime omittunt; ut ecce infra, 'Puella namque quæ meo sinu fugit;' vult enim dicere 'e meo sinu,' quare si et hic legamus, *quem sinu tenere*, nihil aut Catullianæ venustati aut sententiæ decedet.

3 *Quoi primum digitum dare appetenti*] Sic et Propertius illo versu lib. II. 'At tu vix primas extollens gurgite palmas:' 'primas palmas' pro primoribus digitis: Plaut. alibi 'postremam Comædiam' pro extremo Comædiæ posuit, ut Terent. 'primam Fabulam' pro principio Fabulæ.

8 *Credo, ut tum gravis acquiescat ardor. Tecum ludere, sicut ipsa possem*] Non displicet hoc loco Patris mei conjectura, qui hos duos versus ita rescribendos censet, *Cedo, ut tam gravis acquiescat ardor, Tecum ludere, sicut ipsa possem*. Quam lectionem si recipimus, hæc erit sententia: Da sive fac mihi istam gratiam (id enim *Cedo*

significat) ut tecum ludendo, sicut ipsa, doloris mei ardorem mitigare possim.

CARMEN III.

12 *Illuc unde negant redire quemquam*] Philetas de Orco eodem modo quo Catullus, τὴν οὐρανὸν ἐναντίον ἤλθεν ὀδίτης: hinc et οὐκ ἐδέξοδος ἔδης dicitur Æschylo, *δύνοστος*, Epigrammatis Græcis. Sed et Anacreon huc respexit, 'Αἶδω γὰρ ἔστι θεοῦ Μυχός, ἀργαλήη δ' ἐς αὐτὸν Κάθοδος' καὶ γὰρ ἔτοιμον καταβάντι μὴ 'ναβῆναι. Quæ nos puris Iambis ita ex tempore vertebamus: *Quia Acherontis aspera est Specus, pedemque nemini Datur referre ab horrida Styge, ut quis intulit pedem*. Item Antipater Antholog. III. 'Ἐς γὰρ ἀκαμπτον, Ἐς τὸν ἀνόστητον χώρον ἔβης ἐνέρω. Seneca autem hunc Catulli versum mutuatus est in ἀποκολοκυντώσει.

CARMEN IV.

3 *Neque ullius nutantis impetum trabis*] 'Natare' hic pro navigare posuit, ut et alibi, 'cumque juvenus Per medium classi barbara navit Athon.' Studiosum fuisse Callimachi imitorem Poëtam nostrum ex multis ejus locis colligi potest, quorum aliqua notarunt viri docti, sed ita, ut iis addi nonnulla a diligenti observatore possint: quale hoc est in Falso: 'Comata silva: nam Cythorio in jugo Loquente sæpe sibilum edidit coma.' Sic enim Callim. loquutus Hymno in Dianam: *Λευκὸν ἐπὶ Κρηταίων ἕρος, κεκομημένον ἔλη*, quod respondet pulchre *Cythorio jugo*, in quo *Comata silva*.

Elegantissimam porro mortis descriptionem habes in Carmine ad Lesbiam, divinis, ut Julius Sealiger eos appellat, versibus:

CARMEN V.

5 *Nobis cum semel occidit brevis lux*

Nox est perpetua una dormienda] Quam illustrem sententiam expressam mones ex Platonis Apologia Socratica, ubi sic de tempore post mortem loquitur, Καὶ γὰρ οὐδὲν πλείω ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται ὅτῳ δὴ εἶναι ἡ μία νύξ. Sed et Orpheus in Hymnis de Morte, Τὸν μακρὸν ζωοῖσι φέρων αἰώνιον ἔπνον. Item Moschus in Epicedio Bionis, Ὅππότε πρῶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κολῶ Εὐδομεε εὐ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ἔπνον. Unde fortasse interpretandum etiam illud Horatii in Odis, 'Sed omnes una manet nox,' simpliciter, sed 'una nox' pro morte accipiatur. Et consideranda hic Catulli curiosa felicitas, qui ex illis duobus Orphei ac Platonis sententiis unum versum concinnavit: illo enim 'nox una,' Platonis μία νύξ, 'perpetua dormienda,' αἰώνιον ἔπνον Orphei expressit. 'Noctem' autem hanc etiam Seneca Tragico velim restitui in Hercule Furcense, ubi enim ita Somnum affatur, 'Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem:' correxerim audacter 'noctem,' vel unius Propertii auctoritate, qui dixit, 'Nox tibi longa venit, nec reditura dies.' Et alterum illud in contextum obrepsisse suspicor ex alicujus nota marginali, qui 'longam noctem' pro morte positum adscripserat: hinc 'noctem ultimam' etiam Petronius Arbiter de morte dixit, ut quidem eo loco restituit Pater, 'et continuat in noctem ultimam Somnos.' Sed ab 'ultima' nocte ad 'viduam' transeamus, quam ex sequenti Carmine in Satyricon suum transtulit idem ille eruditæ luxuriæ arbiter; sic enim Catullus, 'Nam te non viduas jacere noctes.' Sic Petronius, 'Narra mihi, inquam, frater, sed tua fide, ea nocte, qua te mihi Ascyrtos subduxit, usque in injuriam vigilavit? an contentus fuit vidua pudicaque nocte?' Ubi quid 'vidua nox' sit, ipse explicat, cum dicit pudica.

CAPUT II.

Ciceroniani cujusdam loci duplex restitutio: 'cælo locare:' 'dicere:' 'obdurare,' 'durare:' 'obstiuata mens, frons.' Παραγραμματισμὸς Poëtis familiaris. Catullus Emen-datus. Cento Lucillianus.

TACERE non possum, quin Catulliani maxime loci occasione Tullianua quendam paulo accuratius examinem atque exentiam, ut evellatur mendum quod ibi radices egit: id est, in secundo de Legibus inter eas quas ipse scivit, 'Divos et ollos qui cælestes semper habiti sunt colunto, et ollos quos endo celo merita vocaverunt.' Quæ verba si exigere vellem ad normam Catulliani versus,

CARMEN VI.

17 *Ad cælum lepido vocare versu]* corrigere, 'endo cælum merita vocaverunt:' verum hoc arbitrarii juris esse volo: alterum quod proferam, certius duco, scilicet legendum esse, 'endo cælo merita locaverunt.' Et vix est ut aliter scripserit disertissimus ille Romuli nepotum: 'cælo' autem 'locare,' vel 'in cælo,' perquam honesta loquendi ratio. Juvenal. Sat. x. 365. 'sed te Nos facimus, fortuna, Deam, cæloque locamus.'

CARMEN VIII.

4 *Cum ventitabas, quo puella ducebat]* Concinnius multo fuerit meo quidem animo, quo puella dicebat; id est, condicebat: loco nimirum et tempore constituto, cum ego quasi ad condictum venire: 'condicere' enim est συντάσσειν μετὰ παραγγελίας, et quasi dicendo denuntiare, ut explicant Festus et J. C. §. 'Appellamus' Instit. de Action. Sequitur ibidem,

11 *Sed obstinata mente perfer, obdura]* Sic Gallio apud Senecam Controv. 11. 'Anime dura, heri fortior eras.' Plin. Epist. lib. i. 'Nihil jam ne me quidem impetratum, tam obstinate

magis ac magis induruisse: etiam 'durare animum in tormenta' dixit J. C. in lib. XVIII. ff. de Peculio. Ennius Andromacha, 'Quasi ferrum aut lapis durat.' Glossæ veteres, *Durat καρτερεῖ* et *Duravit ἐκαρτέρησεν*. Ut autem 'obstinatam mentem' Catullus, sic 'obstinatum animum' Accius, et 'obstinatam frontem' Firmicus dixit octavo Astronomicum.

CARMEN X.

3 *Scortillum, ut mihi tum repente vi-*
eum est, Non sane illepidum nec inve-
nustum] Simile huic illud Aristæneti in Epistolis, *Ἡ θεὸς, ἀστεῖον τὸ γύ-*
ραιον, ὅλον γούν ἀπαξ ἰδόντι κατὰ τάχος
εἰκόσαι. In Carmine eodem retineo lectionem, quam ad marginem posui, *ver. 27. Ferri mane, mane inquit puella: quæ cur displicuerit viris doctis, caussam non video: ludit enim in ambigua significatione verbi mane, quod et verbum est et adverbium. Et est elegans παραγραμματισμός, quo sæpe usi sunt Plaut. Terent. Virgil. Anson. Homer. Soph. Æschyl. etiam Callim. aliique, ut ostendam infra. Quin Catull. hoc ipso Carmine, 'In collo sibi collocare posset: quare nihil mutandum.*

31 *Per quam non licet esse negligentem]* Timide hoc dicam, sed tamen magis videatur ad Catulli elegantiam facere, si legamus, *negligenti*. Cic. ad Att. lib. II. 'Quid dicam in publica re, quo in genere mihi negligenti esse non licet?' Martial. lib. IX. 'Nobis non licet esse tam disertis.'

CARMEN XIII.

1 *Cenabis bene, mi Fabulle, apud me]* Martial. 'Cenabis belle, Juli Cerealis, apud me: Lucill. 'Cenasti in vita nunquam bene.' Qui locus me in memoriam inducit Centonis cujusdam, quem ex diversissimis ejus Satyrographi Fragmentis in unius sententiæ corpus coëgit et conglutinavit Pater, quem, ut hoc velut tragemate

fessum lectorem recrearem, haud ab re visum est hic inserere, neque displicere poterit illis, quibus non obruit palatum ad has antiquitatis delicias.

CENTO Lucillianus ex quindecim diversis Fragmentis concinnatus a JANO DOUSA P.

- | | | |
|--------|--|--|
| 1 | | * Legem |
| 2 | Vitemus Licini | * Fanni centusse miselle, |
| 3 | * Quæ Gallam bibere ac rugas | conducere ventris |
| | Parte acetoso, oleo, et Cumano | pane coëgit. |
| 4 | * Ostrea nulla fuat, non purpura | nulla Pelori; |
| 5 | * Pulmentaria, ut intybus, aut | aliqua id genus herba, |
| 6. 7 | * Asparagi molles, * fici comedantur | et uvæ, |
| 8 | * Flebile cæpe simul lachrymosæque | ordine thalla, |
| 9 | * Et jus mænarum; bene habet: | in mictyris hæc merx |
| 10. 11 | * Caseus allia mollibit, * cum pulte | adipata. |
| 12 | * O Lapathe, ut jactare necesse est, | cognita' cui sis. |
| | In quo Læliu' clamores σοφὸς ille | solebat |
| | Edere compellans gumias ex ordine | nostros: |
| 13 | * O Publi, o gurges Galloni, es homo miser, | inquit; |
| | Cænasti in vita nunquam bene, quum omnia in isto | Consumis, squilla atque acipensere cum decumano. |
| 14 | * Occidunt Lope, saperdæ te et jura | siluri, |
| 15 | Sumina te atque amia, * ne dicam | viscus aprugnum. |

In his multa emendatius legi, aliterque quam apud Grammaticos produci vides; sed ea accuratius explicare non est hujus loci, et ratio correctionum singularum alibi reddetur.

CAPUT III.

Quædam loquendi genera Catulliana, quod a Græco fonte defluerint indicatum. Patris conjectura et interpretatio firmata. 'Mare magnum,' 'æquora magna,' κύματα μακρὰ. Ansonius et Moschus illustrati. 'Vetulum Falernum,' 'Miscere Calices amariore:' de iis quædam nova post Scaligerum et Brodæum. 'Apio,' 'Aptus.' Catullus emendatus, 'i, pte.'

More suo facit Catullus ut persequendis Græcorum vestigiis loquendi genera sumat a plebe semota, quale hoc est:

CARMEN XIII.

7 Nam tui Catulli Plenus sacculus est aranearum] Cratinus enim Comicus dixerat de Paupertate, Ἀραχνίων μισθὴν ἔχει τὴν γαστέρα.

CARMEN XIV.

22 Unde malum pedem tulistic] Etiam hæc loquendi ratio affinis est illi Græcorum quam Callim. usurpat in Epigr. ὄστις ἐμὸν παρὰ σῆμα φέρεις πρόδα.

CARMEN XIX.

10 Florido mihi ponitur picta vere corolla] Idem de Apolline Callim. σείω δὲ βωμοί Ἄνερα μὲν φορλουσι ἐν εἰαρι, τίσσα περ ἄραι Ποικίλ' ἀγανέσι ζεφύρου πνιούτος ἔρσην. Eadem autem omnia verba sunt in Carmine sequenti, 'Mihî corolla picta vere ponitur.' Et sane videtur alterutrum ex altero effectum; quod satis testantur priores versus hujus Ithyphalici Carminis, 'Hunc ego juvenes locum villulamque palustrem Tectam vimine junceo caricisque manipulis, Quereus arida, rustica conformata securi Nunc tuor.' Ita enim cum Scaligero legendum puto, et lectioni huic ex ipso auctore auctoritatem addo: nempe ex hoc principio Iambici Carminis, 'Ego hæc, ego arte fabricata rustica, Ego arida,

o viator, ecce populus Agellulum hunc sinistra, tute quidem vides, Herique villulam, hortulumque pauperis Tuor.' Quæ plane gemina sunt.

CARMEN XX.

17 Manumque sorsum habebis] Sorsum hic pro 'seorsum' accipiunt Petrus Victorius Variar. Lect. lib. xxv. cap. 12. Jos. Scaliger in versione Græca, aliique: tamen nescio quomodo magis arridet Patris conjectura, qui legit *sursum*: fures enim in sinu demissas habent manus, seu potius fertificam lavam. Euphron Comicus, Τὸ γὰρ ἦπαρ αὐτῶν πολλάκις σκοπούμενον, Καθεὶς κάτω τὴν χεῖρα τὴν μίαν λαθῶν, Ἐρβήσας εἰς τὸν λάκκον ἰταμῶς τὸν νεφρόν. Itaque *Manumque sursum habebis*, esset Græce, ἄνω δὲ χεῖρας ἴσχε.

CARMEN XXI.

1 Aureli, pater esuritionum, non harua modo, sed quot aut fuerunt, Aut sunt, aut aliis erunt in annis] Etiam hunc loquendi modum a Græcis accersivit Catullus: sic enim Xenophon in Symposio, Καὶ δ' Ἀντισθένης, Πῶς οὖν, ἔφη, ὃ Σώκρατες, οὕτω γινώσκων οὐ καὶ σὺ παιδείαις Ἐσθήπτην, ἀλλὰ χρῆ γυναικῶν οὐτῶν οἶμαι καὶ τῶν γεροντιῶν καὶ τῶν ἐσομένων χαλεπωτάτην. Sed apertius multo expressit hæc infra: 'Disertissime Romuli nepotum Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli, Quotque post aliis erunt in annis.' Exemplum Xenophontis video notasse etiam Lucam Fruterium, acutissimi ingenii juvenem, in Epistola ad Guilielmum Canterum non edita.

CARMEN XXV.

12 Velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento] Quid esset 'mare magnum' hoc loco primum indicavit Pater in Præcidaneis, adductisque ex Sallustio et Lneretio exemplis confirmavit, quibus quid verat nonnulla adstruere de meo? Ennius Asoto, 'Alius in mari vult mag-

no tenere tonsam:’ Virgil. Æn. III. ‘Continuo venti volvunt mare, magna que surgunt Æquora:’ et quidem ad hæc Virgili verba nihil dicit Servius; sed ad illud Æn. v. ‘dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem et volvitur undis,’ ‘magnum’ procellosum interpretatur, quod tamen ei loco minime convenit; itaque ea explicatio huc transferenda. Virgilianum porro versum imitatus est Ausonius in Mosella, ‘magna que surgunt Æquora, vicinique timent decrescere montes.’ Expressit autem hanc Ausonianam sententiam Constantinus Porphyrogenuetes, ubi de mari Ægeο agit, Καὶ κύματα μακρὰ καὶ ὕρσειν εὐκότα ἀνεγείρον τοῖς πλέουσιν. Unde aptissime doctissimeque id verbum μακρὰ Moscho apposuit B. Vulcanius, ‘Ἄλλ’ ὅταν ἀχθῆσι πολλὸς βυθός, ἃ δὲ θάλασσα κυρτὸν ἐπαφρίζῃ, τὰ δὲ κύματα μακρὰ μεμήνη. Quod nos ita putamus Latine converti posse: *At fretum ut infremuit canum spumantibus undis, Et magnum insans surrexit fluctibus æquor.* Idem enim sunt Moscho κύματα μακρὰ, quod Virgilio ‘magna æquora.’

CARMEN XXVII.

1 *Minister vetuli puer Falerni*] Notandum Epithetum *Falerni*, quod reperies item apud Martial. Epigr. xxvii. ‘Candida nigrescant vetulo crystallæ Falerno:’ et Macrob. Saturn. vii. cap. 12. in proverbio illo quo gulones ait uti, ‘Mulsam quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio et Falerno vetulo.’

2 *Inger mi calices amariore[s]*] In veteri quodam Codice est, *Misce mi*, &c. quæ lectio non plane abjicienda est: neque turbet aliquem, quod hic de mero agatur non misto. *Misce* enim, si admittimus hanc lectionem, nihil aliud erit, quam infunde seuingere. Martial. ‘Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis Largius Æacides

et bibit ipse merum.’ Glossarium vetus Arabicum, quod est penes humanissimum et Orientalium linguarum peritissimum virum Franc. Raphelengium, ‘Miscere, infundo:’ atque ita ad verbum expresserit illud, ζωρότερον δὲ κέραρα. Porro *calices amariore[s]* pro meracioribus eum doctissimo Scaligero accipio. Observo præterea totum Carmen expressum e Græco Diphili: sic enim ille, ἐγχεον οὐ δὴ πιεῖν. Εὐζωρότερον γενέσθω, ὃ παῖδες, τὸ γὰρ ἴδαρις ἅπαν τοῦτ’ ἐστὶ τῆ ψυχῇ κακόν. Plane ipsissima est sententia. Si quis cum Brodæο vinum annosum ac vetustate edentulum, ut cum Plauto loquar, intelligere velit per *calices amariore[s]*, nihil obstabo. Sed et sententia ejus adminiculari potest hoc exemplo Plin. lib. xiv. cap. 4. quod ipse omisit, ‘Hæc natura vinis in vetustate est, ut potari per se queant, nisi pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita.’ Et quod sequitur de *ebriosa acina*, huc pertinet: musta enim non inebriant, teste Macrob. Saturn. vii. cap. 7. Et nihil naturali ratione ebrietati magis repugnat dulcedine: quod et in libro de mistorum affectibus itemque in Problematis scriptum reliquit Aristoteles. Verum ut semel absolvam, utrumque per *calices amariore[s]*, et meracum et vetus vinum intelligi nihil obstat; longinquitate enim temporis vinum meracius fieri idem Marchius auctor est, Τὸ γὰρ ἐν αὐτῷ ἰδατῶδες χρόνος ἀναλίσκει, ut ait auctor Geoponicon. Ad priorem interpretationem etiam facit, quod ἄλυκότερον pro meracius posuerit Nicanter, cum tamen ἄλυκόν salsuginosum et amarum significet.

CARMEN XXVIII.

2 *Aptis sarcinulis et expeditis*] Sic Petronius Satyr. ‘Itaque quod bene eveniat, expedite sarcinulas.’ *Aptis* autem est constrictis et colligatis,

quod in præsentī ‘apo’ vel ‘apio’ esse verisimiliter suspicor. Glossarium Arabico-Latinum, ‘Apio, ligo:’ huc etiam pertinet illud Festi, ‘Apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant, unde aptus is, qui convenienter alicui junctus est.’

12 *Nihilo minore verpa Es sartus. pete nobiles amicos.*] Ἐμφατικώτερον εἶναι si legamus, nam nihilo minore verpa es *Fartus. i pete nobiles amicos.* Conjecturam nostram confirmat veteris codicis lectio, quæ est: *Farti estis. pete, &c.* ubi manifesta vestigia vides illius i quod repono. Et quamvis hæc loquendi ratio rarius occurrat apud Poëtas, qui sæpissime utuntur ea, *I nunc et;* tamen neque exempla hujus desunt: Virgil. *Æn.* iv. ‘*I sequare Italiam ventis:*’ et *Æn.* vii. ‘*Tyrhenas i sterne acies.*’ Apoll. R. lib. iv. ἄλλ’ ἔρχεο, τέτλαθι δ’ ἔμψης καὶ πινυτή περ εἴουσα πολύστορον ἄλγος ἀέλπειν.

CARMEN XXIX.

23 *Nisi uncta devorare patrimonia]* Didymus apud Diomedem lib. i. ‘*Comesta patrimonia.*’

CARMEN XXXI.

1 *Peninsularum Sirmio insularumque Ocelle]* Sic Julianns in Epistolis Damascum urbem τῆς ἐώας ἀπάσης ὀφθαλμῶν. Cic. de Nat. Deor. lib. iiii. ‘*Corinthum et Carthaginem duos oræ maritimæ oculos:*’ illam quoque, pro lege Manilia, ‘*totius Græciæ lumen*’ appellat.

CAPUT IV.

Arnobius emendatus. Senecæ lux facta: ‘*sui igues.*’ Lucretii locus præter interpretum mentem nunc primum declaratus. Illustratus Apuleii, et alter ejusdem examinatus.

CARMEN XXXIV.

15 *Tu potens Trivia et notho es Dicta lumine Luna]* Locus hic me commode admonuit, ut in Arnobio Adv. Gent. eruditissimo Scriptore tollam leve quidem mendum, sed tamen a nemine adhuc animadversum; ubi enim legitur, lib. ii. ‘*Quid est vobis vestigare, conquirere, quisnam hominem fecerit? animarum origo quæ sit? quis malorum excogitaverit causas? orbe sit Sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur? alieno ex lumine, ac propriis luceat fulgoribus Luna?*’ quis non videat legendum, qui modo ἀκολουθίαν sermonis consideret; ‘*an propriis luceat fulgoribus Luna?*’ distinguit enim hæc, ‘*alieno ex lumine,*’ et ‘*propriis fulgoribus lucere.*’ Lucr. lib. v. ‘*Lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans, Sive suam proprio jactat de corpore lucem.*’ Ut autem hic ‘*suam lucem,*’ sic ‘*suos ignes*’ dixit Seneca in Hippolyto loquens de Luna, ‘*Cum suos ignes trepidante cornu Junxit: sequutus eos qui proprio Lunam lumine lucere opinati sunt, quales fuere ex Philosophis, Anaximander, Xenophanes, et Berosus; cujus postremi sententiam enarrare voluisse Lucr. his versibus mox ostendam, ‘Est etiam quoque uti proprio cum lumine possit Volvier, et varias splendoris sumere formas:’ et paucis versibus interjectis, ‘Versarique potest, globus ut si’ (lego sit) ‘forte pilai Dimidia ex parti candenti lumine tinctus, Versandoque globum variantes edere formas; Denique eam partem, quæcunque est ignibus aucta, Ad speciem vertit nobis, oculosque patentes: Inde minutatim retro contorquet, et aufert Dimidiam partem glomeraminis atque pilai: Ut Babylonica Chaldæum doctrina refutans Astrologorum artem contra convincere tendit.’ Hos versus adduxi, quod viderem pessime ab Interpretibus ac-*

ceptos lactenus, dum alii 'Chaldæum' ad Astrologos referunt, alii 'Chaldæam' legunt; neutri recte. neque enim intellexerunt per Chaldæos Berosum intelligi, 'qui a Chaldæorum civitate sive natione progressus in Asiam, ibi' (ita lego) 'disciplinam Chaldæicam patefecit,' ut ait Vitruvius. Sic etiam intelligendus ille Apuleii locus de Deo Socratis, 'Seu illa' (scil. Luna) 'proprio seu' (malim *et*) 'perpeti candore, ut Chaldæi interpretantur, parte altera cassa fulgoris, pro circumversione oris, discoloris, multivaga, pollens speciem sui variat.' Ita enim distinguo eum locum non bene in vulgatis libris interpunctum. Berosi porro doctrina hæc, multis verbis a Vitruvio explicatur lib. ix. cap. 4. sed sententia ejus, ut brevissime perstringam, hæc est: corpus Lunæ pilam esse dimidia parte candidam, altera cæruleam; in coitu Solis ardore corripit, convertitque partem ejus eandem proprietate quadam naturæ luminis ad lumen trahendi, atque ita fieri aversam nobis et cæruleam, hoc est, inferiorem ejus partem, quod candens non sit, propter æris similitudinem obscurum videri. Porro septimo die a coitu sive plenilunio, quod dimidio cæli spatio Luna distet a Sole, item dimidiam caudentiæ partem ad nos conversam esse; quartadecima autem die pleno orbe totam eandem partem nobis ostendi, a qua reliquis diebus usque ad plenilunium quotidiana decrescencia aliquid minuatur. Tangit hanc Berosi opinionem etiam Plut. de Placitis Philos. lib. ii. ubi ait eum existimasse Eclipsim fieri *κατὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς ἐπιστροφὴν τοῦ ἀπυράτου μέρους*: quod repetit etiam Stobæus in Physicis. Hinc ergo clarissimam lucem accipit Lucretii locus, qui antea dimidia parte Lunæ obscurior erat.

iter annum] Sic Cic. de Nat. Deor. lib. ii. 'Jam Solis annuos cursus spatiis menstruis Luna consequitur.' De menstruo cursu Lunæ etiam locus Apuleii mihi nunc examinandus in mentem venit ex libro de Dogmate Platonis, ubi ex Philosophi illius sententia dicit, 'menses effici, cum Luna circuli sui completo curriculo ad eundem locum, a quo discesserit, revertatur:' neque enim recte convertit illud Platonis, *Μὲν δὲ ἐπειδὴν Σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον* "Ἠλίον ἐπικαταλάβοι: nisi tamen hic exscriptorum non Apuleii error est, cujus in exprimentis Græcis summa peritia cum pari elegantia conjuncta merito viris doctis admirationi est: alioqui pessime confudisset Periodicum mensem cum Synodico, eum hic viginti novem diebus et dimidio, ille vicenis septenisque et tertia dici parte constet; tot enim diebus Signiferi orbem ambit Luna, et ab eodem puncto Zodiaci profecta ad idem revertitur: quum autem Sol interea duodecimam cæli partem absolverit, biduum et paulo amplius consumit Luna antequam Solem assequatur progressum a loco ubi illum ante mensem reliquerat; atque hæc dicitur *σύνδοδος σελήνης*, illa *περίοδος* sive *περίπατος σελήνης*. Plato autem de Synodico loquutus est, ut et Alcinous de Dogmate Platonis, *καὶ σελήνη μὲν μὴνὸς μέτρον ποιεῖ ἐκπεριελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον καὶ καταλαβοῦσα τὸν ἥλιον ἐν τοσοῦτῳ*. Frustra in hac re multa verba consumam, quam intelligent facile, qui eruditum illum pulverem attigerunt. De Periodico etiam Varro apud Gellium lib. iii. cap. 9. 'Duodetricesimo Luna,' inquit, 'ex quo vestigio profecta est, eodem redit:' unde erravit Lactantius, cum scribit, 'Sed Luna, quæ orbem illum Signiferi triginta dierum spatio lustrat.'

CAPUT V.

17 *Tu cursu Dea menstruo Metiens* 'Deus non bene advocatus;' *δαίμων*
Delph. et Var. Clas. *Catul.* 2 X

ἕτερος. Accii versus numeris suis restitutus. 'Cæsius leo.' Contentio ac comparatio Catulli et Sapphus Carminum inter se. Catullus varie correctus et illustratus. 'Jacere caput.' Cognomina Magnæ Matris.

CARMEN XXXIX.

2 *Renidet usquequaque, seu ad rei ventum est Subsellium, cum Orator excitat fletum*] Tenne est hoc Epigrammate in Egnatium, sed peccatum tamen; quis vero non libens id credat mihi, ut versus ratio habeatur, rescribendum, *seu rei ventum ad Subsellium est.*

CARMEN XL.

3 *Quis Deus tibi non bene advocatus Vecordem parat exciture rixam*] *Deus non bene advocatus* videtur idem esse qui Pindaro δαίμων ἕτερος: sic enim is Oda III. Pyth. Δαίμων δ' ἕτερος Ἐσκακὸν τρέψας θάμασάτ' οἶν. Et puto ἕτερος dictum hic, ut apud Latiuos 'altera avis,' pro infausta.

CARMEN XLIV.

18 *Nec jam recuso, si nefaria scripta*] Ultimam in *nefuria* producit propter duas verbi sequentis consonantes principes litteras; quod et alibi aliquoties fecit hic noster, Ennii exemplo, ac fortasse etiam Accii: quæ enim verba ex Prometheo ejus adducunt Nonius et Priscianus, 'Tum profusus flamine hyberno gelus:' ita constituenda puto et pedibus suis restituenda ut Trimeter fiat: 'Tum flamine profusus hyberno gelus.'

CARMEN XLV.

7 *Cæsius veniam obrius leoni*] *Cæsium* hic pro glauco accipi, et cur cæsium fulgorem leoni tribuerit Catullus, docte atque eleganter explicat vir et nostra laude et sæculo major Julius Scaliger in Exercitatione CCXXV. Sect. 15.

CARMEN LI.

Elegantissimum porro Carmen ad Lesbiam est, in qua Sapphus suavissimam Oden expressit Poëta, quæ comparare invicem ac contendere operæ pretium est; nam et secundum versum totum adjecit de suo, et in tertio detraxit illud ἀδὺ φωνούσας, cujus loco posuit *Spectat*, quod in Græco non est. In nono autem ac sequentibus sententiæ ordinem invertit, plane ut non tam Latinam eam reddere, quam certare cum ea voluisse videatur. Sed in iis quum ad vivum effluxisset omnes amoris affectus decima illa Musa his verbis, Ἄλλὰ καμὲν γλῶσσο' ἔαγ', ἀνδὲ λεπτὸν Αὐτίκα χρωπῦρ ὑποδεδρόμακεν Ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι, βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μοι Καδδ' ἰδρώς ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ Πᾶσαν αἰρεῖ, χλωροτέρη δὲ ποίας Ἑμμί τεθνᾶναι δ' ὀλίγου δέοισα φαίνομαι ἄπνους; contentus fuit priores quatuor expressisse: *Lingua sies torpet, tenues sub artus Flamma dimanant, sonitu suopte Tintinant aures, gemina teguntur Lumina nocte.* Posterius tetrastichum characterè Catulliano ita ludibundi convertimus: *Frigidus sudor fluit; horror artus Pallidus herba magis it per omnes; Et pati mortem rideo morans in Limine mortis.* Videtur autem huc respexisse Valerius Ædituus in Epigrammate quod apud Gellium legitur, 'Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis, Quid mi abs te quæram? verba labris abeunt: Per pectus miserum manat subido mihi sudor: Sic tacitus, subidus; duplo ideo pereo.' Parissima his etiam illa Theocriti Idyl. II. Πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, ἐκ δὲ μετᾶπω Ἰδρώς μεν κοχυέσκεν Ἰσον νοτιασίην ἑέρσαις, Οὐδέ τι φωνῶσαι δυνάμαν, οὐδ' ὄσσον ἐν ἕπνῳ Κρυζῶνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα: Ἄλλ' ἐπάγην διαγῶδι καλὸν χροά πάντοθεν Ἰσα. Illud quoque monendus legendum in Catullo, *tenuis sub artus flamma dimanant*, non *tenues*: respondet enim illi Græco, λεπτὸν πῦρ.

CARMEN LXI.

114 *O cubile, quot omine Candido pede lectuli Quæ tibi veniunt bona*] *Pater ita constituit hunc locum, O cubile, quot omnia Candido pede? lectule o, Quæ tibi veniunt bona!* Alioquin, si vulgatam lectionem retinemus, *candido pede lectuli*, commode explicare possis τῆς κλίνης ἐλεφαντόποδος, quod nos monuit eruditissimus amicus noster P. Colvius in Apuleio.

CARMEN LXII.

7 *Nimirum Ætæos ostendit Noctifer ignes. Sic certe, viden' ut perneciter exiluerè*] Sic Callim. Hymno in Apoll. Καὶ δῆπου τὰ θύρετρα καλῶ ποδὶ φοῖβος ἀράσσει. Οὐχ' ὄρας; ἐπένευσεν ὁ Δῆλιος ἄδῳ τι φοῖνιξ.

CARMEN LXIII.

6 *Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro*] Sic Arnob. Adv. Gent. lib. i. 'Nonne illum Attyum Phrygem abscissum et spoliatum viro magnæ matris in adytis, Deum propitium, Deum sanctum Gallorum conclamatione testamini?' Idem lib. v. 'Tunc arborem pinum, sub qua Attys nomine spoliaverat se viri, in antrum suum defert.'

23 *Ubi capita Manades vi jaciunt hederigeræ*] Sic Tacitus Annal. xi. 'Juxtaque Silius cetera vinctus gerere cothurnos, jacere caput.' Ad capitis rotationem, notandus etiam insignis locus Val. Flac. lib. i. 'Ecce sacer totusque Dei per littora Mopsus Immanis visu vittamque comamque per auras Surgentem laurusque rotat' item Tibulli lib. ii. Eleg. 5. 'Hæc cecinit vates, ette sibi Phœbe vocavit; Jactavit fusas et caput ante comas.'

91 *Dea magna, Dea Cybelle, Didymi Dea domina*] Puto respectum ad cognomina illa Magnæ matris, quæ recensentur a Strab. lib. x. Μητέρα καλοῦντες θεῶν καὶ Αἰέστιν καὶ Φρυγίαν

θεὸν μεγάλην, ἀπὸ δὲ τῶν τόπων Ἰδαίαν καὶ Δινδυμήνην καὶ Πυλῆνην καὶ Πισσενοντίδα καὶ Κυβέλην.

CAPUT VI.

Plautus illustratus: 'equus ligneus,' 'auriga carinæ.' Cinna correctus: 'luctantes papillæ:' 'lumina somno victa, devincta:' 'vincla somno tribui ex Poëtis et Philosophis ostensum: cur enim 'dulcem' appellent Poëtæ. 'Ignaræ auræ.' Variorum locorum collatio. Versus Accii et Senecæ emaculati. 'Suprema hora,' 'conclamare, dicere supremum.' Schœckii interpretatio in Plauto firmata: 'numen,' 'momen,' 'fulmen.'

CARMEN LXIV.

9 *Volitantem flamme currum*] Græcorum exemplo fecisse Catullum, ut navim *currum* vocaret in Carmine de nuptiis Pelei et Thetidos, jam pridem Muretus aliique monuerunt: illud non perinde vulgatum, 'equum ligneum' de navi dixisse Plautum in Rudente, exemplo Homeri, qui naves ἄλδς ἵππους appellat illo Carmine, Νηῶν ἄνωκτόρων ἐπιβαίνεμεν αἰθ' ἄλδς ἵπποι. Ἀνδράσι γίγνονται. Item illum versum veteris Poëtæ apud Clarisium: 'Typhim aurigam celeris fecere carinæ;' adumbratum ex eodem Homero ubi inquit, Φθέγατο δ' ἠνίοχος νῆος κυανοπρόροιο.

65 *Non tereti strophio lactentes vincla papillas*] Isidorus, 'Strophium est cingulum aureum cum gemmis, de quo Cinna, Strophio lactentes cincta papillas:' ubi legendum *vincla* ex hoc Catulli loco: in Catullo etiam malim *luctantes*, quod in quibusdam libris est, id est, sororiantes, quasique editentes ad strophium repellendum: eadem quippe translatione usus est Aristænetus in Epistolis: Μικροῦ με παρῆλθεν εἰπεῖν, ὡς κυδωνιῶντες οἱ μαστοὶ τὴν ἀμπεχόνην ἐξωθοῦσι βιαίως.

83 *Funera Cæcropsia ne funera porta-*

ventur] Sic Eurip. Hippolyto πότμον ἀποτμον: in Helena ἔργα ἀνεργα. Soph. Electra, μήτηρ ἀμήτωρ dixit: quæ addi possunt iis quæ ad hunc locum notarunt Scaliger et Muretus.

122 *Aut ut eam dulci devinctam lumina somno*] Hinc Tibull. 'Occupet et fessi lumina victa somor:' item alibi, 'Ipsa Venus somno domitus emittere vocem Jussit.' Quæ quamvis ita sint, longe tamen prætulerim lectionem codicum quorundam qui *devinctam* habent. Vincula eleganter somno tribuuntur; sic enim de eo Orpheus in Hymnis, Σώματα δεσμεύων ἐν ἀχαλκείοισι πέδησι. Moschus Idyllio 11. somni vincula non toti corpori ut Orpheus, sed oculis tantum injicit, "Τῆνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφαροῖσιν ἐφίξων Λυσιμελῆς πεδάα μαλακῶ κατὰ φάεα δεσμῶ: item Virg. Ciri iisdem pene verbis queis Catullus, 'Jamque adeo dulci devinctus lumina somno Nisus erat.' Neque hæc apud Poëtas solum, sed et apud Philosophorum principes usitata sententia, qui multas hujusmodi de Poëtarum flosculis collas operibus suis intexuerunt. Aristot. ecce in libro de Somno et vigilia dixit, 'Ὁ γὰρ ὕπνος πάθος τι τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου ἐστὶν οἷον δεσμός τις καὶ ἀκινήσις. Idemque repetit paulo post, Τῆς δὲ αἰσθήσεως τρόπον μὲν τινα ἀκινήσιαν καὶ οἷον δεσμὸν τὸν ὕπνον εἶναι φασίεν. Cur autem 'dulcis' Epitheton somno tribuatur, disertissime explicat Themistius Aristotelis Paraphrastes: "Ὅτι τῶν περὶ ἡμᾶς παιδῶν ὁ ὕπνος ἡδιστόν ἐστι: πρῶτα μὲν γὰρ αἰσθησὶν ἀλγηδόνος πᾶσι σβέννυσι διὰ τὴν ἡδονὴν πολλῶ τῶ οἰκείῳ κεραννυμένην, ἔπειτα τῶν ἄλλων ἐπιθυμιῶν κρατεῖ κἂν ὡς σφοδρόταται: hinc et ὕπνος ἡδιστος Homero dicitur, et Virg. Æn. vi. ex persona Deiphobi, 'presitque jacentem Dulcis et alta quies.'

142 *Quæ cuncta aërii discernunt irrita venti*] Sic supra, 'ac tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre ac nebulas aërias sinis.'

164 *Sed quid ego ignaris nequicquam*

conqueror auris] Exprimat gravem quandam animi commotionem eorum, qui miserias suas auris et ventis narrare finguntur, ut Cassandra apud Lycophr. mari et saxi, Calypso apud Propert. Oceano, Hercules apud eundem Ascanio fluvio, Medææ Nutrix apud Eurip. cælo et terræ conqueritur; ut enim Interpres ibi conat, Οἱ στενοχωρούμενοι τῶ κακῶ, τῶ οὐρανῶ ἢ τῶ ἡλιῶ, ἢ τινι ἄλλῳ θεῶ, ὑψηλοῦνται τὰ καθ' ἑαυτοὺς πράγματα. Unde et adolescens ille Plant. Mercatore reprehendit amatores eos, 'qui aut nocti aut die Aut Soli et Lunæ miserias narrant suas.' Hinc quoque pertinet illud Callim. Epigramma: Κουφοτέρως τότε φῶτα διαθλίβουσιν ἀνίας Ἐκ δὲ τριηκόντων μοῖραν ἀφεῖλε μίαν, *Ἡ δ' ἔς ἀνδρα συνίμπορον ἔρχητ', ἢ ὅτε κωφαῖς Ἄλγεα μὰθ ἀβραῖς ἔσχαστον ἐξέρη. Quod nobis ita convertere placuit: *Levius humanas affligunt tristia mentes, Et perit e multis pars quotacunque malis, Cum quis vel fido comiti, vel denique frustra Non audituris conqueritur Zephyris.* Ubi vides quam eleganter κωφαῖς ἀβραῖς respondeat Catulli *ignaris auris*.

177 *Nam quo me referam, quali spe perditam nitam? Isthmoneosne petum montes? at gurgite lato Discernens patriam truculentum dividit æquor. An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui, Respersum juvenem fraterna cæde sequuta? Conjugis an fido consoler memet amore? Quine fugit lentos incurtans gurgite remos*] Locum latius adscripsi, ut similitum collatione lucem acciperet. Videntur enim hæc adumbrata ex illis C. Gracchi verbis Oratione, 'Uti lex Papyria accipiatur, quæ citantur a Quintil. lib. xi. cap. 3. 'Quo me miser conferam, quo veritam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat: an domum? matremne ut miseram lamentantemque videam et abjectam?' Item ex Eurip. Medea: Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους, Οὐδ' σοὶ προδοῦσα καὶ πά-

τραν ἀφικόμεν; *Η πρὸς ταλαίνα Πελοιδας; καλῶς γ' ἂν οὖν Δέξαιτό μ' οἴκοις ὦν πατέρα κατέκτανον. Quorum partem expressit Ennius apud Cic. 'Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi? Donum paternamne, ane ad Pelia filias?' Eleganter, ut omnia, et Ovid. hanc figuram transtulit in Met. VIII. sic enim loquitur ex persona Scyllæ, 'Nam quo deserta revertar? In patriam? superata jacet: sed finge manere, Proditione mea clausa est mihi. Patris ad ora? Quem tibi donavi?' Hinc videntur etiam pertinuisse versus Accii in Atreo; quos sic lego et distinguo, quum corruptissimi edantur apud Nonium: 'Egone Argivum imperium attingam, an Pelopia digner domo? Quoi me ostendam? quod templum adeam? Quem ore funesto alloquar?' Similis sententiæ argutia apud Senecam in Medea est, 'Penatibus profugere quam cogis tuis, Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam? Patriumque regnum? quæque fraternalis cruor Perfudit arva? quas peti terras jubes? Quæ maria monstras? Pontici fauces freti? Per quas revexi nobiles Regum manus Adulterum secuta per Symplegadas?' Verum in his unius vocalæ mutatione valde me erexisse sententiam puto rescribendo in medio, 'quæne fraternalis cruor Perfudit arva?' quod ex Catullianis, quæ adduxi modo, clarum esse poterit iis qui attendent. Huc quoque facit Apuleius Miles. lib. v. 'Sed nunc irrisui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis stellionem istum cohibeam? Petamne auxilium ab inimica mea Sobrietate, quam propter hujus ipsius luxuriam offendi sæpius?'

191 *Cælestumque fidem postrema compeer hora*] Vix est, ut non ex glossa in contextum irrepisset putem *postrema*, et rescribendum *suprema*. Sic Tibull. 'Te spectem, *suprema* mihi cum venerit hora:' et iisdem verbis

Ausonius, '*suprema* mihi quum venerit hora, Nec metuat mortem sibi conscia vita nec optet:' Catullus hoc ipso Carmine, '*Quam* tibi fallaci *supremo* in tempore deesse.' Hinc et '*suprema* dies' sæpe apud Poëtas pro ultima ponitur, et '*suprema*' numero multitudinis pro ultima voluntate defuncti apud Tacitum et Jurisconsultos. Item '*suprema*,' pro iis, quæ '*novissima* verba' dixit Virg. Apud Quintil. Declam. VIII. '*Vidimus* igitur frequenter ad vitam post conclamata *suprema* redeuntes:' quod postremum valde faciat firmandæ opinioni Sclæckianæ, quam in Epistola ad me posuit in Præmissis, ubi illud Plauti Asinaria, '*Mater* mihi *supremum* tua dixit,' trahit ad hunc funerum ritum me non nolente.

204 *Annuit inricto cælestum numine rector*] Dignum nota, '*numen*' hic pro nutu accipi, ut et in illo Virgil. Æn. XII. '*Quod* nostrum annuerit nobis victoria Martem, *Quod* potius reor, et potius Di numine firment.' Sic '*momen*' pro '*momento*' sæpissime, et '*fulmento*' alibi legas apud Manil.

CAPUT VII.

'Fors,' '*magnus* casus.' Vulgata lectio in Manilio defensa et Jos. Scalligeri interpretatio stabilita. Quare Fortuna '*Hera*' cognominata Romanis. Plautini versus argutiam ab Euripide esse ostensum. Papinius illustratus. Nero defensus. '*Clangor* cæchini.' Senecæ imitatio. Martialis si forte correctus: '*platanones*,' '*incanus*,' '*invinctus*.' Callimachi Fragmentum quoddam, quo pertinuerit, conjectatum. Ovidiani loci illustratio. Germanicus emaculatus. '*Dii* parentes,' '*Penates*,' '*Patrii*.' Catullo tribus locis medicina et pluribus lux facta.

238 *Cum te reducem sors prospera sistet*] Legerim lubens, *Fors prospera*. *Fors*, id est, Fortuna: sic enim voca-

bulum hoc bis in hoc ipso Carmine usurpatur supra: 'Sic nimis insultans extremo tempore sæva Fors etiam nostris invidit questibus aures:' infra: 'Nam simulac fessis dederit fors copiam Achivis:' Manil. lib. 1. 'Atque ipsum esse Deum, nec Forte coisse magistra.' Ut autem hoc velut *ἐν παρέργῳ* dicam, Manilius in illo versu qui paullo post sequitur, 'Non opus est magni casus, sed Numinus ordo,' respexisse videtur ad hæc Cic. verba de Nat. Deor. lib. 1. 'Sed tamen quis iste tantus casus, unde tauri felix concursus atomorum?' Quod eo monui, ne quis accedat viro docto ambigenti de ejus loci Maniliani lectione; utque magno illi, imo doctissimorum maximo Jos. Scaligero potius adhæreat 'magnum casum' ex Epicureorum sententia interpretanti, ex quorum ore crebrum erat *τύραννος τύχη*: in quo ipso fluxisse crediderim Epitheton illud Fortunæ Plauto atque Eunio usitatum, 'Hera.' Sed quoniam nos fortuna Plauti in memoriam induxit, postquam semel exorbitare cœpimus, de hac ipsa Dea ponam elegantem ejus locum Captivis, 'Hæ. Perlubet hunc hominem colloqui. Ergasile. ER. Ergasilum qui vocat? Hæ. Respice. ER. Fortuna quod tibi nec faciat nec facit. Hoc me jubes.' Ad Fortunam cognomento 'Respicentem' respectum monuerunt jampridem viri docti: illud non item, sententiæ ejus acumen videri ab Eurip. sumtum, qui argutia haud dispari dixit in Phœnissis, *Μεῖνον, τί φεύγεις*; T. *ἡ τύχη σ', ἀλλ' οὐκ ἐγώ*. Eadem utriusque mens si attendis, neque prætervolas hæc, ut 'Levis tippula linifici frigidus transit lacus.' Sed jam ad rem.

262 *Plangebant alii proceris tympana palmis*] His et sequentibus similia illa Lucret. 'Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum Concava, raucisonoque minantnr cornua cantu.'

263 *Aut tenui teretes tinnitus ære ci-*

ebant] Tinnitum hic æri tribuit Catullus; contra, torvum quendam sonum Staius Papinius, 'Tum plurima buxus, Æraque taurinos sonitu vincencia pulsus:' quod videtur dixisse ad imitationem Æschyli, qui describens Cotyttia apud Strab. ita canit, *ταυρόφθοργοι δ' ὑπομυκῶντα ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῦμοι*. Hinc et Catullus supra, 'Ubi tympanum remugit: Multi raucisonis afflabant cornua bombis.' Quomodo cornua afflari possiut, non video. Lego itaque 'inflabant cornua bombis:' quod simile erit illi Neronis apud Pers. Sat. 1. 'Torva Mimalloenis implerunt cornua bombis.' Vel hinc iudicium Persii videat ac rideat lector, qui inter cæteros eum versum de Catullo adumbratum et meliorem suis velut tumidum atque elumbem reprehendat.

274 *Leciterque sonant plangore cachinni*] Magis censeam huic loco convenire *clangore*. Plangor enim fere in luctu usurpari solitus; contra, 'bilarem clangorem' gruibus Staius; 'blandum clangorem' Phœnici tribuit Claudianus. Sed quid tricamur? satis pro me probaverit hoc quicquid est conjectura Attius vetus Poëta in Phinidis, 'Ac ubi curvo littore latrans Unda sub undis labunda sonit, Simul et circum magni sonantibus Excita saxis sæva sonando Crepitu clangente cachinnat:' ubi scribendum forte versus causa, 'Cum crepitu clangente cachinnat.' Et tamen ne quid dissimulem, Lucanus quoque dixit, 'planctus illisæ cautibus undæ:' item Seneca Agamemnone, ubi ad hunc Catulli locum haud dubie respexit, 'licet Halcyones Ceyca suum flucto leviter Plangente sonent;' quamvis ibi alia plangente ratio propter Alcyonum querelas.

291 *Non sine nutanti platano lentaque sorore Flammati Phaëthontis et æria cupressu*] Tres has arbores conjunxit etiam Theocritus in Dioscuris uno versus, *Λεύκαί τε πλάτανος τε καὶ ἄ-*

κρόκομοι κυπρίσσοι. Idem autem Epitheton cupresso tribuit et Martial. lib. XII. 'Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos:' in quo videtur eum Græcus Poëta imitatus Anthol. I. Δάφναις καὶ μύρτοις καὶ εὐώδει κυπρίσσοι. In Martial. autem parum abest, quin audeam legere, *Daphnonas, platanonas, et aërias cyparissos*; ut idem alibi, 'Exornant pictæ qua platanona feræ:' et Petronius Satyrico, 'Procedentibus deinde longius jocis, rogavi ut in platanona produceret dominani.'

351 *Cum cineri incanos solvent a vertice crines*] *Incanos crines* pro valde canis accipit, ut 'inviuctum' pro valide vincto et compedito Callistratus J. C. in L. penult. ff. de lege Fabia.

385 *Præsentés namque ante domos invisere castas, Sarpis et sese mortali ostendere cætu Calicolæ, nondum spreta pictate, solebant*] Allusit huc Arnob. Adv. Gent. lib. I. 'Ipsos etiam cæciles, derelictis curis sollennibus, quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos.' Et forte huc quoque pertinnerit illud Callim. citatum ab Etymologico φοιτίζειν ἀγαθοὶ πολλάκις θεοί. De his temporibus et Ovid. Fast. I. 'Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum Esset, et humanis numina mixta locis.' Quod dictum ad imitationem Arati, ubi de Astræa loquitur, Οὐδέποτε ἀνδρῶν, Οὐδέποτε ἀρχαίων ἠγήνατο φύλα γυναικῶν, Ἄλλ' ἀναμιξέ ἐκάθητο καὶ ἀθανάτη περ εἴουσα. Ne quis autem locutionis ejus insolentiam admiretur, 'numina mixta humanis locis,' sciat id loquendi genus, ut omne fere Latine eloquendi flumen, a Græco fonte profluxisse: sic enim Diana apud Callim. dicit, Πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν Μοῦνον, κ. τ. λ. De Astræa etiam Germanicus, 'mediis te læta ferebas Sublimem populis, nec dedignata subire Tecta

hominum et puros mores sine crimine, diva Jura dabas.' Sed nec hæc usquequaque pura; et 'mores' eos in vita magis, quam in versu hoc probem: quid enim est, 'subire hominum mores?' corrigo audacter: 'nec dedignata subire Tecta hominum purosque lares sine crimine:' 'puros lares' nondum scelere ullo imbutos; postea enim, 'Impia mortalium gens non verita est,' ut noster mox dicit, 'divos scelerare Penates.'

405 *Impia non verita est divos scelerare penates*] Quum is aditus libertatis pateat omnibus qui in hoc literario exercitu stipendia merent, ut summorum virorum auctoritatem eatenus sequantur, quatenus veritati convenire videatur, utique qui cum Fabio non omnia, quæ magni autores dixerint, esse perfecta persuasum habeam, nihil verebor receptam hanc lectionem tueri, quamvis status controversiam ei moveant veteres editiones, et sequutus eas vir maximus, qui pro *penates, parentes* substituit, quod scilicet commisso hoc scelere in paternos Deos se impiaverit, et patri ipsi injuriam fecerit noverca: quam interpretationem equidem unice amplector atque adeo exosculator, sed eam ad vulgatæ vocis significationem flecto, quæ hæc fuit, ut '*Penates*' et '*Dii Patrii*' Latinis, et *πατρῶι* Græcis indigitarentur: testis Dionysius Hal. his verbis, Τοὺς δὲ θεοὺς τοῦτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν οἱ δ' ἐξηρμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλώσσαν τοῦνομα, οἱ μὲν πατρῶους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ γενεθλίους. Glossarium vetus, *Dii penates, θεοὶ πατρῶι*. Quin et '*penates*' cognomento '*patrios*' invenias apud Virg. *Æn.* v. 'adhibete Penates Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.' Et recte: sunt enim penates velut patrii ac domestici Dii a patribus nobis relictī, quibus injuriam hic factam ait Catullus, ut qui generis ac familiæ præstitēs

sint, ac præsint pietati liberorum erga parentes: simili respectu dixit Cic. Verr. III. 'Rapinnt cum ad supplicium Dii patrii, quod iste inventus est, qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, et parentes pretium pro sepultura liberorum posceret.'

409 *Nec se contingi patiuntur lumine claro*] Sic Val. Flacc. lib. I. 'canunt manifesto in lumine Fauni Silvarumque Deæ.'

CARMEN LXV.

19 *Ut missum sponsi furtivo muncre malum Dum adventu matris, prosilit, excutitur*] Aristænetus in Epistolis, Πάμφιλος δὲ μήλου μικρὸν ἀποδακῶν εὐστόχως ἠκόντισεν εἰς τὸν κόλπον ἐκείνης ἠδὲ φιλήσασα μεταξὺ τῶν μαστῶν ὑπὸ τῷ περιδεσμῷ διη περιστερινίσαστο παρέβυσσε.

CAPUT VIII.

'Aërius' pro cælesti. 'Novum mare.' Callimachi Fragmento novum supplementum verisimili conjectura quæsitum. Apollinis etymon. Theocritus illustratus. De Memnonis statua quædam haud protrita, deque ea auctorum variæ ac novæ opiniones allatæ, atque inter se collatæ. 'Lumina,' φάεα, pro diebus. Ennius illustratus.

EXSTAT inter alia Catulli opuscula pulcherrimum sane Poëmaticum de Coena Berenices ex Callim. expressum, cujus Græca Elegia, si non eandem cum reliquis ejus plerisque omnibus scriptis injuriam temporis passa fuisset, vehementer conferret ad efformanda judicia atque animos nostros iis legibus, quæ nos docent, quomodo adumbranda ac transfrenda sint Græca: quod ex parte tamen faciunt hæc ἀποσπασμάτια, quæ e Græcis Grammaticis velut pluvias aquas colligimus ad irrigandam ingenii nostri ariditatem, quæ tamen magis salivam nobis movent,

quam expleant gustum; quale illud est statim in principio.

CARMEN LXVI.

5 *Ut Triviam furtim sub Latmia saxu relegans Dulcis amor gyro devocet aërio*] Observamus enim hic aërio pro cælesti dictum, ut apud Callimachum in sequenti disticho dictum est ἐν ἕρι, pro in cælo: hinc et ἠερφόιτος Luna cognominatur Græcis, et Ἄρτεμις quasi ἀέρστεμις, id est, aërem secans, dicitur, teste Macrobio. Itaque hoc distichon ita convertimus Græce: Ὡς ποτὶ Λάτμιον ἄντρον ἔρωσ γλύκως ἠερφόιτον Κρυπταδίως κατάγει Ἄρτεμιν οὐρανόθεν.

10 *Lævia protendens brachia*] Sic supra, 'Lævia substernens robusto brachia collo.'

45 *Quum Medi irrupere novum mare*] Videtur huic respexisse Juvenalis Scholiastes ad illum locum Sat. X. 'Velificatus Athos.' 'Xerxem dicit, Persarum Regem, qui Athonem montem in Achaïa dicitur perforasse, et inmisisse terris novum mare.'

48 *Juppiter ut Χαλύβων ὀμπνε genus pereal*] Pentametrum imperfectum, quod huic Catulli respondet in Callim. ab Apoll. Scholiaste adductum, Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος, ita ab auctore ipso conceptum fuisse satis ingeniose suspicatur Muretus, Ζεὺ πάτερ ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος: quod supplementum placeret magis, si idem verborum ordo servaretur: itaque quamquam id postulet sententia, tamen quia postulat, non flagitat, ampliandum censeo: ego tametsi cum tanto viro pedem struere non ausim aut pertinaciter contendere, ne audiam illud Theocriti, Βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὡς τις ἐρίσσει: tanien quæ id ab illo dicis tantum caussa dictum sciam, quid de hoc loco consilii ceperim, studiosos celare nolui, qui auditis his testibus quos adducam, secundum nos pronuntiare præoptabunt potius quam litem suam facere.

Cum enim observassem θαυμαστικὸν illud *Jupiter* interdum per Ἄπολλον apud Græcos efferi, apud Lycophronem in Menedemo Ἄπολλον ὡς καλὸν, suspicatus sum etiam hic, quamvis in alia significatione commode succenturiari posse vocem hanc Ἄπολλον hoc modo, Ἄπολλον Χαλύβαν ὡς ἀπόλοιτο γένος Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἷ μιν ἔφηναν. Quam conjecturam nostram vehementer sibi probari significavit vobis per litteras clarissimus Lipsius; et fortasse non aliter scripsit Callim.; atque alludere voluit ad ἀπόλοιτο, cui verbo etiam nominis sui causam Apollo debet, unde signate Enrip. Phaëthonte, ὦ χρυσοφεγγές ἥλι' ὡς μ' ἀπώλεσας, Ὅθεν σ' Ἀπόλλων' ἐμφανῶς κληῖζει βροτῶς. Simili allusione usus est Hymno in Apoll. Battiaides noster, Ἄπολλον πολλοὶ σε Βοηδρόμων καλέουσι, Πολλοὶ δὲ Κλάριον. Et istiusmodi alliterationes tantum non in deliciis habuerunt antiqui, ut ex multis multorum locis manifestum est. Theocr. in Bacchis, Ἐξ ὄρεος πένθημα, καὶ οὐ Πενθῆμα, φέρουσαι: ubi Enrip. imitationem in Fabula cognomini agnosco quo dixit, Περθεὺς δ' ὕπως μὴ πένθος εἰσοῖσει δόμοις τοῖς σοῖσι Κάδμει.

52 *Cum se Memmonis Æthiopsis*] Postquam Memmonis mentio se obtulit, cur non, quia bellissima occasio est, de ejus statua aliquid dicamus aliis indictum? cujus meminerunt quidem apud Græcos Strabo lib. xvii. et Pausan. Atticis; apud Latinos Plin. lib. xxxvi. cap. 7. Tacitus Annal. ii. Juvencal. Sat. xv. et omnes in eo tanquam de compacto rem gerentes inter se concorditer congruunt, ut in Ægypto fuisse dicant. Unus Philostratus ab Apollonio eam in Æthiopia visam ait, quod ejus scriptoris vanitati, ut pote qui solens insolentissime mentiatur, tribuendum putat vir magnus, non rei veritati, tot præsertim tibi cinibus suffultæ; cui ego certe libens meritoque subscribo: tantum moneo hujus sive sententiæ seu mendacii popula-

rem esse Callistratum Græcum itidem scriptorem in Descriptionibus suis: ac primum in descriptione Ægyptii Satyri ita loquitur, Τοῦτο θεασάμενοι τὸ εἶδωλον καὶ τὸν Αἰθιοπῶν λίθου ἔμφωνον Μέμνονος ἐπιστεύομεν γενέσθαι, ὃς προσίουσης μὲν τῆς ἡμέρας ἐπὶ ταῖς παρουσίαις ἐφαιδρύνετο· ἀπιούσης δὲ ἀναβαλλόμενος πένθιμον ἐπέστενε: ποικίλα ἐα ex professo ageus, Τοῦ Τιθωνοῦ Μέμνονος εἰκὼν ἦν ἐν Αἰθιοπία ἐκ λίθου πεποιημένη· οὐ μὲν ἐν τοῖς οἰκείοις ὄροις ἐμενε λίθος ὧν, οὐδὲ τὸ τῆς φύσεως σιγηλὸν ἐνέλεχοτο, ἀλλὰ καὶ λίθος ὧν εἶχεν ἐξουσίαν φωνῆς· νῦν μὲν γὰρ ἀνίσχουσαν τὴν ἡμέραν προσεφθέγγετο, ἐπισημαίνων τῇ φωνῇ τὴν χαρὴν, καὶ ἐπὶ ταῖς τῆς μητρὸς παρουσίαις φαιδρυνόμενος· νῦν δὲ ἀποκλινομένης εἰς νύκτα ἔλεινόν τι καὶ ἀλγεινὸν ἔστανε πρὸς τὴν ἀπουσίαν ἀνιώμενος· ἠπόρει δὲ οὐδὲ δακρύων ὁ λίθος, ἀλλ' εἶχεν ὑπηρετούμενα τῇ βουλήσει καὶ ταῦτα. In quibus etiam hoc docemur aliis scriptoribus non traditum quod sciam; statuam hanc non semel, ut Strabo aliique volunt, sed bis in die, neque simplicem sonum crepuisse radiis Solis contactam, sed cum hilaritate quadam conjunctum accedente eo, contra Ingnbrem recedente. Porro quod de hac statua scribit Pausanias fractam eam a Cambyse, id paullo aliter Interpretres Juvenalis a Pythæo editus his verbis: 'Memmonis ex ære statua citharam tenens certis horis caeabat. Hanc Cambis' (lego *Cambyses*) 'Rex jussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse quod intra statuam lateret: nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magice consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo dimidio dixit, id est, aperto et diviso.' Item alius Interpretres Juvenalis nondum editus, qui codicis nostri, quem infimæ vetustatis penes me habeo, marginem conscribavit, 'Statua Memmonis filii Auroræ ita arte quadam mechanica composita, ut humana voce Regem et Solem salutaret; postea Rex Cambyses volens hanc rem cognos-

cere, partem statuæ abscidit, et sic postea Solem tantum, non etiam Regem salutabat: unde dimidio Memnone dixit.' Ad hanc Solis sive Auroræ salutationem respexit Dionysius Periegesi, 'Ἐνθα γεγωνῶς Μέμνων ἀντέλουνσαν ἔην ἀσπάζεται Ἡῶ. In quibus operæ pretium est præter multa quæ hactenus latuerunt, considerare discessionem auctorum inter se et conferre.

90 *Placabis festis luminibus Venerem*] Etiam hic loquendi modus ductus ex officina Græcorum, ut enim hic 'lumina' sic et illi φάεα pro diebus accipiunt. Quod si antestari libeat, opponet auriculam Callim. ipse, quem non alia voce etiam hic usum suspicor: sic enim loquitur Hymno in Dianam: ἀλλὰ θεῆται Δίφρον ἐπιστήσας, τὰ δὲ φάεα μῆκύνονται: item Hymno in Cererem, 'Ἐρυσίχθονα δ' ἤλασε κάπρος Πίνδον ἀν' εὐάγκειαν, ὃ δ' ἔννεα φάεα κείται. In eadem notione sumitur hoc verbum apud Ennium Medea, 'Si te secundo lumine hic offendero:' respondet enim ille Eurip. Εἴ σ' ἡ πιοῦσα λαμπὰς ὕφεται θεοῦ.

CAPUT IX.

Catulli locus, qui in mendo hactenus cubuerat, nunc primum, ut spero, persanatus. 'Eridanus amnis.' 'Bootem' pro 'Orione;' et 'Orionem' vicissim pro 'Boote' sumi. Germanicus emendatus. Inibi per occasionem alia quædam de Orione.

PERVENIMUS tandem ad eum locum, qui jam inde a Politiani sæculo multos exercuit, multas pugnas atque adeo tragædias excitavit. Is est conclusio hujus politissimi Carminis:

94 *Proximus Hydrochoi fulgeat Orion*] Verum cum ne nunc quidem satis explicatum eum videam, non videor in scirpo nodum quæsisse, si cum viris maximis symbolam aliquam in hujus illustratione contulero. Ac primum quidem sententiam hæc sub-

esse, restitui regio capiti velle comam, et mandare Orioni astro fulgentissimo, ut pro se lucere velit, assentior Principi Critico. Cui anchoræ interea navem commendabimus nostram, ne nimis fluctuet explicationum salo, donec plenis velis invehamur in portum veræ lectionis; vulgata enim qui constare possit non video, quum aperte falsum sit proximum τῷ Ὑδροχόῳ sive Aquario esse Orionem. In quibusdam editionibus ita concipitur hic versus, *Proximus Arcturos fulgeat Erigone*. Ex quo videamus an aliquid boni exsulpi; et, ut ex lapidum conflictu trituque ignis, sic e lectionibus collisis elici veritas possit, quam prius videor eruisse, Erigonem fugitivam retrahendo a cauda versus in medium, et minima mutatione in Eridanum convertendo, ut rescribatur totus versus hoc modo, *Proximus Eridano fulgeat Orion*. Eridanus autem ita proximus Orioui est, ut ποταμὸς Ὀρίωνος vocetur Proclo aliisque, ποταμὸς δ' ἀπὸ τοῦ Ὀρίωνος Gemino in Apparentiis Cælestibus. De eo ita Aratus, Ὄσον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται Λεῖψανον Ἐριδανοῖο πολυκλαύστου ποταμοῖο: Καὶ τὸ μὲν Ὀρίωνος ὑπὸ σκαῖν πῶδα τείνει: et Cic. ex eodem, 'Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum Cæli funestum magnis cum viribus amnem, Quem lachrymis mæstæ Phaëthontis sæpe sorores Sparsernnt, letum mærenti voce canentes. Hunc Orionis sub læva cernere planta Serpentem poteris.' Videmus jam quod ad astrorum θέσιν attinet, quam commode Orioni adjungatur ille amnis. Et errorem exinde natum credo, quod χύσω ὕδατος ἀπὸ τοῦ Ὑδροχόου, quæ etiam a Manilio 'flumina' dicuntur, cum Eridano amne confuderint homines præposter, ut etiam huic loco hanc explicationem appinixerint, 'Si fierem, ut opto, coma Regia, tunc me, quæ media sum inter utrumque, sublata,

Orion foret proximus Aquario: in qua quot verba, tot errores vides: sed εἴηθες τὸ τοὺς εἴηθεις τῶν λόγων λίαν ξετάζειν. Itaque eos mittamus, et ad Orionem nostrum revertamur, qui, quamquam ferro suo armatus veniat, nunquam tamen nos absterrebit, quin excutiamus eum totum. Neque alienus est hic locus ab ea observatione, qua Orionem hunc Bootis quoque nomine insignem fuisse colligimus ex Hesychii Lexico his verbis: Βωώτης ὁ Ὀρίων. Item: Βωοτεῖν, ἀρωτηῖν, ὅτε ὁ Ὀρίων δύνη. Etiam Hygino, qui Orionis Canem apud alios Icarii Canem esse scribit, qui Icarus idem cum Boote est: cui rei hanc causam subesse suspicor quod clavam manu tenens, et cum Tauro gradum præliantis componens fugatur Orion: nisi quod Bootes a tergo instet juvenis, hic a fronte. Sed et Orionem vicissim pro Boote sumi observavi ex Theocrito, qui Ἡρακλῆσκι ita scribit, Ἄμος δὲ στρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύναι Ἄρκτος Ὀρίωνα κατ' αὐτόν. Id autem ita esse colligo ex Anacreontis loco, qui huic plane geminus est, Μεσονυκτίοις ποθ' ὤραις, Στρέφεται δὲ Ἄρκτος ἤδη Κατὰ χεῖρα τὴν Βωώτου. In Germanici Commentariis mendum est in hac voce, 'Orion, qui et incola dicitur:' repono meo periculo, 'qui et jugula dicitur.' Orionem enim Jugulam dici satis notum ex Varrone aliisque. Neque illud supine prætereundum, aliam nominis rationem, quam ab aliis traditur, assignari huic a Strabone, nimirum ab Oreo urbe montana Eubœæ insulæ in qua educatus: ad quod etymon Poëtas respexisse puto, quum primam in Orione corripuiunt. Sed ut illuc unde digressus sum redeam, unum etiam video objici posse Eridano nostro, scilicet eam μόρφωσιν ab aliis Nilum vocari, idque potius nomen ei assignaturum fuisse Callimachum, quum res in Ægypto gesta sit. Equidem, quamvis hoc totum

negare possim, non enim exemplum exstat apud Poëtas, quod sciam; tamen facile eluserim hunc istum, si dicam, etiam si Callim. Nilum possisset, tamen Catullum Eridanum scripturum fuisse, quod et Poëtarum in vertendis Græcis consuetudo et Latine linguæ leges postulabant.

CAPUT X.

Catullus leviter emendatus. Supercilium iracundiæ sedes; item superbiæ. 'Longus homo' quid sit in Catullo, noviter explicatum. 'Fortunæ fluctus'; 'mala bestia.' Loci cujusdam falso suspecti enarratio contra novatores. Petronius, Arnobius, Pindari Scholiastes, Ennius, Tibullus varie correcti aut illustrati: alia quædam.

Quod in Carmine proxime sequenti est,

CARMEN LXVII.

4 *Olim cum sedes ipse senex tenuit*] suspicor scripturum fuisse, *quum has ædes, ipse scilicet tenuit*, extritasque priores literas, scilicet *h* et *a*, propter elisionem; quamvis *sedes* etiam pro ædibus poni non ignorem apud Tibullum et huic nostrum supra.

45 *Quem dicere nolo Nomine, ne tollat rubra supercilia*] Eleganter solennem excaudescientium et nubila fronte minas spirantium habitum et vultum expressit. Sic Philostratus in Imaginibus de Medea, Τίς ἢ βλοσυρὸν μὲν ἐπισκύνιον ὑπὲρ ὀφθαλμῶν αἴρουσα; Aristoph. Ranis, Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχόμενος ἦσει: ad quem locum Scholiastes, Ὄθειν καὶ σκίζεσθαι τὸ ὀργίζεσθαι διὰ τὸ ἐνδιάθετον γίνεσθαι τοῦτο μέρος τοῖς ὀργιζόμενοις, καὶ ἐπισκύναι τὸ χαλεπήναι, ἀπὸ τοῦ τὸ ἐπισκύνιον καθέλκει τοὺς χαλεπαίνοντας. Quæ disertim explicant mentem Catulli. Atque hæc quidem ad excaudescientiam pertinent, quam superciliis homines declarant. De superbia ac fastu, quæ hic pendet ac sedem habet, ut Plin. lo-

quitur, signate Petronius, 'Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit:' idemque Aristænetus, 'Ὡς ἐρώμενος, αὐθαδέστερον ὑπεραίρη, καὶ πεφρόνηκας μέγα, καὶ σοβαρότερος γέγονας τὴν ὄφρυν: quibus simile illud Agathiæ Scholiastici in Epigrammatis, 'Ἡδ' ὑπερήρηθη, σοβαρὴν δ' ὑπερέσχεθεν ὄφρυν. Arnob. Adv. Gent. lib. I. 'Qui arrogantiam constrinxit nostram, et elatas supercilio cervices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere:' ubi legendum forte, 'et elatas cum supercilio cervices;' ut intelligat et supercilium elatum et cervices: sic Idem lib. II. 'Philosophi credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, et in hujus nominis supercilium sustulerunt:' ubi deesse aliquid videtur post 'nominis;' quid tamen id sit, divinare non potui. De superciliorum fastuosa elatione plura sunt in Græcorum libris, quæ omitto; hæc enim paucula attuli ut illustrarem.

47 *Longus homo est*] 'Longum hominem pro insulso ac blenno homine accipio hoc loco: quemadmodum μέγας pro stolido et inepto ponitur apud Aristophanem.

CARMEN LXVIII.

13 *Accipe, quis merser fortuna fluctibus ipse*] Æschylus Prometheus victo, Οἶός σε χειμῶν καὶ κακῶν τρικυμῖα 'Ἐπεισ' ἄφυκτος. Scholiastes Pind. in Isthm. Καὶ Ἀλκαῖος τὴν δυστυχίαν, χειμῶνα, καὶ τρικυμῖαν λέγει. Ubi fortasse perperam Alcæi nomen pro Æschyli positum est; nisi idem quoque Alcæus dixerit, quod nobis divinare haud in proclivi.

141 *Atqui nec divites homines componier æquum est*] Videtur respexisse ad verbum illum Homeri Od. Π. prolatum ex persona Ulyssis alloquentis Telemachum filium, Ὀἴτοι ἐγὼ θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν εἶσκεις;

CARMEN LXIX.

7 *Hunc metuunt omnes: neque mirum,*

nam mala valde est Bestia] Sic Bion Idyll. φεύγει μακρὰν, κακὸν ἐντὶ τὸ θηρίον.

CARMEN LXX.

3 *Mulier cupido quod dicit amanti, In vento et rapida scribere oportet aqua*] Eleganter has duas res conjungit, quæ eo ingenio sunt ut in iis exprimi nihil possit: quomodo et Propert. de ejusdem sequioris sexus sublesta ac levifida fide, 'Quicquid jurarunt ventus et unda rapit.' Jam et aqua perpetuo fluit; et ventos nihil aliud est, quam 'fluens aër,' ut Senecæ, aut 'multum et vehemens in unum coacti aëris flumen,' ut Apuleii verbis utar. Ac tanta harum duarum rerum cognatio est, ut quorundam Philosophorum opinio fuerit, aërem cum fluit ventum, cum cogitur aquam esse; quod ut mihi credatur, apponam Aristotelis verba Meteor. I. cap. 13. Εἰσὶ δὲ τινες, ἰνquit, οἳ φασὶ τὸν καλούμενον ἀέρα κινούμενον μὲν καὶ βέοντα ἔνεμον εἶναι, συνιστάμενον δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον πάλιν νέφος καὶ ὕδωρ, ὡς τῆς αὐτῆς φύσεως ὕδατος καὶ πνεύματος. Fuisse autem Hippocratem hujus dogmatis auctorem testis est Olympiodorus ad eum Aristotelis locum; et huc respexisse apparet Ennium in Epicharmio, 'Isthic est Juppiter quem dico, quem Græci vocant Aërem, qui ventus est et nubes, imber postea Atque ex imbre frigus, ventus, post fit aër denuo:' ac fortasse etiam Tibullum, 'Venti temeraria vota, Aëriæ et nubes diripienda ferant.' Affine autem illi Catulliano dicto istud Nazianzeni est in Epistola ad Sophronium Præfectum, 'Ὡς ἀβραῖς μᾶλλον πιστεύειν καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ. Quæ omnia adscripti tanquam Gorgonem illis, qui cum elegantiam ejus dicti minus ceperint, imperitiæ mantellum in suspicione quærentes, vinum hic pro vento nobis obtrudere ausi sunt, ineptissimi homines et vento quovis inaniore.

CARMEN LXXII.

7 *Qui potis est? inquis. quod amantem incuria talis Cogit amare magis, sed bene velle minus*] In eandem sententiam dixit Paulus Silentiarius Anthol. VII. Ὁ βρις ἔρωτας ἔλυσε· ματὴν δδε μῦθος ἀλάται, Ὁ βρις ἐμὴν ἐρέθει μᾶλλον ἔρωμαίνην. Huc et pertinet Epigramma quod paulo post sequitur: 'Huc est mens deducta tua, mea Leshia, culpa, Atque ita se officio perdidit ipsa suo; Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias, Nec desistere amare, omnia si facias.' Hoc quid sit, explicat Ovid. in Amoribus, 'Aversor morum crimina, corpus amo.'

CARMEN LXXVI.

11 *Quin te animo affirmas*] Malim *affirmas*: Accius Euryrace, 'Tute ipse affirmata et compara.'

CARMEN LXXVII.

2 *Frustra, imo magno cum pretio atque malo*] *Magno cum pretio* est id quod Callim. dixit μισθῶ μεγάλῳ, ubi Politianus 'Mercede ingenti,' respiciens haud dubie ad hæc Cic. Tuscul. III. 'Nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.' Item illud Plin. lib. VII. cap. 1. 'Hominis caussa videtur cuncta genuisse natura, magna et sæva mercede contra tanta sua munera.' Quod obiter moneo propter magnum virum leviter ejus loci versionem reprehendentem, quasi dicendum potius fuisset, 'Cum pretio ingenti:' verum id opus non fuit, cum mox sequatur, 'quod maneant pretium.'

CARMEN LXXXIII.

6 *Irata est: hoc uritur et loquitur*] Doctissimus doctor noster J. Lipsius, anima Critices, et elegantioris literaturæ lumen ac columnen, legebat *coquitur*, ex illo Eunii, 'Quæ nunc te

coquit et versat sub pectore cura: quod absit ut non probem atque adeo necessario reponendum putem hoc loco.

CARMEN LXXXV.

1 *Odi et amo*] Martialis hoc imitatus in Sabidium quendam: 'Non amo te, Sabidi; nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere, non amo te.'

CARMEN CI.

5 *Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum*] Sic supra, 'Quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus Eripit invito mihi te.'

CARMEN CXVI.

4 *Tela infesta meum mittere in usque caput*] Julianns in Misopogone, Βάλλοντές σε τοῖς σκόμμασιν ὡς περ τοξεύμασι: hinc et 'jacere maledicta' apud Livium; 'jacere contumeliam,' atque etiam 'injuriam,' apud Cic. Sed et in Oratione pro Quintio scribit, 'Ita fit ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adversarius nullum jecerit.'

CAPUT XI.

Quædam quæ in prioribus monere nos fugerat retractata.

INTER describendum has notas, fugerant memoriam nostram pancelæ observationes in liturariis delitescentes, quas quum serum esset suis quasque locis interponere, e fuga retractas conjeci in hoc caput.

CARMEN X.

27 *Ferri mane: mane inquit puellæ*] Velim hæc addi: Similis vocum in diverso significatu idem fere sonantium concursus apud Aristænetum in Epistola Hermotimi ad Aristarchum, Μείνον' ἀμεινον καταβήσομαι θάπτον, καὶ τῆς βραχέλας μελλήσεως ἔνεκα μειζόνως σε θεραπεύσω.

CARMEN XLIX.

1 *Disertissime Romuli nepotum Quot sunt, quotque fuere Marci Tulli, Quotque post aliis crunt in annis*] Idem illud loquendi genus, quod a Græcis esse supra monui, inveni apud illum ipsum disertissimum Romuli nepotum Epistol. Famil. lib. xi. Epist. 25. 'Dii isti Segulio male faciant, homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuere, qui futuri sunt.'

CARMEN LXIII. Ver. 6.

Adde illud Arnobii ex lib. v. 'Pinus illa, sollemniter quæ in matris infertur sanctum Deæ, nonne illius imago est arboris sub qua sibi Attys virum demissis genitalibus abstulit?'

CARMEN LXIV.

102 *Aut mortem appeteret Theseus, aut præmia laudis*] Sic Martialis lib. i. 'Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.'

275 *Post vento crescente, magis magis increscunt*] Idem supra, 'Et magis magis in dies et horas.' Sic et Græci

interdum μάλλον μάλλον, ἀσυνδέτως dicunt, ἀντὶ τοῦ ἀεὶ μάλλον, (ita enim lego pro ἀεὶ καὶ μάλλον,) ut annotat Suidas afferens ex Atthide Alexidis exemplum, cui addas licet hoc Eurip. Iphig. T. Μάλλον δὲ μάλλον πρὸς πέτρας ἤει σκάφος.

CARMEN LXVI.

6 *Dulcis amor gyro devocet æërio*] Ad hunc versum 'æërium' pro cælesti accipi notavi ad imitationem Callimachi: fugerat me monere, quod unice ad explicationis nostræ confirmationem facit, in Glossario illo sæpius a me laudato legi sed fugientibus literis, 'Æërium, cæleste.'

23 *Ut tibi tunc toto pectore sollicita Sensibus ereptis mens excidit*] Sic Apoll. R. lib. iii. Ἔκ δ' ἕρα οἱ κραδίη στηθέων πέσειν.

48 *Jupiter ut, &c.*] Ad Enripidis exemplum illic a me citatum adde hoc Æschyli in Agamemnone, Ἀπολλων, Ἄπολλον, Ἀγνυεῦ τ', ἀπόλλων ἑμός. Ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόνις τὸ δεύτερον.

ROBERTI TITII BURGENSIS

IN

CATULLUM

PRÆLECTIO PRIMA.

Si, quam sæpe in conspectum vestrum prodeò, Auditores, tam sæpe aliquid in medium afferrem, quod vobis nonnullam voluptatem pareret, aut alicui usni esse posset; incredibili sane gaudio afficeret, meorumque laborum, quos in hoc munere fungendo frequenter exhaurio, non exiguum

fructum me percipere arbitrarer, propterea, quod mihi certo persuaderem, summa utique attentione me a vobis auditum iri; quæ res plurimum dicenti alacritatis afferre solet. Quomodo enim is veliementer non sibi placeat, qui in se unum omnium oculos ingenti cum expectatione con-

jectos esse videat, et ab ipsius ore tam multos cum minime dubio eruditionis præjudicio pendere intelligat? Sed vel mei ingenii tenuitas, vel summa omnium vestrum eruditio in causa est, cum ad vos verba sum facturus; etiam valde præmeditatorum obliviscar, atque animo ita perturber, ut omnem omnino eloquentiæ vim, (si ulla modo eloquentia in me reperitur,) protinus amittam. Verumenimvero hic aliquot astare video, qui de mea eruditione non omnino pessime sentiunt; cuncti vero ea estis humanitate præditi, ut jure merito omnem a me timorem abjicere debeam. Itaque nisi vobis incomperta protulero, ut ipsa rerum novitate vestras aures demulceam; ordine saltem, ac methodo quadam ea fideliter commemorabo, quæ ab eruditissimis viris memoriæ prodita sunt, quorumque si vos nonnulla fortasse cepit oblivio, laudi potius quam vitio verterim: nam recte facere, quam recta narrare complures malunt. Ac me quidem inveterata hujus Gymnasii consuetudo satis tuebitur, quæ licet invitum ac reluctantem in hanc harenam suo quodam jure quotannis devocat. Quoniam vero Theologiæ, Jurisprudentiæ, Philosophiæ, Medicinæ, quas dumtaxat scientiæ nomine dignas esse nonnulli sibi persuaserunt, encomia ab eruditissimis viris, qui apud vos publice ante hæc verba fecerunt, persæpe decantata fuisse scio; libuit mihi, cæteris interim omissis, de præstantia Pœseos nonnihil commemorare, ut viam quasi sternerem ad lectionem Catulli, cujus Galliam hoc anno meis auditoribus interpretandum suscepi. Ac, quamvis de hoc etiam studio pleraque a compluribus dicta esse non ignorem, ut nihil propemodum supersit, quod veluti novum a me vobis nunc proponi possit: conabor tamen et meo muneri, et matorum desiderio, qui hoc a me cniæ petierunt, utcuinque satisfacere.

Et alioqui, si, quæ semel audistis, minime sunt iterum attingenda, oportebit jam omnium disciplinarum magistros penitus obmutescere. Sed, vel quia non omnia fideliter memoriæ iniærere solent, vel quia singulis quibusque annis alii atque alii adolescentes ingenti numero studiorum causa in hanc urbem conflunt; licebit mihi, sat scio, de iis rebus sermonem instituere, quæ, tametsi ab aliis ante hæc non semel tractatæ fuerint, habent tamen cur iterum atque iterum propositæ audientium aures non parum deliniant, eorundemque animos mirifice oblectent. Præterea de carminum conficiendorum ratione atque eorum mensura ea dicturus sum, quæ tantum abest, ut a quoquam hactenus tradita fuerint, ut ne ulli quidem in mentem inquam venisse censeam. Sed hæc posterius; nunc de præstantia ac dignitate poëticæ facultatis breviter videamus. Nihil potius homini propositum esse debet in hoc brevi suæ vitæ curriculo, quam iis virtutibus animum excolere, quæ ad summum bonum, quatenus quidem in hac corporis compage illud assequi licet, nos recta perducant, unde postmodum ad veram beatitatem, quæ Christianum virum in cælo manet, facilius aditus aperiat. Hinc fit, ut aliqui vestrum Philosophiæ, nonnulli Jurisprudentiæ, alii aliis disciplinis operam navent: in quarum cognitionem bonum illud, quod in terris quærimus, a sapientissimis viris collocatum fuisse constat. Ac, sicut omnium disciplinarum studium hinc fini magno opere conducit, ita poëtarum lectio, præ cæteris, cum a Theologia discesserimus, maximo est nobis adjumento ad omnia illa consequenda, quæ per varias artes diligenter exquirimus: quandoquidem poëticæ facultatis materia subjecta, et (ut vocant) stratum, sit omnium disciplinarum orbis et complexio. Quod si Homerum totius

Philosophiæ quasi parentem atque auctorem agnoscimus, ipsique accepta referimus omnium disciplinarum placita atque decreta, quemadmodum quidem Plutarchus ac multo magis res ipsa nos docet; quid, quæso, dicemus de tota facultate poetica, et universo poetarum cœtu? Nam vehementer quidem falli eos, qui puerilem quandam et inanem duntaxat aurium oblectationem poeti consecrantur, omnibus in confesso est; et qui aliter de hac re sentiret, ipsamque duntaxat numerorum harmoniam et rythmos consideraret, omnia iuterim cognitione rerum præclarissimarum, quæ illis rythmum et numerum comprehenduntur: perinde ac si quis in pulcherrima virgine purpureas et perlucidas vestes, aurea baccataque monilia, venustis coloribus et gemmis interstinctas armillas; comptos ac certa quadam ratione dispositos crines; perisclidem, sandaliaque eleganter confecta, reliquumque corporis ascititium cultum; non ipsam pulchritudinem, quæ in apta membrorum conformatione, coloris bonitate, lepore ac venere quadam posita est, adamaret; similis hac in re Penelopes prociis, qui relicta hera ipsi se ancillarum amoribus penitus addiderunt. Idem error objectus est Ixioni Phlegyæ filio, qui, cum Junonem se tenere arbitraretur, nubem compressit. Aristoteles ne (ut alios taceam) de re tam levi sibi leges tradendas esse unquam existimasset; cujus ingenium omnium disciplinarum capax fuisse novimus, atque ita quidem capax, ut extremam eis imposuerit manum, quæ nunquam antea a tot Philosophis fuerat imposita. Hunc deinde sequuntur Phannias, Theophrastus, Eraclides, Dicæarchus, Demetrius Phaleræus, plura de hoc studio literis consignarunt, quæ vel ipsa a magistro acceperant, vel suoapte ingenio excogitaverant; nec ea in re tempus aut operam se inutiliter consumere credi-

derunt. Democritus quoque, gravissimus inprimis ac tetricus Philosophus, complures libros de eo artificio composuit. Sed et ipse Socrates, quem cum nomino, ipsummet severitatis exemplar nominare me certo scio, hanc partem intactam minime reliquit; imo vero suo exemplo effecit, ut Crito, Simon, Antisthenes, Simnias, Aristippus non pauca volumina de eadem facultate conscripserint; quod Zenonem quoque, et Cleanthem fecisse constat. Parmenides quoque, et Empedocles de rerum natura plures libros carmine confectos ediderunt; quos philosophos tanti fecit Aristoteles, ut plurimum semper laboraverit in aliquot eorum sententiis, quæ suis dogmatibus non leviter officerent, refellendis: ne quis eos ludicra quædam tradidisse forsitan existimaret. Leges quoque carminibus comprehensas fuisse novimus, unde fortasse factum, ut vocarentur νόμοι; certe de legibus carmina usurpari nemo ignorat, veluti cum dicitur, 'Lex horrendi carminis,' nisi si initio quælibet oratio scriptis comprehensa certis quibusdam finibus inclusa fuit, unde carminis nomen inveniit, quod et ipsum poetæ nobilitatis, non leve mehercule præbet argumentum. Nec minus res medica verbis in numerum adstrictis explicata fuit: siquidem Heliodorus, Democares, Clinicus, Philon, Endemus, Andromachus, Nicander, quorum duorum postremorum luebrationes aliquot adhuc supersunt, et alii complures hujusmodi argumentum olim complexi fuerunt; sicuti res cælestes, et quæ ad astrorum motum ipsorumque conversiones pertinent, Orpheum, Hesiodum, Thaletem, Eudoxum, Dorotheum, Manetem, Aratum excutos fuisse novimus; atque Hesiodi quidem et Arati monumenta non penitus intercederunt. Denique nihil reperiri aut excogitari potest, quod ad Poëtam

veluti ad proprium artificem pertinere non videatur; ut hunc merito, tanquam architectonicum, et in cuius officina reliquæ omnes artes ac disciplinae vel penitus excuduntur, vel saltem explorantur et poliuntur, admirari liceat; quodcirca vere dictum est a Manilio, 'Omne genus rerum docti cecinere poëtæ.' Sed in rebus potissimum divinis eos primum fuisse occupatos plane constat, quin hujus facultatis inventores, ut divinas laudes majori cum dignitate celebrarent, carmine sibi assurgendum esse duxerunt, et quam possent honorificentissime præclaram illam naturam venerari studuerunt: quod non aliter se facere posse sperarunt, quam si modulatis cantionibus eorum laudes pronunciarent, 'Carminibus Di superi placantur, carmine manes.' Et quidem excellens natura excellenti atque insolito loquendi genere compellari debet. Sic nos, cum ad principem aliquem virum adimus, verba et gestus componere consuevimus; neque a carminibus fortasse abstinere, nisi hæc eorum majestate longe majora esse arbitraremur. Quamquam non alicujus hominis inventum carmen et poësis videri debet, sed ipsiusmet Latonæ, quæ filium Apollinem cum Pythonæ serpente aliquando concertantem his vocibus fuerit cohortata, ἦ παιδὲν, ἦ παιδὲν, ἦ παιδὲν. Quo numeri genere deinde usus fertur Apollo in oraculis reddendis. At vero formandis moribus appositissima est poësis, ut pote quæ clanculum præcepta nobis instillet, quorum quasi amaritudinem et insuavitatem, si ea nude nobis traderentur, vix ferre possemus. Id persimili in re vidit Lucretius, atque idcirco philosophiæ præcepta carminum dulcedine se condire velle professus est, non secus ac medici facere consueverunt, qui amaras potiones pueris præbituri, poculorum labra melle contingunt, ne teter ille sapor

deprehendatur; et quemadmodum periti atque elegantis medici est morbos leniter ac suaviter depellere, ita quemlibet iuventutis institutorem maxime decet, quacumque tandem ratione potest, atque ea inprimis quæ non sine aliqua voluptate finem consequitur, pristinæ sanitati ægrotos restituere. Hoc vel una omnium, vel ex omnibus præcipue, poëtica facultas cunctorum eruditorum consensu præstare potest; ut immerito e sua Rep. videatur Plato poëtæ eiecisse, atque eis aqua et igni penitus interdixisse: nisi quorundam imbecillitati eo pacto succurrere voluit, qui poëtarum fabulas ita accipiebant, perinde ac si vera historia traderetur; quemadmodum fecit Chæra adolescens apud Terentium suo inserviens instituto: 'Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc: Jovem Quo pacto Danaës misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum; Egomet quoque id spectare cepi; et quia consimilem luserat Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi, Deum sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas Venisse clam per impluvium fucum factum mulieri. At quem Deum? Qui templa cæli summa sonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem?' Sed in hunc errorem non prolabetur, qui, quod est apud Propert. 'Orphea, te tenuisse feras, et concita dicunt Flumina Theicia detinuisse lyra: Saxa Cytheronis Thebis agitata per artem Sponte sua in muri membra coisse ferunt:' cum Horatio interpretabitur, 'Sylvestres homines sacer interpresque Deorum Cædibus et victu fædo deterruit Orpheus; Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones: Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis, Saxa movere sono testudinis, et prece blanda Ducere, quo vellet: fuit hæc sapientia quondam, Publica privatis secernere, sacra prophanis, Concubitu

prohibere vago, dare jura maritis, Oppida molire, leges incidere ligno. Sic honor, et nomen divinis vatibus, atque Carminibus venit.' Necnon Lucretianum illud secum ipse tacite meditabitur, 'quæcunque Acheronte profundo Proditæ sunt esse, in vita sunt omnia nobis: Nec miser impendens magnum timet aëre saxum Tantalus (ut fama est) cassa formidine torpens; Sed magis in vita Divum metus urget inanis Mortales, casumque timet, quemcumque ferat sors.' Et quæ plura illic sequuntur in eandem sententiam. Si hac mente poëtæ legantur (neque vero alia sane legi debent); tantum abest, ut eorum versus dæmonum pabulum appellari mereantur, ut imo suavissimo atque utilissimo nectare animos nostros alere dicendi sint. Nec, si aliter se res haberet, tanto studio ac diligentia veterum fabulas sibi interpretandas esse duxissent præstantissimi philosophi, quorum monumenta injuria temporum partim interciderant, partim adhuc eruditorum manibus circumferuntur: Zenonem (inquam) Cleanthem, Dorotheum, Chrysippum, Evanthem, Heraclidem, Proculum, Porphyrium, Phornutum, Palæphatum, aliosque complures, quos hic nominatim recensere nihil attinet. Dionysius quoque Halicarnassæus, vir multarum rerum cognitione prænotabilis, non alio consilio poëtæ esse voluit; dum scriptum reliquit in hanc ferme sententiam: 'Ex fabulis Græcorum, quædam utiles admodum sunt ad vitam recte instituendam, quandoquidem nonnullæ reperiantur, quæ naturæ operta sub illis figmentis contineant; aliæ quæ humanarum calamitatum allevationem, aliæ vero quæ terrores animorumque perturbaciones a nobis depellant, opinionesque parum honestas amoveant; aliæ alterius cuiuspiam utilitatis causa fuerint inventæ. Qui aliter faciant, vitium, quo ipsi laborant, in poëtæ

transfundunt.' Sed et ad illas etiam illecebras vitandas, si quæ forte occurrerint inter legendum, inducere oportet Gygis animum, de quo præclare Horatius Oda quapiam. Et quidem longe plura, quæ nos ad virtutem cohortentur, exempla apud poëtæ reperias, quam quæ ab ea nos avocent: sed nimirum animi vitio atque ingenii imbecillitate et mollitie deteriora consecramur, et nostram culpam in alios libenter rejicimus; quamquam eos ego poëtæ non laudarem, qui suis figmentis et lenociniis teneros adolescentulorum animos ad lasciviam aut luxuriam flectere possunt; nec, si quis re bonâ male utatur, idcirco rem illam simpliciter atque absolute vituperare debemus. Quod vero ad Platonem pertinet, (nam huc redeundum mihi esse video, propterea quod hinc se validissimum, et, ut vocant, Achilleum argumentum sumere posse censent adversarii,) suo se ipse gladio jugulare deprehenditur, cum Homerum tanquam Deum quamquam frequentissime celebrat. Idem Antimacho sua poëmata recitanti, quum cæteri auditores illum destituisent, omnium instar fuisse dicitur. Quin quod libro de Rep. secundo matres ac nutrices hortatur, ut pueris fabulas quasdam selectas narrent, animosque illorum hujuscemodi figmentis diligentius, quam corpora ipsa manibus informant. Sanctissimus etiam vir Joannes Chrysostomus, cui profecto eloquentia, probitate, doctrina parem alium nulla post ætas tulit, Aristophanem facetissimum quidem, sed et obscænissimum veteris comædiæ scriptorem sub pulvino semper habuisse perhibetur; et quidem merito, nam ejusmodi cunctarum rerum ac verborum divitiæ in poëtarum thesauris continentur, ut omne genus hominum aliquid ex eis promere possit, quod instituto suo non parum conducat; unde factum fuisse crediderim, ut Homeri poëmata

ab Indis, Persis, compluribusque aliis populis in suam linguam fuerint translata. Quin de ipsius natalibus aliquot nobilissimæ Græciæ civitates plurimum contenderunt; dum Colophonii, Smyrnæi, Chii, Iones, Salaminiæ certatim sibi eum vindicare conati sunt. Nam cur tot populos de unius hominis natalibus tantopere laborasse dicemus, si poëticae studium tam leve esset et contemnendum, quam isti volunt? contemnendum autem? imo vero, nisi id cæteris omnibus disciplinis longe esset præferendum. Denique cum tam multæ laudes uni Homero tribuantur, ut præter complures alios eruditissimos, nobilis inprimis, et variarum rerum cognitione percelebris, Plutarchus Cheronæus justissimum commentarium de ipsis confecerit, quid tandem dicemus de universo poëseos genere, de quo etiam idem auctor luculentissimum librum posteris reliquit, et quomodo generatim poëtae sint audiendi pluribus nos edocuit? Quod si ex Latinis Virgilium inprimis considerare libeat, ex nostris Etruscis Torquatum Tassium, quem ego plurimum admiror; hic vero est, ubi omnes omnino ingenii et eloquentiæ vires sint penitus effundendæ; quamquam nullum adeo præstantem oratorem unquam inveniri posse crediderim, qui horum laudes pro dignitate, et, ut res ipsa postulat, exprimere queat. Sed me tam præclaræ studii amore correptum citius hic atque alter dies deficiat, quem huic sermone finem imponam.

PRÆLECTIO SECUNDA.

Vidistis hesterno die (Auditores) quam suspensa manu ea attigerim, et quasi digito subindicaverim, quæ ab aliis prolixius et copiosius tractata sunt de laudibus poëtarum: neque aliter mihi perpetuo faciendum esse iudico, nisi humanitate vestra plane abuti volo; nam, licet docendi partes hic sustineam, plerique tamen ves-

trum ea sunt eruditione præditi, ut mei potius ornandi causa, quam ut a me quicquam perdiscant, huc eos convenisse censeam: horum ego auribus diutius molestus esse non debeo. Adde etiam me a temporis spatio, quod mihi ad dicendum singulis diebus datur, facile admoneri, ne longiorem sermonem exordiar, quam qui unius horulæ decursu absolvi queat; nam eum deinde quasi medium abscindere atque interrumpere, nec decet nec expedit. Ac de præstantia facultatis poëticæ strictim quidem pro rei dignitate, sed tamen abunde pro tempore, hesternæ die dixisse videri possum, ut nihil aliud in præsentia addere sit necesse; nisi si illud etiam subjicere libet, quod unum per se ipsum satis ostendere posset, cur poëtam aliquem enarrandum hoc anno sumpserim. Nos videlicet, qui humaniores literas interpretamur, duo scriptorum genera in universum proposita habere, quorum ductu annum hunc curriculum conficiamus, oratores, videlicet, ac poëtas: per oratores autem nunc intelligo laxiori vocabulo, quicumque pedestri sermone incedunt; per poëtas vero, qui quasi equo insidentes sublimius gradiuntur. Hoc cum ita sit, putavi fore, ut omni prorsus reprehensione carerem, si alternis annis oratorem aliquem, et poëtam interpretarer; et cum hactenus M. Tullii orationem pro P. Quintio, Virgilio Georgica, Cæsaris Commentarios de bello Gallico vobis explicaverim, consequens erat ex ordine illo, ut hoc anno poëtam aliquem in manum sumerem. Quamquam soleo ego lautissimorum conviviorum structores non illibenter imitari, qui carnes ita apparant, ut carnes esse minime videantur, aut certe cujus animantis eæ sint, haud ita facile dignoscas; efficit nimirum hoc varietas et copia condimentorum. Convivator quidam Chalcedensis, quo cum jura hospitii T. Quintio Romano imperatori interce-

debant, cum solstitiali tempore laute admodum hospitem suum accepisset, atque ab ipso vehementer admirante, undenam illi eo tempore anni tam varia et multa venatio suppeteret, ea de re fuisset interrogatus, respondisse fertur, condimentis varietatem illam, et speciem ferinæ carnis ex mansueta sue fuisse comparatam. Ac vere quidem Philoxenus poëta pronunciasse creditur, qui dixerit eas carnes suavissimas esse, quæ carnes non sunt, itemque pisces, qui pisces non sunt. Sed de totius interpretandi genere, quo potissimum hæc exempla spectare videntur, alias nobis commodior dicendi sese dabit occasio: nunc eo, node initio digressi fuimus, revertamur. Poëtam hoc anno vobis explicare decrevi, rationibus a me superius allatis. Catullum vero inter cæteros elegi, non quia reliquis hunc præferendum esse censeam, sed quia huic nemoem; itaque in re dubia potui sine reprehensione, quasi clausis oculis, quicumque mihi prior obvius fuit, haud cunctanter arripere. Sed, ut Lucretium, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium in universum mirifice suspicio; ita privatas quasdam causas habeo, cur Catullum vehementer extollam: mitto, quod ejus acumine, elegantiâ, venustate semper fuerim incredibiliter delectatus, ut idem mihi usu venire sentiam, quod nonnullis accidere solet, qui, si alicui vinorum generi semel insueverint, ita eo postmodum delectantur, ut ægre admodum alterum amare queant; magna enim est in utramque partem consuetudinis vis atque tyrannis. Sed et unicuique suum est a natura tributum palatum, ut recte dixerit Martialis, 'Inter aves turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupes gloria prima lepus.' Recte item ex aliorum sententiâ, 'Inter sapes fertur altum primus Ionicorum genus attagenarum.' Nam Horatius de ipsis ita alicubi scriptum reliquerat, 'Non

Afra avis descendat in ventrum meum, Non attagen Ionicus Jucundior, quam lecta de pinguissimis Oliva ramis arborum.' Generatim vero, et absolute pronunciauit idem poëta, (Horatium inquam,) id, quod re ipsa ita semper ferme esse deprehendas: 'Tres mihi convivæ prope dissentire videntur, Poscentes vario multum diversa palato. Quid dem? quid non dem? rennis tu, quod jubet alter; Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.' Verumenimvero, ne hoc in me palati aut stomachi vitio fieri videatur, cique morbo affinis esse existimer, quem Latini gravidarum malaciam, κίτταν Græci (uti puto) nominant, operæ precium fuerit consilii mei rationem diligentius reddere, et quam merito Catullum vobis proposuerim, pluribus aperire. Non quæram autem hoc tempore, an qui fabulam et imitationem suis in poëmatis non adhibent, poëtæ nomen jure sibi vendicent; nam alias de hac re commodius fortasse disputabimus, ostendemusque nec fabulam nec imitationem in causa esse, ut quis vere poëta nominari debeat, ita ut, qui utroque aut alterutro careat, hoc nomine prorsus indignus censendus sit. Nec me latet, absurdum hoc in specie nonnullis visum iri, ac propterea tanquam παράδοξον aliquod fore, ut primum exhibetur; at enim spero me facile ostensurum, hanc meam sententiam non adeo a veritate abhorre, ut penitus explodi mereatur. Sed nunc poëtæ nomen aliquanto communius accipio, ita ut Catullo quoque conveniat; qui ipse de se alicubi ita scriptum reliquit: 'Gratias tibi maximas Catullus Agit, pessimus omnium poëta: Tanto pessimus omnium poëta, Quanto tu optimus omnium patronus.' Martialis quoque hoc enim nomine dignatus est: 'Nec multos mihi præferas poëtas; Uno sed tibi simi minor Catullo.' Hic igitur poëta iis virtutibus eminet, ut in scholis publice proponi summo jure

mereatur: neque vero de ipso ita loquor, ut eum Virgilio, ut ego paulo ante commemoravi, præferam, aut etiam cum eodem ullo pacto conferam; quamquam non minoribus aut paucioribus virtutibus ipsum enitere non difficulter demonstrare possem; sed tantum ut ostendam, me aliquid sequentum esse in eo vobis proponendo. Scio equidem complures eruditos viros de superiore loco fuisse olim interpretatos Ovidium, Lucanum, Statium, Silium, Valerium Flaccum, Senecam, Martialem, reliquos hujus notæ auctores, et, cur id fecerint, satis probabilem rationem attulisse sibi visos; ego mei consilii, videlicet cur vobis Catullum prælegere in animum induxerim, justam causam non habeo? quem poëtam Ovidius Maroni opposuit, Martialis sibi præposuit, docti omnes nulli postponunt. Et quidem Catullus in Iambis est omnibus Latinis optimo jure prælatus, ut pote qui in eis, et inventione et nitidissimo verborum apparatu, supra quam credi potest, emineat. In Hendecasyllabis, proprietate sermonis et soni dulcedine est inimitabilis. In Elegis omnium Latinorum candidissimus habetur. In Lyris tenerrimus ac suavissimus esse dignoscitur. In Heroicis vel parem, vel certe superiorem, habet neminem. Neque hunc multis in locis imitandum sibi duxisset Virgilius, nisi de ejus ingenio et eruditione optime sensisset, atque ejusdem carmina valde bona esse judicasset; de quo alii quoque idem judicium fecisse videntur, cum ipsum docti nomine communi consensu nuncuparunt, quod Pacuvio tantum et Calvo contigisse novimus. Denique tot tantæque virtutes in hoc poëta elucent, ut merito de eo dictum fuerit, 'Tantum parva suo debet Verona Catullo, Quantum magna suo Mantua Virgilio.' Nam, quod quidam ipsum duriusculum esse contendunt, majestatem in eo vituperant, cujus illa, quam isti

duritiam appellant, semper ferme comes esse consuevit: quocirca pulcherrimi criminis insimulatur, et ei culpæ affinis esse creditur, cui etiam M. Varronem et Nigidium Figulum, addo his Lucretium Carum, obnoxios fuisse constat, quos viros nemo unquam satis laudavit. Scribit Aristoteles in Problematis, neque non etiam prodit Xenophon in Commentario περὶ ἰππικῆς, ambulationes eas, quæ per aspera et inæqualia loca fiunt, minus multo esse laboriosas, quam quæ per plana et æqualia conficiuntur. Idem in hoc poëtico decursu evenire dicendum est; in quo facilitas quædam vel dictionis vel carminis, et lubricus ille lapsus vires plurimum frangit, ac robur omne penitus debilitat; cui vitio videtur nonnullis obnoxios esse Ovidius. Itaque illud præcipue in Catullo vituperant, unde non exiguam laudem is merito consequi deberet. Jam quod eundem obscœnitatis insimulant, culpam ætatis in ipsum poëtam rejiciunt: dico autem culpam ætatis, propterea quod admodum juvenis ea scripsit Catullus, quæ nonnullam petulantiam et lasciviam præ se gerunt; constat enim ipsum vix trigesimum ætatis suæ annum attigisse, cum ex vivis excessit: ac solent adolescentiores, tum in sermone tum in ipsis actionibus, licentius se, quam oporteat, persæpe gerere. Sed et ævi culpa ea fuit, in quod ille incidit; velut ex Horatio, Tibullo, Propertio, aliisque sciri potest. Verum hæc obscœnitas nulli prorsus impedimento esse debet, quominus hunc poëtam plurimum diligamus, atque ipsius plerasque scriptiones frequenter lectitemus, ac, quantum possumus, imitari conemur: pluribus enimatque iis quidem nitidissimis ingenii, venustatis, elegantix, doctrinæ luminibus interlitæ sunt, atque perspersæ. Nihil autem prohibet, quominus bonos medicos imitemur; qui ex venenatis etiam vel herbis vel

animalibus utilia pharmaca persæpe conficiunt, et quod optimum sit, secernunt e singulis, ac vel insigniter pernicioosa temperamentorum beneficio sanitati perquam commoda reddunt. Quinetiam virtus magis adhuc elucet e vitiorum quasi tenebris evoluta: unde factum fuisse reor, ut Homerus, qui prudentem atque omnibus virtutibus exaggeratum Ulysses fingere voluit, illi et Phæacum delicias, et Cyrees delinimenta objecerit. Memorant Pysillos in Africa, Marsos in Italia, et qui Ophiogenes vocantur in insula Cypro, cum quidam eorum arbitrantur suppositum esse aliquem in stirpe, admoveere consuevisse ut pungat colubra; si non sit, mori, cum pupugerit, si de gente sit, vivere; atque Exagonem quendam ex familia Ophiogenum, cum Romæ legati munere fungeretur, a Consulibus in dolium serpentium conjectum experimenti causa, circummulgentibus linguis miraculum præbuisse. Hujuscemodi pericula atque experimenta, velut lapis Lydius aurum, ita solida virtute præditorum virorum animos indubitanter explorant. Sed nos, fucato quodam virtutis colore leviter aspersi, causas undique aucupamur nostram culpam in alios derivandi; et consulto quasdam rationes, quæ veritatis levem modo speciem atque imaginem præ se ferunt, ita complectimur, ut ab eis nullo pacto nos divelli patiamur. Catullus tamen hanc falsam quorundam persuasionem jampridem confutavit, cum cecinit, 'Nam castum esse decet pium poëtam Ipsum, versiculos nihil necesse est.' Et quoniam fortasse non magnam in ejus testimonio, qui crimen aliquod a se amolire studet, subsesse auctoritatem quispiam existimaverit; operæ precium fuerit Ovidium audire de eadem re ita loquentem: 'Crede mihi, distant mores a carmine nostri: Vita verecunda est, Musa jocosa mihi.' Sed et Martialis inquit, 'Lasciva est

nobis pagina, vita proba est.' Ausonius quoque vir Consularis, et antiquorum morum prisæque gravitatis, ac Divi Paulini amicitia in primis clarus, ait in eandem sententiam, 'Nostra simul certant variis epigrammata nugis: Stoicus has partes, has Epicurus agit. Salva mihi veterum maneat modo regula morum, Ludat permissis sobria Musa jocis.' Quod argumentum pluribus deinde prosequitur epistola ad Paulinum, cum Centone nuptiali conjuncta: neque non item L. Apuleius Apologia pro se ipso priore. Ac notum est illud D. Adriani in Voconium suum, 'Lascivus versu, mente pudicus eras.' Denique, si quid bonis moribus non consentaneum scripsit Catullus, illud certe mihi non scripsit, qui ab eo, tanquam a scopulo, diligenter cavebo. Ac pulchre quidem accidit, ut hujusmodi poëmata ille confecerit, quæ nullam perpetuam seriem habeant, sed inter se valde sint disjuncta ac separata, ut hoc eligere, ab illo abstinere quam facillime liceat. Neque vero par est, ut pancorum gratia, tam bellæ scriptiones penitus abjiciantur; quomodo nec messorum quidem manipulos omnes protinus abjiciunt, propterea quod avena, lolium, atque alia hujuscemodi frugum vitia spicis admista sint: alioqui nec Lucretius legeretur, nec Horatius, nec Ovidius, nec Martialis, nec ullus denique poëta, qui hactenus summo in honore habitus sit. Sed nec oratores quidem attingere fas erit, cum vix quemquam reperias qui non aliquid, quod bonis moribus utcumque officiat, suis scriptis inseruerit. Præmittantur igitur aliquot Catulli epigrammata, in quibus ævi sui licentiam secutus lasciviuscule exultavit; atque ea dumtaxat legantur, quæ vitam ex virtutis præscripto degenti nulli detrimento esse possunt. In horum numero Galliambum, quod est carmen de Cybele et Aty, merito recensue-

rim. Id ego inter cætera selegi, quod vobis (Auditores) hoc anno interpretarer. Potuissem et alia, sed nunc ita mihi visum; nam, si id facerem, primum videbam fore, (sed cur omnium rationem vobis afferam? partes, quas hic sustineo, quicquam mihi non concedent,) ut etiamsine ratione, quæ saltem publice a me reddatur, aliquid aggredi possim. Certe, qui mihi hanc provinciam demandant, homines prudentissimi, meam hac in re voluntatem solutam esse voluerunt; horum vos iudicium sequi decet, quorum prudentiam et industriam in rebus publicis administrandis, probant omnes, et admirantur. Atque ego quidem eam fortasse apud vos eruditionis, iudicii, probitatis, diligentis opinionem (si id modo a me dici mea modestia patiat) sum hactenus consecutus ut omnium factorum meorum ratio non sit vobis post hac a me severius exigenda. Equidem semper enixe operam dedi, ut nihil temere fecisse videri possem: id an fuerim consecutus, vestrum erit iudicium. Ac, ne vos perturbet paulo impeditior et obscurior hujus poemati carminis ratio, quæ ab omnibus non eodem pacto explicatur; omissis iis, de quibus eruditissimi viri jam pridem nos admonuerunt, conabor ostendere in carminibus pangendis non esse hac ætate eas leges necessario custodiendas, quas olim, cum Latinus sermo vulgo sincerus et incorruptus usurpabatur, custodiri oportere, nos Grammatici docuerunt. Scio ego absurdam hanc sententiam perisque visum iri, atque idcirco fore, ut indicta causa aliquorum iudicio protinus explodatur. Sed, quocumque tandem res casura sit, libet ipsam vobis aperire; neque enim quicquid hactenus inauditum fuit, continuo rejici debet; ac jure cum Lucretio illud mihi videor posse usurpare, quo ipse Memmii suum alloquitur: 'Quod superest, vacuas auris mihi, Memmiada, et te

Semotum a curis adhibe veram ad rationem, Ne mea dona tibi studio disposta fideli, Intellecta prius quam sint, contempta relinquant.' Puto autem mihi tuto licere in his humanioribus literis meam sententiam libere pronunciare, quandoquidem sine ullius periculo ac detrimento id fieri animadverti; neque enim hic aut animus noster, aut res familiaris, aut cujusquam salus periclitatur. Ergo, postquam non incommoda se nobis præbet occasio hujus rei demonstranda, vosque id quod nonnunquam familiaribus in sermonibus (serio ne au joco?) me dicentem audivistis, nosse plurimum avere mihi significastis; agite, experiamini jam quid rationibus effici possit; et, an vi argumentorum consequi liceat, ut tam arctæ compedes, quibus hactenus constricti poetæ incedere coacti sunt, tandem aliquando disjiciantur.

PRÆLECTIO TERTIA.

Ferunt apud Lacedæmonios lege olim cautum fuisse, ne veterem musicam ullo pacto liceret immutare; quocirca Terpander nobilis cytharædus ab Ephoris multatus dicitur, propterea quod unam chordam ultra receptum numerum variandæ vocis gratia intendisset, qui cytharam ei auferentes clave confixerunt. Phrynidis etiam musici fides duas de novem Ecropes Ephorus præscidit ascia; addens, ne maleficium musicæ inferret. Item Timotheum, cum is artis suæ certamen Craniis instituisset, unus ex Ephoris sumpto cultro interrogavit, utra ex parte chordas abscinderet, quæ septenarium numerum excederent. Sed et alicubi morem illum invaluisse prædicant, imo lege cautum fuisse perhibent, ut, si quis vetus aliquod institutum mutare vellet, aut novam aliquam legem snadere, id non aliter ei facere liceret, quam si collum in laqueum indueret, ut, nisi ea lex populo probata fuisset,

ejus auctor ilico strangularetur: tanti referre putarunt veteres, prisca instituta, et longa annorum serie passim recepta, perdiligenter ac religiose custodiri. Hæc exempla mihi fortasse quis objiciat, ut a novis legibus ferendis in carminum confectione me absterreat. Verumenimvero mea ratio longo diversa est a ratione illorum, de quibus modo commemini; siquidem Criticorum nostrorum senatus, vel lege vel moribus jam pridem statuit, licere cuique de qualibet re libere pronunciare. Et, ne a musica discedamus, nemini dubium est, veteres tam Græcos quam Latinos eas tantummodo consonantias agnovisse, quæ ex quarta, quinta, octava, earumque duplicibus constant, cæteris omnibus intervallis aperte repudiatis. Verum nostri homines, ingenio et eruditione præstantes, veteribusque illis hac in re non admodum inferiores, alias hic consonantias addiderunt, ac Diatessaron litigiosam esse docuerunt, totamque musicam multo suaviores pluribus additis consonantiis effecerunt. Sed nec ego novas fides cytharæ addo, imo vero aliquot potius abscindo atque amoveo, ut simplicior et minus fucata musica hoc pacto reddatur, quod Lacedæmonii efficere voluerunt. Præterea, lege potius nostros homines ego solvo, quam novis legibus implico. Denique non agitur nunc de summa rerum, ac de tota Rep. literaria, ut possit hic illud veteris poetæ usurpari, 'Morbis antiquis res stat Romana, caditque.' Sed, ne in præmiis, atque excusationibus omnem meum sermonem absumam, his interim prætermisissis, rem, de qua initio dicere proposui, hinc jam vobis explicare ingrediar. Modulationis iudicium non aliud sane esse debet, quam ipsarum aurium, sicuti odoris narium, visionis oculorum. Loquor autem nunc, quatenus pertinet ad id, de quo in præsentia disputationem instituimus; ut

idecirco nulla hic rationis mentio sit ingerenda, quæ alioqui sonorum diversitatem dijudicare solet. Hæc modulatio in carmine fit vel suspensione vocis vel ejusdem æquabili tenore; dico autem utroque: nam si ab alterutro tantum fit, ea vox prodit, quæ vel *συνεχῆς*, vel *διαστηματική* a Græcis nuncupatur; quamquam non potest una vox suspendi, quin altera demittatur: sed ita hujus facultatis doctoribus loqui visum fuit. Vox igitur *διαστηματική* (nam de hac nobis agendum est) conficitur ex acceleratione sive continuatione ipsius, itemque ex suspensione, prout ei minor aut major mora inter pronunciandum objicitur; nam semper aliquod temporis spatium intercedat oportet, in vocibus efferendis; hoc enim summo consensu fatentur omnes et res ipsa manifesto demonstrat: hinc fit, ut syllabæ, quibus dictiones coagmentantur, aut sint natura contractæ aut productæ, hoc est, aut tarde aut celeriter enuncientur; nam, quæ ancipites appellantur, alterutrum ex his temporibus spatium sortiuntur; sunt enim aut breves, aut longæ pro arbitrio eas enunciantis, cum hac tamen cautione, ut breves longæ fieri possint, longæ non item breves. Ergo qualitas syllabarum, quæ tempus respicit, a pronuntiatione pendere dignoscitur, ipsarumque naturam non aliunde peti constat inter omnes. Porro ex syllabis dimensiones illæ constituntur, quæ in carminibus a similitudine quadam ab animalibus ducta, quæ pedibus gradiuntur, ipsæ quoque pedes nuncupantur; ut nihil aliud sit Pes, quam certa quædam syllabarum complexio longitudine et brevitate temporis definita. Qui ex hujuscemodi pedibus artificiose conjunctis (ea conjunctio versus, sive carmen, appellatus) resultat numerus, auribus percipitur, ratione dijudicatur. Igitur, quatenus aures percipiunt longitudinem et breviteriam so-

norum, quæ dimensiones in syllabis deprehenduntur, eatenus syllabæ productæ aut contractæ nuncupantur; nec aliter de hac re veteres omnes sensisse constat. Appello autem productas et contractas generatim atque universe, nulla alia distinctione adhibita; nam deinde cantores in iis sese angustiis continere parum liberale rati, numeros illos multis modis deinde diviserunt; ut alio atque alio respectu, iidem breves et longi possint nuncupari; dicuntur enim tales non simpliciter, sed κατὰ τί. Quocirca Notas (sic enim vocant) alias maximas, alias longas, alias breves, alias semibreves, alias minimas, semiminimas, alias fusas, alias semifusas appellarunt, quarum singulas propriis figuris distinxerunt. Sed apud priscos illos duas tantum in usu fuisse constat: deinde tempore procedente tres aliæ accesserunt; demum, idque non ita pridem, tres reliquæ. Sed Latinorum carmina longa et brevi dumtaxat, hoc est, et notari possunt, ac vero debent; quæ a nostris symphoneticis in longe breviora tempora diducerentur. Et quidem Tempus est mensura semibrevium syllabarum in brevibus; quemadmodum Modus major mensura longarum in maximis, Modus minimus mensura brevium in longis. Quodlibet tempus ἀρσει, ac θέσει, vel, ut alii loqui malunt, προλήψει καὶ ἐκλήψει, hoc est, ascensu ac descensu metimur; breve unico, productum utroque: atque ita complures Horatii Odæ a peritissimis symphoneticis fuerunt notis musicis accommodatæ, ut concini possent; quod etiam in omni alio carminum genere fieri licet. Si ad hanc normam carminum tempora sunt exigenda, quemadmodum quidem exigi oportere farentur omnes; proculdubio necesse est, ut in dictionibus efferendis syllabas, ex quibus eæ constant, modo suspendamus, modo dejiciamus, prout earum natura exposcit. Atqui hoc

a nobis nullo pacto, præterquam admodum raro, fieri consuevit; cum veterem illam pronunciationem penitus amiserimus. Igitur in hac nostra barbara pronunciatione discrimen brevium et longarum syllabarum nequaquam dignoscitur; excipio dumtaxat eas, in quibus acutus tenor superponitur, in quibus efferendis major utique mora quam in aliis adhibetur, ut notum est; licet non satis adhuc intelligere potuerim, cur non potius gravis tenor id efficiat. Fuisse autem hoc temporum discrimen in syllabis, quis ignorat? nam alio spatio metiebantur (exempli gratia) 'plaga,' cum vulnus denotabat, eaque vox in sexto casu enunciabatur, alio, cum cæli tractum significabat, et erat rectus casus: idem dicemus de voce 'palus,' 'mala,' 'sola,' 'populus,' atque aliis sexcentis. Has easdem syllabas nos quoque veterum imitatione eisdem spatiis definimus, non quidem pronunciatione, sed dumtaxat carminum in suos pedes dimensione; quod cur fiat, non plane assequor. Video ego veterum consuetudinem retineri, sed pro parte, non in totum, sicuti oporteret. Ac, quoniam tempore prius est loqui, quam scribere; par est, potiore curam sermonis habere, quam scripturæ: quin scriptura ipsius orationis imago esse debet, atque ita ea effingenda est, ut verba proferuntur; proferuntur autem sine ulla temporum distinctione: ergo eorum in syllabis nulla est ducenda ratio. Quod si aliter olim fiebat, jure fiebat, cum temporum discrimina diligenter observarentur non in syllabis modo, sed etiam in qualibet litera, licet ratione parum diversa. Hinc quæsitum de quantitate verbi 'quiesco,' in litera e, quomodo de 'actito,' 'edo,' 'ungo,' 'muscerda,' 'lustrum,' atque aliis compluribus, quorum discrimen ipso effatu dignoscatur; nam sic Cicero in Oratore; 'Quid vero hoc elegantius, quod non

fit natura sed quodam instituto? Inclytus dicimus brevi prima litera, insanus producta, inhumans brevi, infelix longa. Et ne multis; quibus in verbis eæ primæ sunt literæ, quæ in sapiente atque felice, producte dicuntur; in cæteris omnibus breviter: Itemque composuit, concrepuit, consuevit, confecit: consule veritatem, reprehendet; refer ad aures, probabunt: quare cur? ita se dicent iuvari, voluptati autem aurium morigerari debet oratio.' Et res nimis quam nota, ut amplius demonstrari non debeat. An hoc ævo hæc leges pronuntiationis? Nihil minus; quis enim in 'plaga' naturam brevis aut longæ syllabæ auribus deprehendat? quis in 'palus,' 'malum,' 'refert,' 'dico,' 'populus,' 'idem' cum generis est masculini aut cum neutri; aliis sexcentis? Nec aliter enunciamus 'preces,' quam 'præmium;' item 'levum,' quam 'lævum,' 'alis' ab 'ala,' quam 'alis,' cum valet 'alius;' ut cum ait Lucretius, 'Quando alid ex alio reficit natura nec ullam Rem gigni patitur.' Et noster Cautillus, 'Anne bonum oblita es facinus, cum regium adepta es Conjugium, quod non fortius ausit alis?' Idem spectare licet in 'ære,' et 'here,' 'ara,' et 'hara,' 'magalia,' et 'mapalia:' prætereo alia hujus generis, quæ propemodum innumerabilia sunt, si quis ea diligenter exquirat. Denique quis Neronis jocum assequatur, cum de Claudio loquens dixit, 'Eum morari inter homines desiisse,' producta prima syllaba verbi 'morari;' ut refert Suetonius? aut quis in pronuntiando agnoscit discrimen in vocabulis, 'Sede sedens extra;' et 'Voce vocans Hecaten?' Quin ipsarum literarum veram enunciationem magna ex parte amisimus, vocalium, consonantium, omnium denique sine ulla exceptione. Possim hoc pluribus argumentis indubitanter astruere; idque prorsus mihi faciendum

esse censerem, nisi eruditorum viro- rum Commentarii de tota hac re passim circumferrentur; quocirca rem ita se habere, inter nos constitutum sit, et ad tenorem syllabarum revertamur, ipsumque auribus ita examinemus. Versus examinemus. Versus extat initio primi Æneid. 'Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris.' In singulis syllabis singula spatia vel longa vel brevia, dum eæ pronuntiabantur, agnoscebant veteres, unde maxima snavitas ipsorum auribus accidebat; nos nihil tale sigillatim percipimus, quomodo etiam ex adverso nullam insuavitatem agnoscimus, si eundem versum ita (exempli gratia) extulerimus, 'Arma regemque dico, Trojæ qui prior a plaga:' atque illum alterum Horatii, 'Quam si quicquid arat non piger Appulus,' hoc pacto, 'Quam si quicquid arat haud lætus Appulus:' neque non item illum, 'Seu Deos, regesque canit, Deorum Sanguinem,' hunc in modum, 'Seu Divos, ducesque canit, Divorum Sobolem.' Hujusmodi exempla sexcenta afferri possunt; et extat epigramma apud Ælium Spartianum in Pescennio, quod potius aurium sono, quam scrupulosa illa dimensione expensum fuisse apparet, idque idcirco (ut puto) quoniam inceperat jam vetus illa pronuntiatio paulatim exolescere, et in hanc novam abire. 'Terror Ægyptiaci Nister astat militis ingens, Thebaidos Socius aurea secla volvens. Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma, Hic Antoninis carus, et imperio. Nigrum nomen habet, nigrum formavimus ipsi; Ut consentirent forma metalla tibi.' Huic similia multa reperis in sepulchrorum inscriptionibus, ævo præsertim jam sensim collabente in hanc faciem a prisca illa puritate Latini sermonis; ut hinc etiam tuto pronuntiare liceat, verum omnino esse, quod nunc maxime affirmo, solas videlicet aures hac in re nos consulere oportet.

tere: quod veteres illi tam Græci quam Latini faciebant in suo pronuntiati; veluti etiam nunc Etrusci poetæ in sua lingua observant, qui aurium tantummodo iudicio acquiescunt, nec aliud quicquam in carminibus pangendis in consilium adhibent: atque hinc fortasse respexit Horatius, cum de Anacreonte loquens dixit: 'ipsum cecinisse suos amores ad non elaboratum pedem;' et quidem Græcis poetis, ἄρες, ἄρες, licebat sonare. Sed antiquitatis amatores iubebunt nos priscam consuetudinem retinere, genuinamque et propriam naturam syllabarum in peregrinis vocibus diligenter custodire; neque enim licere putant alienas res vel tantillum quidem immutare. Volo ego, si quis alius, Fabianum illud valere, 'Vetera majestas quædam, et, ut sic dixerim, religio commendat.' Sed ita si recte omnia conveniant. Nunc, cum pronuntiationem amiserimus, quod a pronuntiatione oritur, et sine ea nullo pacto consistere potest, nos retinere præcipiunt. Remove solem e mundo, umbram sustuleris. Verum, esto; pareamus hisce magistris; revocemus veterem pronuntiationem, quantum possumus; possumus autem Grammaticorum admonitu, et nostrorum hominum consilio nonnulla ex parte. In hoc sumus negligentes; in carminibus condendis superstitiosi erimus? Nam quod de natura vocum subjiciunt, prorsus inane est, nec omnino tale, quale ii existimant. Natura vocum consistit in usu; hic eam suo arbitratu variat, immutat, perimit: non secus, ac pharmacopola ex pluribus venenis ἀντίδοτον conficit; sic olim, ut narrat Ausonius: 'Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito, Nec satis ad mortem credidit esse datum. Miscuit argenti lethalia pondera vivi, Cogere ut celerem vis geminata necem. Dividat hæc si quis, faciunt discreta

venenum, Antidotum sumet, qui sociata bibet.' Cum igitur Latinæ voces in ore nostrorum hominum sint longe diversa natura præditæ, qua pertinet ad id, de quo loquimur, quam olim in ore ipsorum, quorum proprias fuisse scimus; non video, cur non aliter eis uti non debeamus, curve potius rationem in harmonia, quam aures consulere velimus. Est, ubi nostra pronuntiatione cum pronuntiatione veterum usquequaque consentiat, veluti in accentibus acutis, ac fortasse aliis in rebus, sed admodum paucis; in iis ego eorum leges servari præceperim: ubi non consentit, frustra fuerimus, si veterum decreta nobis custodienda esse duxerimus. Dico enim aures omnino esse consulendas; ad quarum arbitrium conformatos habemus plures hymnos sacros ab iis viris qui illis temporibus proximi fuerunt, quibus Latina lingua jam ruere ac pessum ire incipiebat, ut satis idonei testes in hanc rem videri possunt. Sed nos, quod semel mordicus arripuimus, pertinaciter nimis retinere studemus; præsertim cum eruditionem nostram ea in re nonnihil ostentare possumus: plures enim reperias, qui ea tantum de causa optimos poetas se esse existiment, quod prosodiæ leges omnes ad amussim cognitas habeant. Hoc equidem certo scio, penitus ignorare, quid sit poësis, quid poëtica, quid poëtice scribere, quid poëma, quidque necessario requiratur ad poëma aliquod perfectum ac omnibus suis numeris absolutum conficiendum: 'neque enim concludere versum Dixeris esse satis.' Quemadmodum etiam item non ignoro, difficile admodum esse inveteratam aliquam opinionem ex animis hominum penitus evellere; sed tentandum est tamen, præsertim vero, cum id absque ullius periculo, ac detrimento (ut dixi) fieri possit; atque eam fortasse præstabit paula-

tim labefactare, et ex fibris nostrorum hominum sensim evellere; nam statim eximere, ac veluti uno ictu amputare, supra vires humanas prope modum videri potest. Quin adhuc ipse nullo pacto ausim in versibus pangendis a veterum præscripto vel latum quidem unguem discedere; imo carmina omnia, quæcunque hactenus confeci (confeci autem nec panca, nec unius generis) illis ipsis modulis semper metitus fui, quos nobis veteres præscripserunt; atque ita porro facere pergam donec sententia hæc ab eruditornm Senatu non indigna iudicabitur, cuius in hac Repub. literaria aliqua ratio habeatur; neque enim quicquid mihi rectum videtur, rectum censeo. Plurimum ego aliorum iudicio semper detuli; sed meam tamen opinionem hic breviter aperuisse, fortasse non erit inutile. Quamquam facile conjicere possumus, aliis quoque hanc rem in mentem venisse; nam, exempli gratia, Sigismundus Gelenius, Appiani Interpres, quod Græcus auctor in Syriacis de oraculo Seleuco reddito hunc in modum extulit: Ἄργος ἀλευόμενος, τὸ πεπραμένον εἰς ἔτος ἤξει· Εἰ δ' Ἄργει πελάσαις, τότε κεν παρὰ μῦθρον ὄλοι· his ipse verbis Latine representavit: *Argos si caveas, fatalia tempora tanges; Quod si non caveas, ante diemque cades.* Rursus Bell. Civ. l. II. quod ita habet: Ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπαρεύεται, Κείνου ὅτι δούλος, κἂν ελεύθερος μόλη· sic ille Latine convertit, *Quisquis domum tyranni proficiscitur, Sercus fit illi, liber etsi tenuerit.* Sed et alios etiam commemorare possem, quos ab hac sententia non omnino alienos fuisse licet suspicari. Verum hoc levi conatu, et quadam quasi prolusione contenti simus; nam ad reliqua, quæ supersunt, nobis est properandum, cum hæc παρεργῶς, et ferme perfunctorie dicta sint; atque alias fortasse universum hoc argumentum de industria copiosius prosequemur.

PRÆLECTIO QUARTA.

Exposui strictim ac properanter meam sententiam de ratione carminum conficiendorum, quæ huic nostro ævo maxime, uti ego quidem iudico, accommodata est: nam priscos illos aliter omnino facere debuisse, non inficior: nec cuiquam mirum videri debet, naturam rerum pro temporum varietate ipsam quoque interdum variari oportere. Sic etiam Comœdia (ne a pœsi discedam) carmine olim scribi consuevit; ac saepe non sine magno vitio fieri aliter potuisset: nam Philodoxios Lepidi nescio cuius, quam non ita pridem Aldus Manutius nobis obtulit, non est tanti ut aliter de hac re statui debeat; præterquam quod recentioris alicujus commentum videri potest: nam hisce superioribus annis non defuerunt, qui, ut doctis viris imponerent, ac per delicias fucum facerent, quosdam auctores clanculum submittere conati sunt, qui Consolationem in Tulliolæ obitu; Orpheum, sive de Adolescente studioso; Fragmenta quæpiam Asinii Pollionis, atque alia hujus generis ὑπομήματα, sive eorum ἀποσπάσματα joculariter eis exhiberent. Nec defuerunt tamen docti viri, qui ab rebus suis seriis tantum oculi sibi superesse voverunt, ut de ementita illa Ciceronis Consolatione pluribus disputare in animum induxerint, atque etiam mortui adhuc (si Deo placet) veterem controversiam revocaverint, quam tamen eruditorum Senatus jampridem non dubiis sententiis videtur diremisisse; dum censuit Antonium Riccobonum solidioribus uti rationibus et argumentis niti ad eam opinionem ex animis aliquorum, qui lucubratiunculam illam pro Ciceroniana agnoscebant, eximendam ac penitus extirpandam: de qua tamen ipse interim ex meo sensu nihil asseveranter confirmo; neque enim est opus, aut hoc nunc agitur; sed, quod aliis visum

fuit, e re nata breviter commemoro. Nunc, ut eo revertar, unde paululum deflexit oratio, meque ad propositum referam; postquam theatra in usu esse desierunt, in quibus comœdiæ populo recitabantur; nihil prohibet quominus id poëmatis genus prosa quoque oratione conscribatur: neque enim amplius carmine opus est, ut vocem maxime contendamus, quo ad universos, qui in ultima theatri parte spectatum condescerint, ea pervenire queat, quod non aliter sane fieri poterat, quam si numeris quibusdam comœdiæ comprehenderentur. Etenim, si quis soluta oratione tam contente vocem extulisset, ut ab omnibus commode exaudiretur, insanus procul dubio videri potuisset; cum in familiaribus sermonibus, quos nimirum comœdia imitatur, submisce loqui consueverimus. Atque hinc factum puto, ut nostri homines paucas admodum comœdias versibus complexi fuerint: plerasque earum soluta oratione sibi condendas esse non immerito existimarunt: maluerunt enim hac in re nostrorum temporum mores insequi, quam eorum hominum, qui longa jam annorum serie esse desierunt, memores (ut reor) Piudariæ illius sententiæ: αἰεὶ δὲ παλαιὸν Μὲν ὄνον, ἄθος δ' ὕμνων Νεωτέρων. Sed, cum abunde pro temporis opportunitate de tota re hesterno die locuti fuerimus, consentaneum esse videtur, ut his interrim omissis, propius ad institutum nostrum accedamus, ac fiet fortasse, ut universum hoc argumentum pluribus alias prosequamur: nam semper mihi res digna visa fuit, in quam cogitationes suas docti viri conferrent. Atque hæc, ut mens fert animus, haud aliter se habent. Interim tamen ita carmina quondam ut dimensiones, et *προσῳδίας* leges quas veteres nobis tradiderunt, diligenter custodiam: quod quidem in illis poëmatibus, quæ plura, nec unius generis (quemadmodum etiam hesterno die dixisse me-

mini) hactenus divulgavi, abunde me præstitisse opinor. Igitur, ut ab his abeam, de Catullo, de Cybele, de Aty, de Galliambo, de hujus poëmatis argumento non nihil breviter attingamus. Jam primum omnium satis constat Catullum Veronæ fuisse natum, gente nobili Valeria; ingenti autem cultum Romæ cepisse, quo tempore Terentius Varro in ea claruit. Ibi eam puritatem Latini sermonis est consequutus, ut cæteris pene omnibus antecellat. Usus est amicicia clarorum virorum, inprimis Cornelii Nepotis, ad quem etiam opus suum misit. M. Tullii patrocinium meruit, sicut ipsemet testatur hendecasyllabo quopiam. Julium Cæsarem vehementer odit: item Mamurram, et Nonium Strumam. Dicitur amasse Clodiam, fœminam prænobilem quidem, sed impudicis moribus; ea est, quam ipse alicubi appellat Lesbiam. Sed et Ipsitillæ cujusdam amore flagravat, quæ existimatur fuisse Veronensis. Plura poëmatis scripsit, quæ partim extant, partim a veteribus grammaticis pro testimonio laudata scimus; ac nuper Veneris Pervigilium prodiit hujus poëtæ nomine, cujus initium, 'Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.' Decessit Romæ admodum juvenis, utpote qui ageret annum circiter trigessimum. Hactenus ei prænomen fuit Caio. Nuper visum est Josepho Scaligero eundem Quintum appellare. Crederem homini Veronensi ex gente Magni Canis, ut ipse falso jactat, de viro itidem nobili ac Veronensi, si sibi credi postularet. Sed quoniam ejusdem Catulli testimonio utitur, ut id nobis persuadeat, videamus, quantum hoc valeat ad id, quod quærimus, ostendendum: nam, quod de Cujacii manuscripto codice ait, penes eos fides sit, quibus codicem illum inspicere contigit; licet non tantum ejus testimonio tribuendum esse censeam, ut propterea se-

cundum Scaligerum sententia ferri debeat; atque ei ego interim sexcentos codices, qua typis qua calamo exaratos, contra oppono, ut res ad unius Catulli testimonium redigi videatur. Carmine in Januum ita scriptum reperias, *Verum isti populo nœnia, Quinte, facit.* ‘Quare,’ inquit Scaliger, ‘qui illi,’ [Catullo nimirum,] ‘Caio prænomen faciunt, possunt hac auctoritate permoti sententiam suam mutare.’ Plus valet apud me summus tot librorum veterum, recentiorum, scriptorum, cursorumque consensus, quam levis conjectura hominis vanissimi et arrogantissimi. Consentiant autem plurimi, ut hic versus absit ab illa Elegia. Ex emendationibus vero substituit alius, *Verum isthæc potius janitor ipse facit:* alius, *Verum istis auctorem esse facit populus:* alius, *Verum isti populo Di mala multa ferant.* Guarinus Veronensis Patrius (ut puto) minorum gentium, certe Burdoni illi nobilitate nequaquam par, sed tamen vir non mediocriter eruditus, et fidei maximæ, testatur vidisse se codicem manuscriptorum, in quo sic legebatur. *Verum isti populo janua quid reficit?* Statius affirmat in manu exaratis omnibus ita spectari, *Verum isti populo janua, qui te facit.* In Maïei libro, *Popl’ i,* ex qua scriptura ille deinde conformabat, *Verum isti probri janua quidque facit.* Ut dictum sit, *quidque* pro ‘quidvis,’ et ‘quodcumque.’ In meo, qui fuit Marcelli Cervini, ad oram visebatur, *Verte istuc potius, janitor ipse facit.* Magnus Scaliger ex suo, et peroptimo exemplari Gallicano legit, *Verum isti populo nœnia, Quinte, facit.* Atque hinc denique se evincere putat, Valerio Catullo prænomen fuisse Quinto, non Caio. Mili secus omnino videtur, qui parvam omnino fidem esse adhibendam sciam incerto testi: sed et familiarum multo minorem, præsertim ex domo Scaligeri producto, qui eos sibi valde obsequentes

habere consuevit. Nam, cum aliqua nova lectio ei astruenda est, statim confugit ad domesticos illos suos amicos, a quibus nisi precario testimonium elicere potest, eos tandem per ocium suo arbitrato fiducialis torquet et exagitat; ut, velint, noliut, ipsius sententiam confirmare cogantur. Denique huic testi non tuto creditur, præterquam quod ejus sermo non ad Catullum necessario, sed ad aliquem alium, de quo tacite poëta ille intelligebat, percommode referri potest. Denique alii longe plures ac majoris auctoritatis testes reperiuntur, qui secus nobis persuadeant. Haud igitur probe judicat bonus Scaliger de prænomine hujus nostri Poëta; non hercle melius, quam de ejusdem eruditione magnus pater in Hypercritico: nam cur docti cognomen Catullo adhæserit, docet Franciscus Floridus Lection. Subsec. lib. III. cap. 9. quem vos consulere potestis; neque enim cuncta, quæ novi, in unum locum congerere debeo. Sed de Catullo satis. De Cybele et Aty hæc breviter dixerim. Non aliam suis Diis originem tribuit stulta gentilitas, quam quæ fuit ipsorum hominum. Eos porro ex terra ortum duxisse affirmabat, unde oraculi Delphici mentem Junius Brutus interpretatus fertur, quod eum Romæ imperium summum obtenturum respondit, qui prior matri osculum tulisset. Ea voce Brutus audita, veluti si prolapsus fuisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset. Itidem Mater Deorum terra fuisse perhibetur, cui pro rerum diversitate varias quoque nuncupationes veteres indiderunt, nam et Ops et Cybele et Rhea et Brimo et Vesta et Ceres, atque aliis insuper nominibus fuit appellata. De hac sic extat apud Lucretium lib. II. ‘Quare magna Deum mater, materque ferarum, Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una. Hanc veteres

Graium docti cecinere poëtae; Sublimem in curru bijugos agitare leones: Aëris in spatio magnam pendere docentes Tellurem, neque posse in terra sistere terram,' et quæ vos plura illic inspicere potestis; nam ego ad finem propero, id ut faciam, diei hora me submonente; ac nihilo secius in ipsa Galliambi explicatione complura de hac Dea commemorabo, quæ a Strabone, Diodoro, Pausania, Luciano, Eusebio, Tertulliano, Arnobio, Macrobio, Lactantio, D. Augustino, aliisque multis in scriptis relata sunt. Cybele, sive Magna Mater, in Phrygiæ quodam agro, cui nomen Pesinunti, sanctissime olim colebatur, cum illic e cælo decidisse quoddam simulacrum crederetur, cuius nec materia nec artifex dignosci potuerit. In hoc Pesinunte olim Orgya celebrabantur secundum ripas fluminis Galli; a quo Deæ sacerdotes, virilibus execitis, quæ ipsi sibi consulto amputabant, Galli vocabantur. Hinc Romam translatum simulacrum ad perpetuitatem imperii, propterea quod responsum fuerit ab oraculo, rem Romanam ad summum auctum iri, si Pesinuntia Dea Romam transferretur, quod factum fuit, veluti narrat Herodianus. Hujus Deæ meminit Ausonius Idyllio de Feriis Romanis, si ipsius carmen legatur quomodo ipse illud emendandum esse censeo; nam, quin perperam ad hanc usque diem circumferatur in cunctis impressis, et calamo exaratis codicibus, non est dubitandum; idque docti viri jam pridem animadverterunt, ac suis scriptis testati sunt. Carmen ita vulgo habet: 'Vis neopesunte sacrum, vel Saturualia dicam?' Vinetus admonet in exemplari fuisse, 'Vis neopesante sacrum.' Unde conjicit, exscribi debere, 'Vis ne opus ante sacrum.' Neque alia sententia fuit Justi Lipsii libro primo Saturn. Josephus Scaliger edidit, 'Vis ne ope sancte sacrum;' addito

tamen asterisco, ut intelligamus locum non esse usquequaque sincerum. Mihi olim visum fuit, neque cur sententiam mutem, ullam causam habeo, scribi legique debere, 'Vis Pesinunte sacrum.' Ut de sacris Magnæ Matris loquatur Ausonius; neque hæc mea conjectura mihi adhuc excuti potest, ut est quilibet suarum rerum valde amans. Ac, quamvis de eadem magna matre dixerit idem initio illius Idyllii, 'Et Megalesiacæ matris operata loquar;' non puto perperam et abs re paulo post illud idem ferme iterari, cum non uno mense festa Cybeles celebrarentur, sed pluribus; nam et sexto Kal. Aprilis, ut docet Ovidius in Fastis, solenni pompa carpentum, in quo vehebatur simulacrum Cybeles, Almonis undis abluebatur; vel mense Martio, ut tradidit Ammianus Marcellinus; vel etiam Decembri, ut Varro et Macrobius scriptum reliquerunt: ergo varias illius Deæ solennitates significare voluit Ausonius eo in loco. Hæc eadem Berecynthia fuit appellata, vel a Berecyntho Phrygiæ castello juxta Sangarium fluvium, ubi colebatur; vel quod Berecynthiis montibus præesset; vel a Berecyntho sacerdote, qui primus omnium illius Deæ sacra coluerit, ac monti, in quo eam deinde præci illi fuerunt venerati, nomen dederit: alii aliter tradunt; sed non omnia persequor. Atyos amore Cybelem correptam fuisse memorant; fuit autem Aty Lydius, qui primus sacrorum ritus, quibus ea colitur, mortales docuit; et quibus deinde Phryges, Lydi, et Samothracæ in sacris usi fuerunt; nam, ubi ea ipsum castravit, virilem vitam agere desiit, et muliebrem formam assumpsit ac vestes; quo corporis habitu per orbem obambulans, ubique sacra faciebat, et, quæ ipse passus fuerat, narrabat: cum hoc Cybele rem habuisse perhibetur; quod cum pater rescivisset, Atyu et nutri-

ces interfecit, atque insepultos abjecit: Cybele furore correpta passis criuibus urbem sola psallens circumiit, eamque Marsya sequutus fuit; unde mos in ipsius sacris fanaticorum ritu discurrendi et comas jactandi, cujus, præter cæteros, meminit Lucretius. Hæc et multa alia de Cybele et Aty veteres finxerunt, quæ nos vel tanquam nota, vel tanquam instituto nostro minime necessaria, consulto præterimus. Sed, quod eam virginem esse dixerunt, admirationem habet, cum tot Deos, ac deinde Titanas pepererit; ut propterea virginitatis repagula fracta, ac multipliciter disjecta habuisse necesse fuerit. Sed enim allusum fortasse videri potest ad Mæonis factum, qui fama de virtutibus filia permotus, eam antea a se domo ejectam, ob facinus cum Aty amatore perpetratum, a quo nimirum gravis facta fuerit, revocaverit pro virgine. Nisi potius dicamus, eam quoque mulierem quæ peperit, virginem interdum nuncupari, modo florentis sit ætatis; qua ratione apud Terentium legimus Adelphis, 'puer natus; nihil habet virgo.' Festus quoque sic ait hac de re, 'Sed feminas, antiqui, quas nunc dicimus viras appellabant: unde adhuc permanent virgines, ac viragines.' Itaque docti quidam viri, quod in Hebræo habetur Genes. cap. ii. v. 23. 'Vocabitur Issa,' quia de 'Is' id est 'viro' sumpta est, vertere maluerunt; 'vocabitur Vira,' quia de 'Viro' sumpta est; nam ut 'Issa' ab 'Is,' sic a 'Viro,' 'Vira,' dictione olim, ut ex Festo Pompeio docui, non penitus inaudita, derivatur. Vel, sicuti Græci κόπας mulieres pulchras appellant, ita easdem a Latinis virgines dictas fuisse licet existimare; ut hinc scire possit Lilius Greg. Gyraldus, cur dixerit D. Augustinus, lib. ii. cap. 4. de Civitate Dei, 'Ludis turpissimis oblectamur, qui Diis Deabusque exhibebantur, cælestique virgini Berecynthiæ matri

Deorum omnium.' Nisi forte libeat substituere hoc loco, 'viragini,' pro 'virgini,' quod mihi olim ferme videbatur; quomodo etiam apud Albri-cum philosophum illic, ubi de eadem loquitur Dea, 'Erat enim virgo fœmina in curru sedens.' Dicebatur autem 'virago,' fœmina fortis, et quæ viro similis esset, viriliaque opera patret; hinc Juturnam eo nomine appellavit Virgil. Æn. xii. 'Hoc concussa metu mentem Juturna virago, Aurigam Turui media inter lora Metiscum Excudit:' et Hippolyten Claudianus de Raptu Proserpinæ lib. ii. 'quoties Arcton populata virago Hippolyte niveas ducit post prælia turmas.' Dixi Gallos vocatos fuisse Cybeles sacerdotes a flumine Gallo, juxta quod illi Deæ sacra fiebant: hi Galli, vel re vera furore perciti, vel certe eum simulantes, in suorum Orgiorum celebratione comam per collum jactabant, diversaque instrumenta pul-sabant, et toto corpore fanaticorum more varios ac multiplices motus, eosque citatissimos, edebant, simul-que in honorem Deæ carmina canebant diversi argumenti. Eos versus a Gallis sacerdotibus, et celeri pede Iambo, qui frequens in ipsis adhibebatur, Galliambos veteres appellabant; de quibus, præter cætera, hæc reperiuntur apud Terentianum, 'Nomenque Galliambis memoratur hinc datum, Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos.' Quibus autem dimensionibus hoc carmen constet, non puto mihi esse nunc demonstrandum; cum præter ea, quæ Hephæstion, Attilius, Diomedes, Fortunatianus, Servius, ac Terentianus, veteres atque optimi Grammatici prodiderunt, in promptu sint Julii Cæsaris Scaligeri et M. Antonii Mureti præceptiones de hac re; ut nihil interim dicam de Alexandro Guarino. Antonio Parthenio, et Palladio Fusco, hujus nostri poëtæ interpretibus; ad horum ego scripta vos interim reji-

cere satis habeo, videlicet ne sim longior. Nam Catulliani Galliambi argumentum, unde illud poëta sumpserit, exponere necesse est; quod ita habet: Cum Atys navi in Phrygiam vectus non sine magno amicorum cœtu ad flumen Gallum pervenisset, ejus aquæ haustū ita mente alienatus fertur, ut sibi virilia execuerit, et ut idem comites sui facerent, auctor fuerit: tum per aliquod tempus, ut mos sacrorum ferebat, tumultuati, obdormierunt in nemore Cybeles: mane expergefactus Atys, cum ad se rediisset, cœpit lamentari conditionem suam, et in patriam redeundi consilium inire. Tunc Cybele ipsius amore correpta leonem immisit, qui eum ita perterrefecit, ut is ab littore, quo jam processerat, in nemus confugere coactus fuerit, ubi reliquum vitæ suæ spatium Cybeles sacris ad-dictus transegit; cujus exemplo Deam rogat Poëta, ut talis furor a sua semper absit domo. Hæc Catullus ex suo sensu nunc prosequitur, vel etiam eos scriptores sequutus est, qui hanc fabulam ita memoriæ prodiderunt; nam auctores, quos nunc in manibus habemus, longe aliter ipsam recensent. Esse autem hoc poëmatium ad

Catullum referendum, minime dubio medius fidius argumento evincitur, si quidem Terentianus Maurus, Grammaticus non incelebris, et ad cujus manus ob ejus vetustatem minus multo depravatos codices pervenisse credibile fit, quo loco de Galliambo versu loquitur, ita habet: 'Servasseque Catullum probat ipse tibi liber; Super alta vectus Atys celeri rate maria, Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit.' Quod etiam confirmat Attilius Fortunatianus, et ipse quoque vetustus in primis rei grammatica scriptor; ut nodum in scirpo quærere videantur qui Cæcilium auctorem hujus carminis agnoscunt. Potuit ille quidem poëma de Cybele confecisse; quis hoc negat? Sed quo carminis genere id constituerit, nemo perspicue docuit. Certe illud a suo poëta non fuisse penitus absolutum, confirmat hic noster, 'Nam, quo tempore legit inchoatam Dindymi dominam,' &c. rursus ibidem, 'Magna Cæcilio inchoata mater.' Prægravat igitur apud me rei certe non levis auctoritas, quam apud vos quoque itidem prægravaturam, me præsertim auctore ac magistro, nil plane dubito.

HIERONYMI AVANTII
VERONENSIS
EMENDATIONES
IN CATULLUM.

*Augustinus Moravus Olomucensis Juris
Pontificii et Liberalium Artium Pro-
fessus Studiosæ Juventuti S. P.
Delph. et Var. Clas.*

CUM nihil præstabilius in rebus
humanis inveniatur, nihilque divinius,
quam et prodesse multis, et in quo
Catul. 2 Z

deficere ceteros videas operas in commune largiri: id quod a summis sæpe viris factitatum invenimus: qui tum se demum boni aliquid assecutos arbitrabantur, si id in utilitatem plurimorum collocatum iri sensissent, non ut id intra privatos parietes contineant, quod miseri semper ac sordidi ingenii existimatum est, non in his modo quæ in usum traducendæ vitæ comparata sunt, sed in eis et ex quibus tanquam penetratilibus quibusdam, et vitæ nostræ institutum optimum, et excolendis ingeniiis fructum uberrimum eruere possimus. Quod ipsum quanto studio antiquitas curavit, ut legendi scilicet optimi cujusque auctoris commoda cuius facultas daretur, cum liberalitas principum per ea tempora, tum bibliothecæ sumptuosissimæ tanta bonorum diligentia comparatæ ostendunt; ut mihi non mirum sane videatur, tot viros eruditissimos, tot præclarissima ingenia uno simul tempore effloruisse, ubi ea excolendi ingenii quasi armamentaria quædam publicitus exponerentur. Ut enim Pisistratum Atheniensem transeam, et post hunc Seleucum Nicanorem, quorum opera incredibilibus librorum copia Athenis constructa dicitur; illudque etiam, quod incredibile fertur, bello scilicet Alexandrino Cæsaris ad septingenta voluminum millia conflagrasse; nonne ejus rei apud Romanos complura nobis exempla non suppetunt, quanta vel a Paulo Æmilio, vel Lucullo post prædam Ponticam librorum copia fuerit comparata? dato post et M. Varroni negotio bibliothecas omnes utriusque linguæ ordinandi ac digerendi. Nullum scilicet uberiorem ingeniiis fructum rati, quam si id in quo detineretur quisque maxime, data sibi legendi copia assequeretur. In quo ævo nostro gratulari, et quidem vehementissime non possum, quod extincto jam prope bonarum literarum splendore, in ea rursus tempora

redierit, ut exuta barbarie in pristinum illud decus denno aspiret: taleque congerendis optimorum auctorum libris studium adhibeat, ut id brevi cum his quæ diximus temporibus jure confligere possit. Sed neque fidelissimi interpretes deesse nobis videntur, qui, sicuti M. olim Varro, id annitantur sedulo ac studeant, ut quoad ejus fieri possit, eos qui temporum injuria quasi interierant, veterinoque ac pedore jam prope sepulti fuerant, in lucem dignitatemque pristinam revocentur. Sic enim Plinius, sic Pomponius Mela, sic Papinius Statius et sic Propertius, Juvenalisque leguntur: et qui superiore ævo omnibus membris discerpti, fracti, exanimisque videbantur, nunc integri, solidi, vividique perspiciuntur. Solus poetarum Catullus, quo nemo jucundior, nemo tersior fuerat, scabra adhuc rubigine consitus detinebatur. Cui ad temporum injuriam, ne id quidem defore potuit, quominus a literatoribus quibusdam stigmatibus ineludibilibus inureretur. O miserandam lepidissimi poetæ fortunam! Quis enim indolere vehementius non debeat, eas humani generis delicias tenebrosis quorundam erroribus adeo obduetas, ut jure ac merito dicere possimus id quod de se Vates ipse lepidissimus vaticinatus est, 'At vobis male sit, malæ tenebræ Orci, quæ omnia bella devoratis: Tam bellum mihi passerem abstulistis. O factum male! o miselle passer!' Verum eninvero rerum Natura parens diutius tantam jacturam non sustinens, cum aliquandiu poetæ jucundissimus situ marcereque squalleret, quo modo tandem hunc etiam in lucem reduceret, enixa est, id est, ut civium ipsius inveniretur aliquis, qui eum, et a barbarie vindicaret, et ubi aliqua vel mendosa vel abstrusa essent emendaret, explicaret, atque digereret. Is est Hieronymus Avantius Veronensis, cujus vigiliæ, eximiaque in civem

suum pietas, id tandem effecisse perspicimur, ut ex obscuro nitidum, ex lacero solidum, et ex barbaro denique Latinum denno efficeret. Quod si observatos cives vel Sicinius Dentatus vel Africanus minor decreto publico Civicas mernere; quis non hunc etiam ea dignum existimet, qui civem suum non servasse modo, sed ab inferis quodammodo revocasse videret? Verum tanta fuit hominis modestia, tanta ingenii vivacissimi diffidentia, ut eas vigilias suas non nisi paucis, et his quidem amicissimis, cum ruri rediret, exhiberet: ut vel arrogantiam omnem a se suspicionem amoveret, vel æmulum obtractationibus, qui præclara omnia oggannunt, occasionem omnem admeret. Ego vero, cui jam annis duobus eas vigilias suas, ut pote qui currentem eum (sicuti aiunt) plerumque impuleram, singulari humanitate sua dedicaverat; neve menstruos illos labores (sic enim eos appellabat) ederem, una etiam injunxerat; considerans mecum quantum studiosis omnibus gloriæque Catulli consulerem si in publicum quandoque emitterentur; malui amicitiam nostram discrimen subire, prævaricatorque videri, quam ea intra scrinia continens, Catullum ita, sicuti erat, scabrum sentumque intra studiosorum manus relinquere, cum præsertim Hieronymi etiam gloriæ non parum consultum iri vidissem. Hæc enim scripta Leonicus Patavinus, Jacobus comes Juliaris Veronensis, Aurelius Ariminensis, Calpurnius Brixianus, nulla non laude majores, sedulo perlegerunt ac mire commendarunt. Cum et ingenii ipsius dexteritas, talisque in civem suum pietas vulgo studiosorum innotesceret, ut qui de se complura alias præclaraque testimonia concionibus publicis præstiterat, quantum etiam hoc genere scripti præstet, tum etiam qualem de se spem in reliquum præbeat, his veluti laborum suorum pri-

mitiis declarari possit. Has itaque emendationes Catullianas lætis animis, juvenes studiosissimi, accipite: atque Catullum ipsum ita vobis restitutum tali deinceps cura diligentiaque excutite, ut et sales ipsius habitumque generosi hujus carminis (id quod facturos vos non ambigo) penitus imbuatis. Patavi tertio Nonas Martii. Anno Christi Domini M. CCCCLXIII.

Hieronymus Arantius Veronensis Augustino Moravo Olomucensi S. P.

SCRIBIS, Augustine, eruditorum humanissime, tibi renunciatum esse, quemadmodum hac publica studiorum, remissione sepositis altioribus studiis, Valerii Catulli Insus retractem: rogasque ut tibi Catullianas dictiones mancas aut inversas, seu Epigrammata incautius congesta transverso calamo illinire velim. Et si onus supra vires meas injungis, torpissimum esse duxi tuæ voluntati morem non gerere, quem tantopere et colo et observo. Malui potius audentior videri, quam nullam a me repulsam acciperes; immo et libentius quid in mentem succurrit, te aspice, observabo: expectaturus tum de meis omnibus annotationibus simplex judicium ac nudum examen, cum præsertim ea te comitate præditum sciam, ut stylum rudem, quo hæc condita erunt, in bonam partem accepturus sis; cumque probe cognoscas jam ab hinc annis quinque me humanitatis studiis pene renunciasse, et philosophorum dogmata, quæ nostro tempore horrida sunt et inculta, prosecutum fuisse. Cur autem hac tempestate mansuetissimas musarum delicias recolem, paucis accipe. Priusquam philosophorum sacris initiarer, impenissime conatus sum Catulliana pleraque loca abstrusissima percipere, ac potissimum vatem hunc a syllabarum prævaricatione, qua maxime notabatur, vindicare. Nunc autem, cum intermissis severioribus studiis in agrum

meum, ut apud me essem, secesserim; nonnulla alia restitui loca. Qua industria id effeci, ut me laud laboris pœniteat; meretur profecto Catullus, quem A. Gellius (ut scis) vatim elegantissimum appellat; et omnes prisca uno consensu doctissimum nominant, eruditorum manus: quarum (ut sic dicam) lima sordes omnes depouat, ut sum pristinum nitorem et cultum resumat. Quare lætor hoc sæculum acutissimis ingeniiis florere, quorum pia cura (non posthabitis tamen his vigiliis nostris) Catulli legitimus libellus, qui tot annis barbarorum manibus deturpatus, eminentium pœtarum consortium erubuit, posthac in lucem prodire non dubitabit. Quis enim ante Calphurnii castigationem Catulli scripta non stomachosus attingebat? Hic porro, quantum humani vires ingenii passæ sunt, uno mense elaboravit ut quatuor illi pœtæ emendatiores haberentur. Parthenius quoque, ne longe abeam, plura loca in suis commentariis reformat, et multis aliis locis lucem daturus erat, nisi amicorum assiduis et precibus et adhortationibus editionem pene præcipitare coactus fuisset. Verum nunc, ut accepi, festinationis iacturam mora ac diligentia resarcire nititur. Ego interim, ut pro viribus nostris tibi mos geratur, quicquid vel ex veterum codicum præsidio, vel ex assidua nostra versuum libratione observaverim, brevibus explicabo. Non enim omnium rationes subjiciam. Hæc enim tibi committimus, ut conferas cum aliorum opinionum iudicium nostrum; quod tantisper a te probari existimabo, dum id in aliquibus, ut ait Plinius, displicuisse cognovero. Omne Catulliani Carminis genus seorsum percurram, atque, ut plenius optatis tuis obtemperem, non modo syllabarum quantitatem pensitabo, verum pravas dictiones simul exarabo.

Inprimis duo sint passeris Carmina:

in primo lege *usque pipulabat*, non *pipillabat*, propter metrum. De *passeris* intellectu, sicut in verbo *Expernare* a Politiano dissentio, vel ex illo Martial. Epig. 'Accidis infandum nostræ scelus Aule puella.' Vide reliquos Martialis versus. Antiquior codex habet, *sicut ipse possem*, non *ipsu*. Et habet, *diu negatam*; non *ligatam*: et *vestra nunc opera*; non *tua*; et *rubent ocelli*; non *timent*. Infra lege *pulvinusque peræque*: adoque, lege *Sertis ac Syrio*, non *Assyrio*: et per *Assyrium* olivum intellige omne genus eborum ex Syriis germinibus confectorum, ut nardum, malobathrum, amomum et alia. Ibi lege *Antistans mihi*; non *Antistes*; lege *Iberum* per synocopam. Et lege *senemque matrem*; non *sanam*, nec *tuam*: lege *nihil nec ipsis*; non *mihi*: ibi lege *nec facere pili cohortem*; id est 'nihil cohortem faceret'; non autem 'dare primipilare munus': tunc enim *pili* primum producit: ibidem potes legere, *ære comparasti*: et *esse comparasti*: lege *ad lecticam homines*; non *hominum*, ut aliqui docti scripsere: lege *facerem beatiorum*: lege *quod mala incidisset*: lege *Est Cinna gravis*; vel, ut alii malunt, *Cinna est Caius*: lege *quam mihi pararim*: lege *Inter cænam Asini*: fere omnes codices bene habent, *Ut me tot male*; non *malis*: Infra lege *ut libet moneto*: non *moneto*: lege *non dico pueris sed hispidosis*: lege *o qui fuscus es Jurenculorum*: lege *hæc tu quam libet abijce eleæque*: infra lege *Ingere mi calices amariores*; id est, antiquiores, ut pluribus verbis diximus in prima editione ex Seneca, Plinio, et Columella. Infra lege *at vobis mala multa*: 'multa mala' casu quarto; 'opprobria' quinto casu; 'Romuli, Remi' secundo casu. Infra lege *non non hoc tibi salse*; non *false*: sic supra lege *hoc calsum esse putas*. Infra lege *magna a Cæcilio inchoata mater*: innuit enim eruditam puellam anasse opus de Cybele exorsum a

Cæcilio. Infra lege *Desissemque truces vibrare Iambos; non dedissem*: itidem Epigrammata duo digessi, ut Phaleucium sic legas, *Male est Cornifici*; non *carnifici*, ut passim; sed de hoc in alio Iambo. In hoc Hendecasyllabo Dactylus est sede prima, ut supra *Ingere mi calices*; et infra Tribraclus, *Cumerium mihi, &c.* Infra lege *miselle Rabide*; est enim hypermeter. Infra lege *Acme illa illa*; ibi dicit *solet hæc imaginisum*: ubi innuit Acmen pati primam speciem tertii generis insanix descripta: a Cornel. Celso lib. III. cap. 18. Sequens versus tetrastichi est principium. Infra legerem *Assis non olidum facis lupanar*; ne *olidum* primam producat. Infra lege *Niceæque ager uber*; non *ruber*. Ibi lege *Dextra sternuit*; non *stertuit*: nam ut in gestis Themistoclis dicit Plutarchus, et docet Aristoteles primo, ac etiam, hic de Animalibus sternutamenta dabant auguria. Utinam scirem liberare concisa confusaque Carmina sequentia; sed inprimis, lege *Meus crimina*; non *carmina*: ibidem ex Seneca, lege *solopichium disertum*; vocat enim Calvum cubitalem, quem eundem pusillum, sed malivolum detractorem vocat Cicero; et in sequenti epistola simium potius quam semissem hominem appellat: infra dicit *te in circo*; ut Maro *te amice nequivi*: itidem *uno in lectulo*, o corripit: nisi legeris *lectululo*. In hoc carmine ponit ter Spondæum in sede secunda, Tribraclum in prima, et bis Diæresiu facit: ibidem lege *Arelli finite*; non *Arellite*: sic ultimam versus hujus Carminis legerem, *vestri sim ego particeps amoris*: prave ab aliis omnibus igitur.

In Iambico Carmine: primo lege, *impetum trabis*; non *trabis impetum*: et lege *novissime*; ut cum Parthenio fere omnes: lege *candidi tibi*; non *tibi candidi*; ut statim repetit: lege *ibi illa multa cum*: lege *Nunc jam illa non vult tu quoque impotens noli*; alii

omnes male hunc versum enunciant: lege *destinatus obdura*; non *obstinatus*; licet Juvenalis dicat, *Et domini gladiis jam destinata*. Infra lege *tantum abhorret ac nutat*: et lege *membrana*; non *membranæ*. Infra *habebat et cunctæ*. Ibi lege *Ut albulus columbus an idoneus*; non *Dioneus*: lege *ibi perambulabit*: lege *quid est an hæc sinistra*; non autem *quid est alid*. Ibidem aliqui legunt *vesca diffututa mentula*; sed *legerem vestra*: utrosque enim alloquitur, vel unum tantum; ut cum dicit *Tantillum vestra demere sævitia*: lege *Hunc Gallie timent*; *timent Britannia*: geminos igitur timent: lege *nisi uncta*; non *cuncta*; ut supra *caput unctius referre*. Infra lege *et videre te in tuto*; non *in tuo*; nec *in tutu*. Ibi lege, *Lydiam undam*, ob Carpiones auriphagos; vel lege *limpidam undam*; ut supra *limpidissimum lacum*. Infra *pileatos fratres*, intellige Castorem et Pollucem, ut docet Festus: ibidem dicit *quid sedetis insulsi*; sic ad litteram Aristophanes: ibidem est Dactylus in prima sede Iambi, in quo versu hircos vocat homines a mulieribus spreos ob vitium, quod obijcit Rufo ibi, *Si cui jure bono sacer alarum obstitit hircus*: sic Plautus vocat *senem hircuosum*. Ibi lege *puella namque quæ*; non *puella nam modo*: lege *pro quæ mihi sunt*; non *sunt mihi*. Infra versus, qui et confunduntur et unico Epigrammate congeruntur, sic reponendi sunt; primo *Male est Cornifici tuo Catullo*, cum septem sequentibus, scripsit ad Cornificium: quatuor autem versus quorum prior est, *Tu præter omnes*, subsequi debet hæc, *Quare monendus es, &c.* Et hujus Epigrammatis primus versus est *Egnatius quod candidos*: non *quæ candidos*. Ibi lege *cum orator excitat*; non *excitat orator*: ibi lege *aut Lanvinus acer*; non *Lavinus*. Legerem *Nunc Celtiberus*; non autem *Celtiber ex*, ne syllaba deficiat: ibi

legerem *lotus*, vel *lotii*, si syllaba permittat. hoc pacto liquebit inepta carminum congeries, dictionumque depravatio. Infra lege *meum quod non es*; non *meoque*: ibi lege *Sexti recepto*; non *sentire cupso*: lege *non mi sed ipsi*; potius quam *non mihi*: lege *veretur mens*; non *meretur*. Infra ultimum carmen Iambicum lege *Bononiensis Rufa Rufulum fallit*; non *Itusum fellat*: lege *quam in sepulchretis*; non *sepulchris*: lege *carpere e rogo canam*; non *rapere de*: Ultimum versum Iambicum sic emendavi, *Contemptam haberes, ah nimis fero corde*: ab aliis male legebatur iste versus.

Subest carmen Sapphicum, in quo Catullus semel posuit Spondaum in prima sede, scilicet, *Tintinnant aures*; et ter Trochæum in secunda, scilicet, *Et Sacas sagittiferos*: licet Silius dicat, 'Turba ruit, stridunt sagittiferique Corinthus.' Ibi *pauca nunciate*, et *otiam Catulle*: infra codex habet, *nec meum respectet ut ante amorem*.

In illo Carmine, *O colonia*, &c. lege *in quo vel saliaribus sacra suscipiantur*: ibi lege *cui cum sit viridissimo*; non *cui sit locus*: ibidem lege *jacet separata securi*; non autem, ut Politianus gloriatur, *supernata*, vel *expernata*: neutrum enim versus admittit: lege *quasi nulla sit usquam*; non *quam si*; *quasi* enim indifferens est: nam infra, dicit, 'cui ego quasi eadem,' &c. ibi lege *si potest olidam repente*; non *repente olidum*.

Cinède Thalle, &c. 'medullam anseris' pro plumula tenuiori anserina dicit; sic Plinius 'medullam lanæ' pro subtiliori lana ponit. Infra lege *cum Diva mater alites ostendit occinentes*; ut scilicet innuat anum tempestatum præagam ex avium vocibus, ut alias diximus. Ibi lege *Catagraphosque thynnos* ex antiquo codice. Ibi lege *insuta turpiter*.

Alphene immemor, &c. lege *jum non dubitas fallere*; *fallere* deerat: lege *hoc quid faciant*: adde etiam *me* in

fine versus sequentis, ne itidem versus claudicet: in alio sequenti versu lege *retrahis* non *trahis*.

In Hymno Dianæ primæ syllabæ quatuor priorum versuum possunt esse breves, alioqui versus iidem sunt qui in Epithalamio primo: sed primus versus mendosus est; lege illum sic, *Dianæ simul in fide*; non *sumus in æde*: ibi legebam *Deportavit*, sed Calphurnius ex Prisciano illum versum, *Hymen o hymenæe*, 'Hymen' mutuatus est a Plauto in Casin. ibi placet emendatio Parthenii de *spinea teda*, ut in prima editione latini dixi: licet Varro de vita patrum in secundo, et bis Maro, Senecaque in Tragædiis dicant facem nuptialcm 'pineam' fuisse. Ibi legitur passim *nutriunt in humore*; humor tamen primam producit: lege *quis Deus mage amatis*; non *magis*, vel *magis optimus*: ibi legerem *te si ris tremulus*; non *te suis*: lege *agite in modum*; non *in nondum*: lege *stirpe ditier*, vel *nitier*: non *vincier*. Ibi *Herculeia* dicit ut *Priameia*, quia forte pater Hercules dicebatur: lege *si videtur*; non *jam*: lege *quot omnibus Candido pede lectulis*: et forte legendum est *atque heræ*; id est, et ignobiles et nobiles sordebant tibi: lege *quam tibi sine seruiat*: sine modi imperativi; vel lege *fine qua sine seruiat*: alii legunt, *sine fine*: sed pes abundaret. Lege *Omnia omnibus annuat*; id est, annuere videbitur: lege *adeat tiri*: lege *Vos unis senibus bonæ*; aliter non staret versus, nec sensus: lege *Juverit quoniam palam*; non *Inrenit*: ibi est versus probe a Parthenio restitutus, scilicet, *At marita tuum tamen*. Ibi legerem *Sed micante labello Sit sit*; non *hiante*; nec *mihi ante*; sic enim nec sensus nec ordo quadraret.

In Epithalamio de concertatione juvenum et puellarum lege *Expectata diu lux tandem*; non *vix*, nec *sua*: lege *cernit in*; non *cernitis*: forte sic legendum est ibi *cauent quod visere par*

est; non parent: lege Hesperus e nobis; potius quam a nobis; et, ut mihi videtur, post hunc versum aliqui desunt; nam isti tres versus, quorum primus est, Namque tuo adrentu, dicendi sunt a maribus, quia ex his laudandus est vesper; ille autem Hesperus e nobis, dicendus est a puellis. Infra ultimi versus, sic se consequi debent: primus sit ille, Sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit: secundus, Cum par connubium: tertius, Et tu ne pugna: quartus, Non æquum est pugnare: quintus, Ipse pater cum matre: sextus, Virginitas non tota: septimus, Tertia pars matri: licet hæc primus locis suis reposuerim, adhuc tamen sensus erat subobscurus, nisi ex Quintiliano libro nono capite de Figuris Verborum annotassem, quod hæc dictio, 'dum,' repetita primo loco significat 'quo ad;' secundo loco significat 'usque eo:': vide inibi.

In earmine Cybelis; lege *Devolvrit sibi lactes acuta pondera silice;* alibi male legitur: lege *sanguine maculans: lege vaga pecora;* non *pectora:* lege *Hilarate heræ;* non *are:* lege *Ubi suerit illa Dixæ;* non *duce:* lege *thynus;* non *thyasis:* lege *animo egens;* non *gemens:* lege *propere pede:* lege *Itaque ut domum:* lege *nimio e labore:* lege *labantes langore oculos;* alii legunt *labentes,* et non habent *languore:* lege *Abiit in quiete molli rabidi furor animi;* alii *somnia* scribunt: lege *Peplulitque noctis:* lege *Tibi somnus;* non *Ubi sonus:* lege *Pasitheæ sinu.* Lactantius in illo versu Thebaidos, 'Non hoc Pasithea blandarum prima sororum,' dicit Pasitheatam unam gratiarum. Ex Lascari edocti fuimus Pasitheatam in Il. O. eam fuisse, quam Somno Juno respondit: si Jovi oculos clausisset in bello Trojano. Idem Lascaris monuit apud Catullum de Thallo intelligi eo versu, *Non custos si ego fingar ille Cretum:* lege *ibi oculis;* non *ocellis:* et lege *quibus locis, sine in:*

lege vir sterilis; non vis, nec rix: lege loca retonent; loca dcerat.

In nuptiis Pelei et Thetidis: lege *Cæcula terrentes; non vertentes: Infra lege Illaque atque alia; vel Illaque haud alia,* ut diximus: lege *Teque adeo eximie tedis;* non *Thetidis:* lege *quoi Jupiter ipse;* non *cum:* lege *lege tota frequentat:* et lege *Pharsalia tecta frequentant;* quia *Pharsalia* habet secundam indifferentem: lege *frondatorum;* non *frondatoris:* lege *Regia fulgenti splendent:* lege *alludebant:* lege *fluitantis;* non *fluctantis:* lege *Cortynia;* non *Cortinia:* lege *et decus inuuptarum;* *decus* aberat: lege *castus odores:* non *costus;* ut 'Casto colitis quæ jura cubili.' Infra potes legere *quæque regi;* et *quique regis;* et *Golgos,* et *Colchos:* antiquus codex habet *jactastis;* quia utrosque alloquitur: lege *radicitus exturbata:* lege *lateque, et cominus obria frangit:* lege *sava quod horrebas;* non *savaque abhorrebas:* lege *externata malo;* non *extenuata:* lege *inridit quæstibus aures;* non *auras;* alius enim est sensus. Parthenius legit *Idæos nepetam montes:* nude Naso, 'accessus terra paterna negat:' legebam olim, ut scis, *Isthmiacæque piram pontes;* nunc hæreo: legebam *Annuat intincto;* et legebam *consitus oblito;* non *consciis:* lege *reddite in extremæ:* lege *rentis concrederet,* unica dictione: lege *quæ tum prospectant cedentem;* non *accedentem:* lege *Nisigenis Silenis;* non *Sileneis;* Silenus enim semper secundam producit; primam habet indifferentem: lege *Qui tum alucres;* non *Quantum:* lege *magis increbescunt;* alii non geminabant *magis:* lege *A se quisque vago passim pede discedebant;* non *Ad se.* Macrobius, qui Catullum æmulator, inquit primo Saturnalium, 'Primum a prætextato simul: deinde, a se discedentes domum quisque suam regressi sunt.' Lege *super impendentes:* forte legendum est *Annosum linguens Doris;* ubi omnino corruptus

est codex, ut in prima editione sexto superiori anno impressa præfati fuimus.

Per *extenuata vestigia* annulum intelligas: lege *complectens undique quercus*; non *vestis*: lege *incinzerat*: lege *Hæc tum clarisona*; non *Hæc cum*: lege *Nulla domus tales unquam*; non *unquam tales*: lege *Quare agite optatos animi*, quinto casu: lege, *Hesterno collum* pro parte corporis: ubi pulcher est intellectus: lege *præcernens messor*; non *prosternens*.

In prima elegia, *at certe semper amabo*; non *ac*: lege *Mens unimi*; non *hominum*: lege *Hinc manat*; non *Huic*: lege *Qua rex tempestate noris uctus Hymenæis*: lege *iterint*; non *jurerrint*: et lege *fari hæc*; non *hic*: ibidem lege *Juppiter ut tersti luminu saepe manu*: sic infra ‘*abstersti guttis*.’ licet utrobique alii aliter scribant. Itidem lege *Si reditum tetulisset is*; quo verbo utitur Plautus, Lucretius, et ter Catullus. Nestor vocabularius legit *rettulit* a verbo refero: idem Nestor legit, *Ebore nigro* pro *E Bereniceo*; sed de his alias plura scripsimus: lege *Cum Medi irrupere*; non *prurpere*. Ibi lege *Juppiter ut telorum cum Parthenio*; vel *Chalybon*, ut Politianus: lege *Chloridos ales equus*; non *equi*: et lege *Isque per æthereis*, primo casu. Infra lege *Uridulum a fletu tendentem ad templa Deum me*. Ibidem legitur *nunc ros optato quæ*, non *quas*; sed lege omnino *quas*: ideo sequentem versum lege *Non prius univinis corpora*; non *tincula*: lege *sed quæ se impuro dedit*; non *in puro dedit*. Infra lege *fulguret Oarion*; ut cum Politiano antiquus codex. Infra lege *credita nunc sum*; non *reddita*: lege *falsum est namque illam*: et lege *Nec quærendum erat unde*: lege *Solam consiliis hæc sua*; non *Cæciliis hæc tua*: sic Plaut. Mercatore, ‘*Ille solus se in consilium vocat*.’ lege præterea *addebat*; non *ardebat*: lege *cui lites*

intulit olim; non *qui*: infra dicit *facite hæc charta loquatur anus*; et infra, ‘*et qui sis fama loquetur avus*.’ sæpe namque papyrus nominat, ut forte per ‘*patroam virginem*’ chartam intellexerit, ut alias latius: lege *infelice sepulchrum*; non *sepultum*: est enim appositio in hoc versu: *obsæna* ultimam producit non tantum per pentemimerin, quam ratione consonantium sequentis dictionis: unde miror quosdam me carpentes quod in priori editione ego, ut inquirunt, syllabarum librator non *Propontidu truncemque ponticum sinum emientiarim. Propontidem*: cæterum emiendit ipsi hæc hemistichia Catulliana: *per impotentia freta: ultima Britannia; acceptu frustra; nefaria scriptu; gelida stabula*; et hunc de quo agimus: sed de his nimis multa. Antiqui codices habent, *Peneum prope Cylleneum*; quod non displicet, quia est et *Peneus* in Arcadia. Partheoius legit *Peneum propter amanum*: forte legendum est *Pheneum prope Cylleneum*, ex Strabone et Nasonis versu, ‘*Est lacus Arcadiæ, Pheneum dixerunt priores*.’ Si legeris, ut antiqui habent, *Suscitat et cano vulturium capiti*: dic per *vulturium* bonum omen innuere ex Romuli vulturibus. Lege *Compar quæ multo*: lege *Quamquam præcipue*: ibi dicit Cupidinem crocea indutum tunica, qui alibi nudus describitur: lege *Non ullam raræ*; non autem *illam*. Infra lege *Si cui jure bono sacer atarum obstitit hircus*; ab aliis, vel sensus, vel metri ratio, corrumpitur: lege *Qui potis est*; non *Quis*. Ille versus, *Desine de quoquam, &c.* est principium tetrastichi in Rufum. Infra possumus legere, *O Dii reddite mi hoc*. ac etiam, *O Dii hoc reddite mi*. Lege *Si tria natorum*: alludit ad ‘*jns trium natorum*.’ lege *Ille te mulso labra notare*; non *Illo*: sic supra, ‘*sed identidem omnium ilia rompens*.’ lege *Qui tibi nunc cordi*; *Qui*

scilicet Pisaurensis. *Infra lege Eripere hei noli* ; vel etiam *ei prima producta* ; sic Lucretius meus e productit in *ei, eodem, fidei, rei, &c.* sequens Carmen illud est, de quo Quintilianus, quod scripserunt Pontanus, Parthenius, et Politianus : hic utitur adverbio 'postilla,' quo Plantus in Menechmis et Casina. *Infra lege Recta est ; hæc ego sic ; adde sic.* *Infra Nulla potest mulier, &c.* est principium tetrastichii. *Infra lege Haud posse a turpi* : ibi legerem *Quod te non noscem* : lege *culpa esse ; non est.* *Infra lege Nec scire utrum sis ; non si orem* : et lege *albus an alter homo* ; ut ex Parthenio edidici : quod uberrime declarat Beroaldus vir ob multijugam eruditionem apud doctos primi nominis : idem Parthenius per *Aonios specus* in Mallii nuptiis Libetbridum antrum intelligendum docuit. Lege *infra mæchatur mentula certe* ; ubi Firmanum cognomen 'Mentulam' intelligit. *Infra lege Utrum os an culum ipse olfucere* ; adde *ipse.* *Infra lege ploxi* ; non *ploxeni* : lege *commistæ*, id est, sordidæ. Sic Plant. Mostellaria vocat 'capram commistam,' id est, fœdam. *Infra, ut dixi, lege abstersi* ; non *abstersi* ; alius enim est sensus. *Infra lege pimpleum scandere montem* ; ubi nil obscœnum intelligit ; sed Firmanum Salium malum poëtam. Præcedens Pentametrum in Lesbiam est : supra lege *me unum esse invenies* : lege *Cum puero bello* : lege *optantique, et contigit unquam Insperanti* ; ut stet versus : lege *Æternum hoc sanctæ* ; non *Alterum* : lege *Saltem laudemus dum tamen* ; non *Saltem dummodo* ; lege *tot bona possideat* ; non *tot modo* : lege *rem tenante requirens* : et *mittere musca.* Quod autem noster ille ex Priapeiarum auctoritate credit in Phaleucio Hendecasyllabo posse abuti prima sede : cedo interim Nasonem, vel si inavis Maronem, meo quidem iudicio fuit multorum poëtarum farrago, alium a Spondæo pedem usur-

passe ; num tandem sibi tantum arrogabit ut autemet pluries sibi licere quod semel Ausonio, semelque Priapeiarum auctori placuit ?

Hieronymus Avantius nobilissimo Adolescenti Jacobo clarissimi Georgii Corneli filio felicitatem.

DI te ament, Jacobe, merum Corneliorum exemplar. Joannes Tacinus, Corneliæ familiæ addictissimus observantissimusque, me tuo nomine rogavit, ut emendationum in Catullum, quas denuo observarim, te certio rem reddam : pareo quam libentissime. Nam cum plurima ad te et amandum et venerandum identidem me adhortentur, vel ex hoc te, ornatissimumque fratrem Marcum admiror, quod doctrinarum studium tanto amore amplexamini, ut vix adulescentes cum affluentibus opibus natale id solum deserueritis. In quo nil magis suspicimus, quam insignes Corneliæ gentis imagines avitæque gloriæ, ac meritissimam præclari parentis auctoritatem. Maluistis, nobilissimi adulescentes, scientiarum potius quam majorum splendore decorari, dulcissimum quarum haustu in dies humaniores spectatoresque evaditis. O felicem Platonis testimonio ætatem nostram, in qua viri principes in probas disciplinas sedulo incumbant, sibi que earundem professores amore obsequiis ac contubernio devinciant. Vos enim Nursius civis meus, ac Bartolomæus Merula, viri eruditissimi, ut totidem Mæcenates agnoscunt celebrantque. Macte igitur, Jacobe insignis, et Corneliorum gloriæ, quæ tibi per majores tuos dudum florentissima ac integerrima reservata est, peculiaribus virtutibus ac incepto scientiarum itinere observa. Sic enim optimis votis tuis benigna fortuna subscribet, subsignabitque. Vale, et Avantium qui Corneliæ domum colit dilige.

Fortasse, ornatissime Jacobe, ver-

sus ille, *Si qui forte mearum ineptiarum*, cum duobus sequentibus subsequi debent illum versum, *Legistis male me marem putastis*: lege cui nil est: homo bellus inquit est: lege quos tu negligis; non quæ: lege Non assis facis oblitum lupanar; a verbo 'oblino.' Vix infra lege Villa; malam quod pectore expuli tussim. Si legeris *Meus carmina Calvus explicasset*: lege in præcedenti versu Cui; non Qui: lege *Quædam, inquit, nitidum sinum reducens*: quidam codex in Epithalamio Mallii habet, *Nutriunt in honore; non amore; nec humore*; et habet, *Quis Deus magis ambitu*; non magis optimis; nec magis, ac magis: lege *Lenta, qui velut*: non quæ. In hoc Epithalamio plures versus desunt, plures repetendi sunt; plures inversi: quo omnes nunc sequestro. Infra lege canent quo vincere par est. In

prima Elegia lege *haud in tempore longo*; non aut. Si legeris *Inppiter ut tristi*, syncopa est pro *trivisti*: lege *adjutarit*: lege maxima natu a 'nas:': quidam codex habet *Verum isti populo dent mala multa Dei*: Qui quacunque, &c. Et habet, *Ne quærendum aliunde foret*: lege *In te si in quenquam*; non *si quicquam*: lege *Dicas omnino*; non *Discas*: lege *præconem qui videt esse*: lege *aut magis esse Op-tandum*. Quid si legeris *aut non promissa pudicæ Aufilena fuit Sedaba corripere?* lege *Firmanus saltus*; non *salus*; loquitur enim de saltu Firmano cujusdam mali poëtæ qui dicebatur Mentula. Sic primo emendavimus *Saltum laudemus dum tamen ipse egeas*: lege *maximus horum*; non *ultra*: lege *mentula magna nimis*, non *minax*.

Iterum bene vale.

THEODORI MARCILII PROFESSORIS ELOQUENTIÆ REGII IN C. VALERIUM CATULLUM ASTERISMI.

CARMEN I.

2 *Arida modo*] Sic melius, quam *arido*. Etsi *arido* legit Terentian. lib. de Metris, Victorinus lib. iv. Atilius Fortunatianus, Isidorus lib. vi. cap. 11. Item alii.

Pumice expoliturum] Tangit hunc locum Plin. lib. xxxvi. cap. 21.

4 *Meas esse aliquid*] Durus hic versus numerus C. Plinio in Præf. Historiæ. Maluisset ipse *Nostras esse*

aliquid, &c. Hand dubieque scripserat ita Plinius, non, ut hodie est, *Meas esse aliquid*. Cum enim ait, 'ut obiter emolliam Catullum conterranenn meum,' intelligi vult *Nostras* illud esse mollius, quam *Meas*. Molle visum Plinio Phalæcos versus ordiri a spondæo; sed bene artigraphi laudavere varietatem qua usus Valerius, ordiendi a Spondæo, vel Iambo, vel Trochæo. Terentianus de Metris, Ati-

lius, item alii. Novitii tamen Poëtae consensere in Spondæum, ut patet Junioris Plinii Epist. 16. lib. 1. 'Cui et Catulli versus duriusculi.'

6 *Tribus chartis*] Corn. Nepos in 1. Chronicorum A. Gell. lib. xvii. cap. 21. Laudat magnifice nunc Valerius, sed tanquam apólogos et fabellas ridet Ausonius Epist. xvi.

9 *Qualecunque quidem ora per Viro- rum*] Alii, *Qualecunque quod o patrima virgo*; alii, *Qualecunque quidem: Patrona virgo*: non minus rectum fuerit, *Qualecunque quidem, perennivirgo, ἀειπαρθένη*, ut Plauti Persa Sc. xi. 'Perenniservus.' Et discrimen hoc: nam et aliqua Minerva non *perennivirgo*. Tullii iii. de Nat. Deor. Arnob. lib. iv. Hygin. Fabul. cap. 166. Apollodor. lib. iii. Ovid. Fast. iii. Præterea et lusus in *perennivirgine*, et Catulli dono *perenni*. Et fortean ex insolentia nominis *perennivirgo*, natum illud, *patrona virgo*, aut, ut alii libri, *patroa virgo*. Sed ut Plauti verbum usurpem, 'Hic nisi de opinione certum nihil dico' *patrima* illud tenere volenti; elegantius tamen fuerit, *Qualecunque quidem, patrima virgo*, &c.

CARMEN II.

7 *Ut solatiolum sui doloris*] Libri veteres, *Et solatiolum sui doloris Credo, ut cum gravis acquiescet ador Tecum ludere*, &c. Correxere, *Et solatiolum sui doloris Credunt, cum gravis acquiescit ardor. Tecum ludere*, &c. Forte an Catullus voluit, *Ut solatiolum siet doloris. Credo. Ut mi gravis acquiescat ardor, Tecum ludere*: Tu passer puellæ solatiolum doloris. Credo ita esse eoque impensius, quia optem et ego tecum ludere, ut amoris ardor mihi acquiescat.

CARMEN III.

18 *Flendo turgiduli rubent ocelli*] Bene *turgiduli*; Juvenal. tamen principio Sat. vi. videtur legisse *turbiduli*.

CARMEN IV.

26 *Seque dedicat tibi*] Ut Corinthi Argo navis dedicata Neptuno ab Jansone. Dio Chrysost. in Corinthiaca.

CARMEN V.

1 *Meu Lesbia*] Dio Chrysost. Orat. 1. de Gloria, Οὐδὲ δέκα Λαοβίασ θηπέβρασ δόξα. Ovid. Trist. ii. Apuleius Apol. 1.

7 *Du mi basia mille*] Martial. lib. vi. Epigr. 21.

12 *Invidere*] Fascinare, ut in Carm. vii. Hiuc 'multare' numerare.

CARMEN VI.

12 *Nam ni pravelet ista*] Puto Catullus voluit, *Nci tu quid facias inepitiarum, Nei res pravelet ista, nil taceres. Cur nunc tam*, &c.

CARMEN VIII.

5 *Amatu nobis*] Sic melius, quam voluere aliqui, *Amata vobis*.

9 *Tu quoque impotens esto*] Minus Lectio illa convenit, *Tu quoque impotens ne sis*; bene alii, *Nunc jam illa ne vult, tu quoque impotens: esto, Nec quæ fugit, sectare*: Tu quoque esto in amore impotens æquo animo, nec, &c. Contra in amore potens, ut epigr. de Cælio, 'Sis felix Cæli, sis in amore potens.'

15 *Scelestu tene*] Reticentia. *Scelestu tene*, ego si vivo, &c. Ut Terent. Heaut. Act. v. Sc. 1. 'Sed Syrum.' Scilicet nunc mihi dare velim. Inelegans autem lectio illa, *Scelestu rere*, &c.

19 *At tu Catulle destinatus obdura*] Correxere aliqui, *At tu Catulle de obstinatus obdura*: alii, *At tu Catulle te obstinatus obdura*. Alii aliter. Optimum quod in membr. expressim, et sine litura, *destinatus obdura*: Destinatus quasi aliquis certus mori: amantium discidium quasi mors aliqua; amica enim vita. Fabius sive is Calpurnius aliquis Declam. iii. 'Impellit longus ordo vincitorum, et inter

tot destinatos, totque perituros,' &c. 'Destinatus morti' Valerius lib. 1. cap. 2. 'Relinquendæ vitæ certus,' C. Tacitus Ann. iv.

CARMEN IX.

4 *Tumque matrem*] Alii, *suamque matrem*: aut, *senemque matrem*. In membranis quidem plerisque locus hic in litura, sic tamen ut elici possit ex illo ipso lituræ vestigio, fuisse *noctamque matrem*. Ingenium suum Catullus fecit, jocose ac mimicæ, novæ matris sive novercæ mentionem jecit in gratulatione sua. Quasi valde hoc Verennio gratum reduci novam domi matrem sive novercam invenire. 'Noverca' nova uxor: Festus. Sed urbane Catullus quasi leuire novercæ nomen odiosum volens, dixit novam matrem. Noverca est quasi mater, ut apud Spartian. in Caracal. 'Novercam non alio dicendam nomine quam matrem.' Et Phocylides, novercam *μητέρα Ἰχθυα Βαλεω, incidere vestigiis matris*, sive matri similem esse. Itaque ex Græcis *μητροειδ* quasi *μητήρ*. Herennius Philo, item alii.

CARMEN X.

10 *Nec prætoreibus*] Rescripsere aliqui, *Nec quæstoribus*. Sed neque ipsorum commentum placet. Aliqui ut Advers. lib. xv. cap. 22. item alii retinere illud, *Nec prætoreibus*, et eos qui cohortis Prætoris dici prætores figurate. Sed frigida schema illa. Scripserat haud dubie Valerius, *Nec præconibus*. Recte jungit præcones, cohortem. Præcones generatim pro accensis. Præcones, illi provinciales lucriones, quia officium eorum et munus apud Prætorem multiplex. Sed operæ nunc mihi non est pluribus exsequi. Planissima quidem Catulli hæc manus, *Nec præconibus*.

13 *Nec faceret*] Nihil facit correctio illa, *Nec facerent*.

14 *Inquiunt*] Nec magis quod reposuere, *inquit*. Valerius voluit *inquiunt*, scilicet, vulgo, sive fama est.

CARMEN XI.

3 *Littus ut*] Membranæ, *Littus ubi longe*, &c. Fuit forte, *Longe ubi littus resonante Foa*, &c.

11 *Et ultimosque Britannos*] Intelligi vult, 'Et ultimos quoque Britannos,' ut 'hodieque,' 'hodie quoque.' Plin. lib. vii. c. 11. Sic Salust. Orat. ii. de Rep. Ord. 'Posteroque tempore,' postero quoque. Valerius lib. 1. c. 11. 'Cererique,' pro Cereri quoque. Sic membranæ, sed vulgus maluit, 'Cerei quoque.' Propert. lib. iii. Eleg. 1. 'Meque,' pro, me quoque. Et Virg. Æneid. iii. 'Famulamque,' famulam quoque. Nazarius Panegyri. 'Maximorumque,' Maximorum quoque. Marcellin. lib. xxx. 'Barbarique,' Barbari quoque.

CARMEN XII.

13 *Μνημόσυνον*] Non ausus dicere Latinum. Sed in Glossis *Μνημόσυνον memorabile*. Aliis quoque, *memorale et memoriale*.

CARMEN XIII.

12 *Donarunt Veneres*] Propert. lib. ii. Eleg. 29. 'non Arabum de gramine odores, Sed quod ipse suis fecit Amor manibus.'

14 *Totum Fabulle nasum*] Ut *πᾶς μέτωπον*. Æliani Var. lib. vii. cap. 6.

CARMEN XIV.

15 *Saturnalium optimo dierum*] Macrobi. Satur. lib. ii. cap. 1. 'Saturnalibus,' inquit, 'optimo dierum, ut ait Veronensis Poëta.'

19 *Suffenum*] Membranæ, *Suffena omnia colligim venena*, pro Suffeniana.

22 *Pedem adtulistis*] Alii, *pedem tullistis*, minus expressim ad dilogiam pedis in corpore, et pedis in versu.

24 *Si qua forte mearum*] Disconvenire huic loco hunc versum, et duos sequentes, ipsa Valerii series arguit, et vetus scriptura. Alius his locus quærendus, alicubi, alio epigrammate.

CARMEN XXII.

1 *Suffenus iste*] Legere aliqui, *Suffenus iste*. Sed hos quidem syllaba ipsa refellit. Neque rectius alii *Fuffenus*.

4 *Aut plura Perscripta*] Γεγραμμένα εἰς κάλλος. Contra in schedis et libris liturariis, 'res perscriptæ.' Sic 'præscriptiones et lituras' Cicero dixit pro Q. Roscio. 'Suarum,' inquit, 'præscriptionum et liturarum adversaria proferre,' &c. Ansi mutarum suarum *præscriptionum*, ut Adversar. lib. xxix. cap. 36.

5 *In palimpsesto*] Glossæ: καλίμψηκτρον, *Deleticia*. Lege καλίμψηστον. Sic lib. iv. D. De Bonor. Possess. Sec. Tab. opposita. 'Charta nova et deletitia.' Sic Plut. lib. ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι, κ.τ.λ. Dionysii tyranni aninius βιβλιον καλίμψηστον, ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλεων: *Libellus palimpsestus, lituris et maculis obsitus*. Aliis palimpsestus charta in qua scribimus ea quæ transferamus in aliam. Sed hoc schedæ magis convenit.

13 *Aut si quid hac re tritius*] Τρίμμα, πολύτριμμα, περίτριμμα, τρύπανον, Interpres Aristoph. in Nebulas et Aves.

CARMEN XXIII.

21 *Faba et lapillis*] Frustra nonnulli in mentem fuit legere, *Faba et lupinis*.

CARMEN XXIV.

5 *Isti, cui neque serrus est neque arca*] Furio, de quo est Carm. xxiii..

CARMEN XXV.

11 *Flagella conscribillent*] Aliqui *conscribillent*. Malim *conserillent*, id est, iterum, iterumque conserant. Finxit a sero serillo, consero conserillo, ut naves serillæ a conserendo, apud Festum. Insolentia verbi Catulliani attonitos habuit criticos, et contra legem carminis expressit *conscribillent*.

CARMEN XXVII.

2 *Inger mi*] Glossæ, *Inger*, εισθήραζον. Puto fuit, *Inger*, εισκέρασον.

4 *Ebriosa acino*] Melius, *acina*. Glossæ, βῶξ, *Acinus*, *acina*.

7 *Thyonianus*] Veteres aliqui, *Thyonieus*.

CARMEN XXIX.

In Casarem] Propter hæc aliaque in Casarem, Velleius lib. ii. 'Opus' Catulli 'suspectum' vocavit, nempe quasi reum majestatis, ut servus suspectus in adulterio. Prospexit. §. Pen. D. Qui et a quibus manum. Idemque ibi 'servus destinatus.' Digna itaque vox illa Velleio adsentatore, neque rescribere oportuit, 'suscepti operis,' aut putare 'suspectum' ibi esse conspectum, et περιβλεπτον.

17 *Expatravit*] Glossæ: *expatrarit*, ἐπετέλεσεν. Sed Valerio sensus nunc obscænus est.

20 *Ibera, quam scit*] Erroris manifestaria lectio. Ex Ms. vestigiis patet in Valerii stilo fuisse, *Ibera, quam auxit annis aurifer Tagus*. Intelligi vult ex universa prædam illam Hispania fuisse, etiam extrema ejus parte Lusitania: *auxit*, nempe cumulavit.

CARMEN XXX.

6 *Eheu quid faciant, dico, homines*] Alii, *Eheu quid faciant, dic, homines*, &c. Quæ pereruditius placuit, puto ut Trimalcioni Petroniano deliciæ, puer vetulus, lippus, domino Tromalcione deformior. In membranæ autem est, *E heu quid faciant dico homines*, &c. apertissimo sinceræ lectionis vestigio. Valerii stilo fuisse scilicet, *Eheu quid faciant, o Dii, homines*, &c. Plaut. Menæchm. Sc. vii. 'Ubi ego dum hereo, Menæchmus se subterduxit mihi:' nam sic libri hodie; at veteres, 'Ubi egomet Dii Menæchmus se subtraxit mihi.' Etiam illi veræ lectionis indicio. Voluisse Plautum scilicet, 'Quam hodie: cum in concionem mediam me inmersi miser Ego-

met, ubi, o Dii, Menæchmus sese subtraxit mihi.

7 *Certe tute jubebas*] Melius membranæ, *Certe tute videbas anemam tradere, inique, me*: videbas amoris in te mei fiduciam, ut ea quæ oculis cernimus.

Inique, me] Sic magis ad Catulli sensum hoc quam alii, *inique me*, adverbio; nam *ἄδῶς* e versu tollunt.

CARMEN XXXI.

5 *Thyniam atque Bithynos campos*] Thynia et Bithynia, inveniunt, pro eodem. Frustra illi. Duo enim populi Thyni et Bithyni, sed finitimi. Dissertit Eustathius in Dionysium.

9 *Venimus larem ad nostrum*] Voluit forte Valerius, *Venimus larem nostrum*; ut Propert. lib. III. Eleg. 9. 'Iret ut Æsonias aurea læna domos:' Attius, 'Inssit proficisci exsilium.' Marcellus in 'Vastescere,' Apul. lib. VII. 'Castra nostra remeastis.' Æn. VI. *Mittimur Elysium.*

13 *Lydiæ lacus undæ*] Correxere aliqui, *Ludiæ*, quasi ludibundæ. Sed *Ludiwn* hoc. In membranis est, *Lariæ lacus undæ*. In litura quidem hoc: melius tamen Poëtice Catullus exagerans etiam Larium lacum, propter vicinitatem gaudere jubet; nempe, *Gaudire vosque Lariæ lacus undæ*: Gaudere tu quoque *Lariæ lacus vicine*. Larius lacus Veronæ vicinus, ut infra Epigr. xxxv. ad Cæcilium.

CARMEN XXXII.

4 *Illud adjurato*] Malere, *illud et jubeto*, aut, *illud adjubeto*, ut in Adversar. lib. XII. cap. 1. Sed est *adjurato*, addito. Ut C. Sallustii Orat. II. de Rep. Ordin. 'Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus sicut in statua, præter nomen nihil additamenti,' &c. Scio qui correxere aliter, sed lego 'in quibus sicuti statuo,' &c. Quod nunc 'additamentum,' id post paullo Sallustius idem dixit 'adjutamentum.' 'Homines,' inquit, 'no-

biles cum paucis Senatoriis quos adjuvamenta factionis habent,' &c. Res nempe ad fines addere et adjuvare. Sed forte an veteri manscriptum loco illo C. Sallustii priore *aditamenti*. Nota res 'ivo' pro 'juvo.' Sic 'adito' pro 'adjuto,' ut T. Livii lib. XXIV. 'Aditusque' pro 'adjutusque.'

5 *Ne quis lininis obseret tabellam*] Ritus obsignandi amicarum fores, ut intelligeretur Longarenus esse intus. Propert. lib. IV. Eleg. 1. 'Nec te signata jvabunt limina.'

CARMEN XXXIII.

1 *O furum optime balneariorum*] Hi olim dicti 'lavatores,' quod quasi lavare volentes in balnea sive lavatrinas inreperent. Hinc itaque, 'laverna' et 'laverniones.' Hi fures primum. Sic Acro capiendus ad Horat. Epist. I. 16.

CARMEN XXXIV.

Carmen seculare] *Ψευδεπγραφή*. Nam Carmen est indictum pueris patrimis et matrimis, cum libri Sibyllini adirentur ætate Catulli. Narravi rem ad Horat. I. Od. 21.

23 *Antiquam ut solita es*] Noluit Valerius *Ancique*, sed *Antiquam*, nobilem, ut Æn. I. 'Urbs antiqua,' nobilis; 'Terra antiqua,' nobilis: et Æn. IV. 'Antiqua Tyros,' nobilis. Et XI. 'Antiqua Urbs,' nobilis. Bene ita Servius. In membranis plerisque, *Antiquum*. Esset pro antiquitus, sive olim.

CARMEN XXXV.

13 *Inchoatam Dindymi Dominam*] Voluere aliqui, *entheatam*: pessime. Vel quia non est 'entheata' illa, sed facit 'entheos'; vel quia versu Epigrammatis ultimo disconvenit 'venuste' et 'entheata,' vel quia consensu librorum est *inchoatam*.

CARMEN XXXVI.

1 *Cacata charta*] Paullinus lib. II. Epist. 4. 'Obscurata naniis insipientiæ meæ, et ut digno meis versibus

verbo utar, Caccahata, ridentibus multis et nauseantibus,' &c. 'Caccabata,' cacata charta. Sic loquuti videntur olim Christiani, refugientes Catulliani verbi obscenitatem.

10 *Jocose et lepide*] Melius membranae διαλύτως, *Joco se lepide*, &c. Illi autem Catullum ex Catullo visi tollere quibus placuit.

19 *Pleni turis*] Haud dubie melius, *Pleni ruris*.

CARMEN XXXVII.

10 *Frontem tabernæ scipionibus scribam*] Forte, *scriptionibus scribam*: i. e. Epigrammatis, ut apud Cic. pro Licinio. Attice γραφαῖς γραφήσω. Xenoph. II. Rer. Græcar. θεραπεία θεραπεύειν. Catull. Carm. XIV. 'Odisse odio.' C. Sallust. Orat. I. de Rep. Ord. 'Populos nationesque magnis auctionibus anxissent:' T. Livius lib. XXX. 'Eaque omnia bonis auctionibus auxitis.' Fortean et apud Petronium ubi est, 'Et non sentientis labræ humerosque sopitionibus pinxit,' fuit olim, 'Scriptionibus pinxit.' 'Scriptionibus,' lineamentis, ductibus. Nam qui reposuere, 'sopitis titionibus,' verbo magis quam re adpropinquavere.

20 *Ibera urina*] Hunc Iberiæ ritum Diador. Sicul. lib. V. notavit ὄθρω τοὺς ὀδόντας παρατρίβειν: *Dentes urina defricare*. Et Geographus, lib. III. Hispanos τοὺς ὀδόντας ὄθρω σμηχέσθαι ἐν δεξαμεναῖς παλαιουμένῳ, αὐτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν: *Dentes sibi urinu in cisternis inveterata pumicare ipsos et mulieres eorum*. Tangit Apul. Apolog. I.

CARMEN XXXIX.

1 *Quod candidos habet dentes, Refidet*] Alexis Comicus Athen. lib. XIII. et Clem. Alexandr. Pædag. lib. III. cap. 2. matronarum delicias pingens, Εὐφύεις ὀδόντας ἔσχευ. ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν, ἵνα θεωρῶσ' οἱ παρόντες τὸ στόμ' ὡς κόμψον φορεῖ. *Αν δὲ μὴ χαίρη γελῶσα, διατελεῖ τὴν ἡμέραν. Dixeri Latine,

Dentibus, renidet usque si qua forte candidis, Ut venusti ostendet oris sæpe pulchritudinem: Et dies renidet, etsi læta non est, integros. Tertio enim versu lego, Κἂν δὲ μὴ χαίρη, γελῶσα διατελεῖ τὴν ἡμέραν.

19 *Dentem atque rufam defricare gingiram*] Apul. lectio melior, Apolog. I. *Dentem, atque rufam pumicare gingiram*.

CARMEN XL.

5 *Pervenias in ora vulgi*] 'In memorias exire,' Minutius Felix Octavio.

CARMEN XLI.

1 *Acme*] In eandem Epigramma XLIII. ubi et eadem *Docetoris amica Formiani*. Neque ullus hic mutationi locus.

7 *Nec rogate, qualis sit*] Trimodiæ verborum hic etlusa haecenus, sed Passerina prandia. Valerius voluit, *Non est sana puella; nec rogate Qualis sit. Sonit hæc imaginorum*. 'Sonat imaginorum,' delirat, ut propinqua jam funeri imaginario. Loquitur sive sonat deliramenta. Qui nescivere *sonit* esse 'sonat,' fecere solet. Simul et dilogia: *sonat imaginorum*, delirat ut propinqua funeri, aut sonat imaginorum, φαντασιώδες; bella enim sibi videtur, neque est. Glossæ: φαντάζομαι, *Imagino*. φαντασία, *Vana visio, Imago*. *Sonit* autem videlicet tinnitu illo, cum 'tota millia decem poposcit.'

CARMEN XLII.

4 *Vestra reddituram*] Carisius lib. I. *nostra reddituram*.

8 *Myrmice ac moleste*] myrmice hoc, refellit analogia.

CARMEN XLIII.

In eandem Epigr. XLI. et XLV.

CARMEN XLIV.

15 *Et me recurari*] Plin. lib. XIII. cap. 12. 'Quæ non esset ita recurata,'

&c. Tertull. de Resurrect. cap. 40. 'Redactis et recuratis omnibus membris.' de Pallio cap. 3. 'Cum squamis et anni recurantur.' Adv. Marcionem, lib. v. cap. 20. 'Adulteratam recurasse.' Qui reponunt procurari, Catullo linguæ proprietatem eripiunt. Procurant se qui sani: recurant qui ægroti. Indicio et Valerius ipse cum sequitur, 'Quare reffectus.'

CARMEN XLV.

8 *Amor sinistra, ut ante*] *Lego, Amor sinistra inante, Dextram sternuit adprobationem: inante pro ante, ut nota res. Amor sinistra e. a. parte antrorsum sternuit dextram adprobationem. Ergo neque ut putavere quod sequitur, Amor sinistra ut ante, &c. rectum est. Sed reponendum ibi quoque. Amor sinistra inante. Dextram, &c. Urbane autem ac mimice Valerius, Amor, inquit, a lava dextre sternuit ridens Acnæ ac Septimii amores ut miseros, et turpiculæ cum Turpione. Nec enim a lava, sed dextra sternutationes faustæ. Plut. Themist. Ἄμα δὲ παρὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν ἐσθίμηνε' ubi felix ea sternutatio: at a læva infelix. Theocr. Idyll. vii.*

CARMEN XLVI.

2 *Jam cæli furor æquinoctialis*] *Æquinoctialem cæli furorem voluere intelligi, hiemem frigore ac ventis furentem, ut Adversar. lib. xiv. cap. 1. Atqui non æquinoctii sed bromæ et solstitii magis furor ille. Hand dubie Valerius ita voluit, Jam cæli furor, æquinoctialis Jucunda Zephyri silescit aura. Jucunda et tepida Zephyri aura sub vernum æquinoctium spirantis, pellit hiemem. Vestigium hujusce lectionis in membranæ, ubi aura est, deinde nesapi liturarii fecere auris. Bene itaque Catullus Ver et Zephyrum æquinoctialem junxit, et cæli furori, sive aëris frigori opposuit.*

CARMEN L.

3 *Ut convenerat esse delicatos*] *Rectius alii, Ut convenerat esse, delicatos Scribens versiculos, &c. Quod qui reffellunt, cum ritu Romano pugnant, non potandi solum, sed et poetandi in eplis. Neque ut convenerat esse, est, quo loco conductum ad cœnam, ut opinati aliqui, sed quo tempore, sive tempore cœnæ.*

19 *Despuas ocelle*] *Libri aliqui, ocello, sed ocelle magis ad Catulli adfectum, ut ante, 'jucunde.'*

CARMEN LI.

3 *Qui sedens adversus*] *Ut in medio lectulo. Sic apud Tatium in Leucippa lib. 1.*

CARMEN LII.

3 *Per consulatum pejerat Vatinius*] *Vatinius Cos. fuit anno 1033. Cæsare Dictatore iterum. Dio, lib. XLII. Cos. nempe susceptus anni exitu. Macroh. Saturn. lib. II. cap. 3. Quo pacto igitur Eusebio in Chronicis ratio constare potest, qui Catullum mortuum scribit Olympiade CLXXX. ante bellum civile Cæsaris et Pompeii? Deinde et Macrohii loco antedicto παράρρημα illud, cum Tullii dictum quod jecit in C. Caninium ponit, quasi in P. Vatinius.*

CARMEN LV.

1 *Oromus*] *Hoc epigramma ingenii Catulliani luminibus distinctum ple-risque, sed magnam partem quasi Protogenis Jalyesus, si oblitus cœno esset. Adspersa enim pleraque non modo non Catullo digna, sed neque aliquo melioris ævi Poëta.*

18 *Si linguam clauso*] *Sidonius διαπέσει legit clauso. Patet ejus imitatione in Narbone Martio, 'Hoc centesima laudum tuarum est.' Sic mox: 'Ventosa gaudet Venus loquela.'*

CARMEN LXI.

In nuptiis Juliae et Mantii] *Mem-*

branæ, *Epithalamium Julie et Manlii*. Sed sive hoc, sive illud, a Grammaticis est, qui ordinem illum ex Catullo sumere, cum ait: 'Naque Julia Manlio Nubit,' &c. Hic ante Manlium Julia, sed non etiam esse debuit prior Julia in ἐπιγαφή.

15 *Pineam quate tædam*] *Spineam*, Valerius voluit. Testes multi bonique: M. Varro lib. 11. de vita populi Rom. apud Marcellum in 'Fax,' et Carisium lib. 1. in 'Spina.' Festus in 'Patrim et matrim.' Massurius apud Plin. lib. xvi. cap. 18. Aliqui tamen contra veniunt, et mordicus tenent areteque defendunt, *Pineam* rectius esse, et Poëtarum testimonia profertur, apud quos sæpe in nuptiis faces pineæ. Narro ego: multæ in nuptiis faces, sed una præcipua, nempe spinea, quam Valerius nunc tangit. Spinea illa fax præcipua, quia vestigium prisce ritus, nempe spineæ in nuptiis faces, quoniam e spina faces in nuptiis militum Romuli et Sabinarum. Plin. loco antedicto. Deinde quia spinea fax illa e spina alba, quæ credita vim habere amoliendi sive averruncandi mali. Ovid. Fast. vi. Præter hanc spineam facem aliæ quinque, quos nominare soliti cereos. Plut. Rom. Quæst. 11. At olim quidem faces nuptiales omnes spineæ, sed postmodo receptæ item ex carpino et corylo, Plin. l. c. Quod accipe servato ritu spineæ unius, contra quam est Advers. lib. xxi. cap. 29. Sed inquit, ubi tæda in spina? ubi et corylo, cerea nempe.

31 *Ac domum dominam voca*] *Melins* hoc, quam quod alii, *Ad domum*, aut, *Ac domus*, &c.

43 *Huc aditum ferat*] Mala interpunctione hæcenus, *Ut lubentius audiat Se citarier ad suum Munus, huc aditum ferens, Dux bonæ Veneris, boni Conjugator amoris*. Lege, *Ut lubentius audiat Se citarier ad suum Munus, huc aditum ferat. Dux bonæ Veneris, boni Conjugator amoris, Quis Deus, &c.*

Delph. et Var. Clus.

Avertit Poëta orationem ad Hymenæum. Ergo et sequitur, 'Te suis Tremulus parens,' &c.

46 *Quis Deus magis optimis*] Alii, *Quis Deus magis a macris*. Sed macerrima correctio illa est: alii, *Quis Deus magis, ah magis*. Neque illi optime. Frigida enim hic commiseratio illa. Manu Valerii fuit, *Quis Deus magis ac magis, &c. Magis ac magis*, magis magisque, μάλλον καὶ μάλλον. Sisenna apud Marcell. in 'Discedere.' 'Armata dextra ducti, magisque in latitudinem discedunt,' &c. Lego, 'magis magisque.' Terent. Eun. 'Impendio magis animus gauderet mihi?' lego, 'Impendio magis magisque,' &c. Afranius Vopisco apud Sosip. lib. 11. 'Cecidit spes reducendi domum quam cupio, Cujus ego indies impendio ex desiderio magis magisque maceror.'

103 *Probra turpia Persequens*] Mutavere aliqui, *Proqua*, ut sit adultera *Proqua* sive *Proca*. Sed neque recte duo illa sic juncta, et insolens *Proca* pro virosa. Valerius probra turpia dixit, ut ante 'malam adulteram,' et Carmine ad januam, 'malum adulterium.' 'Adulterium malum' quo violatur matrimonium: adulterium simpliciter quo amantes faciunt, ut Propert. lib. 11. 'Adspice ut in toto nullus mihi corpore surgat Spiritus, admissos notus adulterio.' Lege, 'motus.' Sic itaque aliud 'probrum,' aliud 'probrum turpe.' Adulterium autem et probrum inter amantes quia soliti conjurare.

115 *Candido pede lectuli*] *Vulgarii, O cubile, quot omnia Candido pede lectuli Quæ tibi veniunt bona, Gaudeas, &c.* Membranæ, *O cubile quod in omnibus, Candido pede leti*. Falsa, iniquies, scriptura. Sane, sed veræ index. Fuisse nempe, *O cubile, quod omnibus Candido pede lectulis, Quæ tibi veniunt bona, Gaudeas, &c.* Cubili ait venire bona, et omnibus lectulis candido pede, sive ἐλεφαντόποσι, ἀργυρό-

Catul.

3 A

ποσι. Cubile accipit lectum nuptialem, sive genialem, in atrio, in aula, qui post nuptias jugalis, sive conjugalis, sive adversus: candido autem pede lectulos qui in cubiculis, qui quo numero quantoque adparatu in ædihus divitum, historia longa esset. Tangit eos Lucian. in Tyranno, τὰ λιθοκόλλητα ἐκπέματα, καὶ τὰς κλίνας τὰς ἀργυρόποδας: *Pocula gemmata, et lectulos argenti pedes.* Clem. Alexand. Prædag. lib. 11. cap. 3. Κλίνας τε ἀργυροπόδες καὶ ἑλεφαντοκόλλητοι. *Lectuli argentipedes et eborati.* Copiam sive numerum ejusmodi lectulorum Valerius respiciens, dixit *omnibus*: adparatum autem, *Candido pede.* Et cubile et omnes cubiculorum hujus gaudii nuptialis ait fore participes, et gaudere jubet cubile nihilo insolentius, opinor, quam Propert. dixit lib. 11. Eleg. 15. 'O me felicem, nox o mihi candida, et o tu, Lectule deliciis facte beata meis.' Ut gaudii nuptialis et matrimonialis, genialis et adversus lectulique alii participes, sic funeris quoque et luctus eos participes facere voluere. Unde lectulorum illa in funeribus frequentia, quæ in triviis nota est. Sic utrique Libitiinæ sui lectuli. Scio qui digessere hunc Valerii locum aliter sed et toto eos cælo aberrare scio.

206 *Ille pulveris Erythri*] Alii, *Ille pulveris interim*; ant, *Ille pulveri Antæi*; aut, *Eretri*; alii, *Ille pulveris Enthæi*: Membranæ, *Eritei*. Indicio veræ lectionis. Fuisse scilicet, *Ille pulveris atherci*. Pulvis æthereus aut æreus, corpuscula in sole, de quibus Lucr. lib. 1v. Aut pulvis æthereus, sive æreus qui excitatur de terra in ærem, ut cum Maroni, 'stat pulvere cælum.'

220 *Semihiante labello*] Apul. Florula in *Canticum ore tereti, semihiantibus in conatu labellis eliquare.*

CARMEN LXII.

7 *Nimirum Eoos ostendit noctifer im-*

bres] Manifestario falsa lectio, sed nihilo melior quam aliqui reposuere, *Nimirum Oceano se ostendit noctifer imbre.* Dixi nihilo melior: verius pejo rem aut pessimam dixeris. Ex antiquæ scripturæ vestigiis conjectura facilis, Valerii manum fuisse, *Nimirum Cætao se ostendit noctifer igne.* Persuasi ab Cæta Thessaliæ monte oriri Hesperum. Maro Ecl. 1x. 'Tibi deserit Hesperus Cætam:' et Culice, 'Et piger aurato procedit Vesper ab Cæta.'

9 *Canent quos vincere par est*] Membranæ, *Canent quo visere parent*: hinc fecere aliqui *Carent quo jure parent se.* Haud vidi magis. Longissimo devergio a carmine nuptiali ad cantiones. Voluit Valerius, *Canent quod vincere par est*: i. e. carmen dignum victoria.

CARMEN LXIV.

1 *De nuptiis Pelei et Thetidis*] In membranis inscriptio est, *Argonautica.* Non aliunde hoc ita in mentem illis quiqui fuere, quam quia principio carminis aliqua mentio Argonautarum est. Epithalamium autem esse, perspicuum fiet legenti quod Rhetor Menander in Epithalamii præceptis tradit lib. 11. cap. 6. de genere demonstrativo. Sed proprie quidem Epithalamium est quod Parcæ canunt, 'O decus eximium,' &c. Ubi et in membranis recte notatur, *Epithalamium Thetidis et Pelei.* Cetera vero descriptionem habent lecti genialis. Etiam de auctore hujus Epithalamii dubitatum est. Nam Isidorus non Catullo sed Helvio Ciunnæ tribuit lib. xix. cap. 3. et penult. Major tamen Tibullo fides, qui Catullum auctorem facit lib. 111. Eleg. 6. cum ait: 'Gnosia Theseæ quondam perjuria linguæ Flevisti, ignoto sola relicta mari. Sic cecinit pro te doctus Minoi Catullus, Ingrati referens impia facta viri.' Verbo illo, 'Theseæ perjuriam linguæ,' tangit versum illum hujus Epithalamii, 'Ah devota do-

mum perjuria portas.' Profert et Marcell. Gramm. versum hujus epithalamii in 'Carchesia,' et auctorem facit Catullum. Sed nec versus ille, nec Catulli nomen est in libris Marcell. antiquis.

10 *Pinea texta*] Ovid. Met. xi. 'Intra cava texta carinae:' et Fast. i. 'Pinea non sano ter pede texta ferit:' et Trist. lib. i. Eleg. 3. 'Pinea texta sonant:' et lib. xiv. 'Fert ecce avidas in pinea Turnus Tecta faces.' Melius fuerit, *tecta*.

23 *O bona mater*] Argo navis, in cuius ventre Argonautae, sive quæ quasi peperit Argonautas. Sic Apoll. R. lib. iv. Argo *μητήρ*. Et *γαστέρες νεών*. Scholiast. Thuc. ad lib. i. aliter; neque recte est in Advers. lib. xxiv. cap. 9.

28 *Neptunine*] Ut 'Oceanine,' 'Adrastine.' Neque recte in Adversar. aliter loco antedicto.

36 *Grajugenasque domos*] Bene sic in membranis. Catullus velificari voluit honori Thessaliæ et Achillis, et Grajugenas domos intelligi locum Thessaliæ ubi Græcus rex natus. Huuc natum in Thessalia notat Plin. lib. iv. cap. 7. Thessalia itaque Grajugena donus, quia inde Græciæ et Graiorum nomen. Plin. l. c. Serv. ad Æn. ii. Frustra itaque doctissimi viri ut in Adversar. cap. eod. et Petr. Victor. Variis Lect. lib. xx. cap. 21. mutavere, *Cranonisque domos*.

37 *Pharsaliam cœunt*] Correxere, *Pharsalum cœunt*. Nihil necesse. Communis enim hæc Valerio syllaba, ut in nomine 'Dianæ' et 'Aplliæ' Horatio, 'Italiæ' Virgilio, 'liquidi' Lucr. lib. iv. Hac de re Victorinus, item alii.

45 *Candet ebur solis*] Refer ad 'solisternium' de quo Festus.

55 *Nec dum etiam seseque sui tum credidit esse*] In membranis, *Nec dum etiam seseque sui tui se credit*. Fecere hinc aliqui, *Nec dum etiam sese quæ sit; vix et sibi credit*: alii, *Nec dum etiam*

sese quæ sit tum credidit esse. Excidisse reor nomen *perdita*, et fuisse, *Nec dum etiam sese quæ sit, tum perdita credit*: *Nec dum credit se, ut est, esse perditam ac desertam a Theseo*. Sic ipsa post paullo, 'Quali spe perditam nitar?'

65 *Non tereti strophio*] Cinnæ hunc versum tribuit Isidor. lib. xix. cap. 28. neque recte legit, *luctantes*, item, *cincta*.

Luctantes vincta papillas] Apul. lib. x. 'Tania quoque qua decoras devinxerat papillas.'

66 *Toto delapsa e corpore*] Melius, *dilapsa*.

67 *Alludebat*] Male in plerisque, *allidebat*.

80 *Quis angusta malis cum mania*] Peccant qui corrigunt, *angusta*. Nec enim *angusta*, sed *angusta* illa mania tempore Thesei: lege Plut. Theseo.

83 *Funera nec funera*] Manil. lib. v. 'Virginis et niveæ rapitur sine funere funus.'

93 *Exarsit tota medullis*] Lege cum aliis, *exarsit tota medullis, Hæc misere exagitans inmiti corde furores, Sancte puer*. Cor Ariadnæ inmitte, vulnere scilicet amoris crudo sive acerbo, ut Æschyli Prometheo *σφριγῶν θυμός*.

102 *Aut mortem oppeteret Theseus*] Melius, *Aut mortem adpeteret*; ut Georg. iv. 'Pulchramque petunt per vulnera mortem.'

106 *Conigeram pinum*] Frustra voluere aliqui, *cornigeram*. Rari scilicet venatores in summo Tauro, aut nulli verius, itaque nec pinus *cornigeræ*.

122 *Dulci devinctam lumina somno*] *Dulci*, ut si esset cum Theseo suo. Peccant qui corrigunt, *tristi*.

125 *Clarisonas roces*] Rectius ita quam ut reposuere, *Clarificas*. Sic infra, 'Fluentisonum littus:' et Propert. lib. iii. Eleg. 19. 'Undisoni Dii.'

138 *Inmitte ut nostri*] Sic melius quam *Inmitte ut monstri*.

174 *Religasset navita funem*] Adpulisset; non autem, ut arbitrati aliqui, solvisset navim. Ovid. Fast. iv. 'Nox aderat, querno religant in stipite funem: Lux aderat, querno solvunt a stipite funem.'

178 *Isthmoneosne petam montes*] Membranæ, *Isthmoinsne petam montes?* Sed litura illa et incorrecta correctio est. Fecere aliqui, *Isthmon, eosne petam montes?* &c. Scripserat Valerius haud dubie, *Ilaeosne petam montes?* &c. Intelligi Ariadna vult: Anne in patriam meam Cretam redibo? Subjicit respondens ipsa sibi, 'At gurgite lato, Discernens patriam truculentum dividit æquor.' Maro Æn. iii. agens de Creta, 'Mons Idæus ubi,' &c.

179 *Dividit æquor*] Næ recte alii, *ah gurgite lato, Discernens pontum truculentum dividit æquor.*

184 *Praterco litus*] Membranæ, *Praterco littus, nullo, sola insula, tecto.* Cic. Epist. ad Att. i. 14. 'Litus atque aër et solitudo mera.'

229 *Quæ nostrum genus*] Hæc parenthesis sive interpositio, (*Quæ nostrum genus ac sedes defendere fretis Annuis.*) Intelligi vult Ægeus: Quod si Pallas Itonia tibi concesserit, ut taurum vincas, &c. Minus recte est in Advers. lib. xxiv. cap. 9.

237 *Quam primum*] Ante hunc verum interpositus a plerisque ille, *Lucida qua splendent summi carchesia mali.* Isidorus Helvio Cinnae hunc tribuit lib. xix. cap. penult. Eundem Marcell. in membranis profert ex Helvio Cinna in 'Carchesia.' Uterque legisse poemata hoc videtur nomine Helvii Cinnae inscriptum. Isidor. quidem etiam illum verum, 'Non tere ti strophio luctantes vinceta papillas,' ex Cinna profert, qui haud dubie hujusce poematis est.

248 *Morte ferox Theseus*] Rectum, *Marte ferox Theseus.* Marte, pugna cum Tauro pugnata, et victoria. Ut Hor. iii. Od. 14. 'Morte venalem petiisse laurum.' Recte in membranis,

'Marte venalem,' &c.

274 *Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni*] Membranæ similiter, sed in litura, tali ut tamen adpareat prior lectio, *Procedunt: levi resonant plangore cachinni.* Fecere, *Prociduum leni resonant plangore cachinum.* Sed Catullus voluit, *Procedunt.* Patet cum antecessit, *tarde.* Tardæ procedunt videlicet undæ, alia post aliam, ut cum Diis conveniens sit qui processuri mox tarde alius post alium. Tarde ad pompam et fercula refert, procedere ad seriem. Præterea 'proclives,' sive, ut veteres libri, 'proclivas' undas Valerius ante dixerat, neque rursus exprimi nunc necesse undarum illam proclivitatem voce prociuidi. Vera lectio, *Procedunt leni resonant plangore cachinni.* Signanter *leni,* nec enim irati maris hi cachinni: et levis strepitus Deorum venientium ad nuptias, cum suo sibi quisque natalitio dono, sive sportula nuptiali. Urbane et Valerius *plangore cachinni* dixit, quasi ludens, et plangoris nomen, quod usurpari solitum in luctu, transferens ad cachinum. Glossæ: *Plangoribus, κοπετοῖς, θρήνοις.* Cachinnus absque sonitu non est. Sive cachinnus 'risus lascivior est cum voce.' Cornutus in Pers. Sat. i. Sic in undarum cachinno est risus sive γέλασμα, ut Æschylus vocat Prometheus, et καχλάζειν, sive *plangere,* ut Apollon. Argonaut. Quemadmodum autem dicatur τὸ κῦμα ἐπεγέλῃν disserit Aristoteles, sive is Alexander est, Problem. xxiv. Partis xxiii. Hujus problematis particula est problema i. Partis ejusdem, quod male distractum manu librariorum.

276 *Purpurea procul nantes a luce refulgent*] Voluere aliqui, *variantes a luce.* Nescivere scilicet, *nare* esse flueret. L. Festus in 'Amnis.' Sie et Q. Ennius dixerat 'fluctus nantes;' ut Serv. notavit ad Æn. vi. Manil. lib. i. 'Fluctusque nantes.'

289 *Non vacuus. Namque ipse tulit*]

Totus hic in membranis locus sic habet: *Confestim Peneios adeunt viridantia Tempe, Tempe quæ silvæ cingunt super impendentes, Minosim linquens doris celebranda chorcis Nonacrios. Namque ille tulit, &c.* Totum sic alium fecere: *Confestim Pencos adest, viridantia Tempe, Tempe, quæ silvæ cingunt superimpendentes, Minyasim linquens doris celebranda chorcis Cranona, erisonamque, tulit rudicitus altus Fagos.* Sed parvula librariorum exerratio et ψευδοπεριλογαφία, hunc locum ita infuscavit, ut doctissimorum ingenia fatigavit. Fecerat nempe Valerius, *Confestim Peneos adit, viridantia Tempe, Tempe, quæ silvæ cingunt superimpendentes Aëriæ linquens doris celebranda chorcis Minyalum. Namque inde tulit rudicitus altus Fagos, &c.* Trajectio verbi Aëriæ omnem illum pulverem excitavit, qui oculis objectus in voce illa somnolina Nonacrios.

291 *Lentaque sorore*] Sic in membranis quoque expressim quidem et sine litura.

292 *Et aëria cupressu*] Quo jure cupressus in nuptiis? Quo et Vergil. Cul. est 'læta cupressus.' Ubi frustra sunt, qui correxere 'lenta,' aut 'lethæa.' Cupressus enim quoque in amœnitate, ut Plin. lib. xvi. cap. 33.

301 *Cultricem montibus Idæ*] Membranæ, *cultricem montibus ydri.* Hinc natum illud plerisque, *cultricem montibus Hydri*: nempe ut montes Hydri sint, Delphici montes, ubi Apollinis de Pythone serpente victoria. Sed longe quæsitum hoc, neque Catullianæ felicitate conveniens. Dixerim fuisse, *Unigenamque simul cultricem montibus udis*; et facili sententia et felice. Catullus nempe urbane, omnes cælites venisse apud nuptias Pelei, Phæbo et Diana exceptis. Nempe a Jove hos relictos quasi ut domi viderent, sive servarent. Phæbus in cælo; Diana in montibus, metu videlicet, jocemur enim hoc verbum, ne quid turbetur dum Jupiter in nuptiis. Quomodo autem *montibus udis*? Quia

venationes Dianæ propter fontes ac fluvios. Itaque Horat. 1. Od. 21. 'Diana læta fluvii et nemorum coma:' ubi et causam explico. Nascitur item cecilla quæstiuncula, Cur Apollo et Diana potissimum domi relictæ? Ex Physicis commentum hoc: Phæbi nomine sol accipitur. Sol honestare Pelei nuptias munere suo dignatus non est, sive adspersus Peleum est, quia serenitatem ei negavit, totumque illud tempus geniale pluvii fuscum. Narrat copiose Staphylus lib. III. Rerum Thessalicarum apud Tharræum in Apoll. R. lib. IV. Perstrinxit quoque Interpres Aristoph. in Nebulas. At, inquit, Phæbum Æschylus nuptiis Pelei ait interfuisse, ac de fortuna Pelei vaticinatum esse. Quid ni? Pœtice hoc Æschylus et πεπλασμένως, ad Fabulæ suæ argumentum. At Staphylus rem ipsam disseruit; eamque Catullus nunc velatam πλάσει, μάλα ποιητικώς, tetigit. Ecce autem parvula etiam nunc dubietas. Esto, inquit, Phæbus abfuit, quia pluvium illud tempus; Phæbe autem sive Diana cur absentiva esse voluit? Quia scilicet, ipsa quoque nubibus obscurata noctu, sive, ut Maro diceret, 'Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.' Sive pluvium illud Pelei nuptiale tempus, noctu atque interdum. Petrus Victorius tamen, sine fuce et supercilio longe doctissimus, Variis Lect. lib. xvi. cap. 20. Phæbi sororem Minervam intelligi voluit; sed jam a Mureti stilo refutatus ille, neque ipse tamen eruere verum potuit.

308 *His corpus tremulum*] Membranæ: *His corpus tremulum complectens undique questus, Candida purpurea tuos intinxerat ora.* Hinc excudere aliqui: *His corpus tremulum complectens undique vestis, Candida purpurea talos intinxerat ora*; alii, *Candida purpurea Tyros intertinxerat ora*; alii, *Candida purpurea Tyrios excinzerat ora*; i. e. inquit, spoliavit Tyrios institores. Sed menda illa, tuos, invexit quoque

Tyrios, aut *Tyros*. Scripserat ante aliquis *talos* pro *talos*, hinc deinde *tuos*, et *Tyros*, et *Tyrios*. Hæc quidem aliqua dubitandi seges; at illud mirari licet, non observatum, *intinxerat* pro *incinxerat*. Instita incingit talos, quemadmodum Horat. 1. Sat. 2. 'substricta talos tegit instita veste.' Sic enim recte Serv. legit ad *Æneid.* 11. Non, ut vulgo est, 'subsuta.' Explico hunc locum plenius ad Horat. Sat. illam.

351 *Cum tremulo incanos solvent a vertice crines*] Membranæ, *Cum incinerem canos solvent a vertice crines*. Legere aliqui, *Cum incurro incanos solvent*, &c. alii, *Cum cineri incanos solvent*, &c. Sed verum illud, *Cum in cinerem canos solvent*. Solvent crines in cinerem, ut cinere conspurgantur, sive in usum spargendi caput cinere. Nam mulieres in luctu spargentes cinere caput, etiam solutis sive passis crinibus. Seneca *Troad.* 'Solvite crinem: per colla thuant Mæsta capilli, tepido Trojæ Pulvere Turpes.'

365 *Percussa virginis*] In membranæ plerisque, *perculsa virginis*. Sed culpa librarii.

385 *Domos intrisere castas Sæpius*] Membranæ, *Domos intrisere castas Nereus*: recte in aliis, *Domos intrisere castas Heroum*.

CARMEN LXV.

2 *Sevocat a doctis Ortale virginibus*] Etiam, *Sevocat*, in membranæ, sed non sine litura, et, ut loquuti aliqui, charaxatione, sic tamen ut vestigii aliquid, fuisse, *Sejugat*.

3 *Dulcis Musarum expromere*] Sic in membranæ melius, quam quod notavere in margine aliqui, *Nec potis est harum dulcis expromere fatus*. Prius 'virgines' dixit, deinde quasi *ἐκἐργουμένους*, 'Musas.'

9 *Adloquar? audierone unquam tua verba loquentem*] Membranæ, *tua dicta loquentem*. Suspicati aliqui fuisse, *tria verba loquentem*.

12 *Semper mæsta tua carmina morte*

canam] Membranæ, *Semper mæsta tua carmina morte legam*: hinc excudere olim, *Semper mæsta tua carmina morte legam*. Sed vetus scriptura illa verissima. Ortalo enim petenti carmina, respondet Valerius, sibi decretum tegere semper deinceps carmina sua, quia mæsta sint morte fratris: tamen in Ortali gratiam mittere, &c. 'Sed tamen in tantis,' &c.

14 *Assumpti fata gemens Ityli*] Rectum haud dubie, *Assumpti fata gemens Ityli*. Membranæ, *Iteli*; sed errore librarii.

16 *Hæc expressa*] Melius haud dubie in membranæ, *Hæc excerpta*, ut jam monuere alii.

19 *Ut missum*] Male hoc referunt aliqui Interpretes ad antecedens illud, *Effluxisse animo*, &c. Referri debuit ad verbum, *mitto*.

CARMEN LXVI.

33 *At quæ ibi pro cunctis, pro dulci conjuge Diris*] Membranæ, *Atque ibi pro cunctis*, &c. Fecere aliqui, *At quæ ibi, pro cunctis*, &c. alii, *At quæ ibi, pro, cunctis*, &c. Sed librarii trajectio nebulam offudit: nam fuit, *At quæ ibi prædulci cunctis pro conjuge Diris*.

35 *Si redditum tetulisset is, haud, &c.*] Vulgarii, *Si redditum tetulisset is, haud in tempore longo, et Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret*. Membranæ, *Si redditum tetulisset is, haud in tempore longo, et Captam Asiam Ægypti finibus addiderat*. Condemnavere hanc Critici lectionem, sed non perspectam.

43 *Quem maxima in oris*] Sic vulgo est, nempe, *Ille quoque eversus mons est, quem maxima in oris, Progenies Phthiæ clara supervehitur*. Neque dissimiliter in membranæ plerisque. Sed cogitemus anne fuerit Valerii man, *quem maxima in armis, Progenies Phthiæ clara supervehitur*. Reges Macetum progenies Phthiæ. Nam Phthius Achilles. Achilles progenies Macetum Reges. Itaque Propert. lib. iv. Eleg. ult. 'Et Persen proavi

stimulantem pectus Achillis.' Silius de Philippo Persei patre, 'proavoque tumebat Achille.' et Virgil. *Æn.* vi. 'Perses Æacides.'

45 *Cum Medi intrupere novum mare]* In membranis est, *Cum Medi propere norum.* Putarunt fuisse, *Cum Medi properare norum.* Cum Medi properabant, &c. Sed Valerii forte stilo fuit, *Cum Medi propereque norum mare:* Cum Medi propere sive celeriter navare mare novum, et juvenus barbara montem Athonem. Expressit Callimachus et celeritatem Persarum in opere illius novi maris ac montis perfossi, et molitionis magnitudinem.

48 *Juppiter, ut Χαλύβων]* Sic Politianus. Necdum reperere aliqui alii melius. Etenim et Callim. et Catullus Chalybes gentem dixere non ferrum. Non necesse autem Χαλύβων esse, potest Latinis literis Chalybum esse. Bene autem Callim. *πᾶν Χαλύβων γένος.* Chalybes enim alii Asiae, alii Europae nempe in Iberia.

51 *Abiuncta puullo ante comæ]* Sic in membranis plerisque.

56 *Et Veneris casto collocat in gremio]* Hæc in membranis lectio sed charaxata. Fuisse autem adparet, *Et Veneris casto consociat in gremio.* Metuentes versiculo tuinam, fecere *conlocat in gremio,* melius facturi articulo in delecto, *consociat gremio.* Bene autem qui monuere trajectionem hic versuum factam esse, et ita disposuere: *Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat, Gruta Canopiis incola littoribus. Isque per ætheris me tollens avolat auras: Et Veneris casto consociat gremio.*

59 *Scilicet in vario]* Membranæ, *Hi Dii ven ibi vario ne solum in numine cæli.* Distortissime hoc quidem, rectius tamen illis de trivio, *Scilicet in vario.* Nam menda illa veræ lectioni propior. Illud nempe, *Hi Dii ven ibi vario,* natum opinor ex jugulatis Valerii verbis, *Di bene fecerunt, ne solum in lumine cæli,* &c. Maluere aliqui, *Ludit ubi, vario ne solum,* &c. Sed hoc quidem serie versuum ipsa refel-

litur.

60 *Ex Ariadneis]* Similiter et manuscripti aliqui. Correxere tamen, *Aut Ariadneis aurea temporibus:* sed melius, *Ex Ariadneis.* Etsi enim Poëtæ aliqui Ariadnam quoque ipsam collocavere in cælo, tamen Callimachi stilo nunc disconvenit lectio illa, comparare volentis non Ariadnam et Berenicen: sed comam Berenicæ cum Ariadnæ corona. Neque credibile a Conone ipso Callimachum, aut a Callimacho Catullum abire voluisse. Cononi autem Berenica ipsa in cælo non est. Catullus infra, 'Tu vero Regina tuens cum sidera,' &c.

75 *Quam me abfore semper]* In trivio sic est, *Quam me abfore semper, Abfore me a dominæ vertice disscrucior.* Ex membranarum autem lituris perspexerit facillime aliquis non plane Cæcilius, a Catulli manu illud fuisse *εμπαθές.* *Quam me ah fore semper, Ah fore me a dominæ vertice disscrucior.* Argute: Non tam lætor, inquit, me sidus esse, quam quod semper futura sum sidus a vertice dominæ. Vellem esse sidus in vertice, non sidus a vertice. Atque hic locus eos planissime arguit, qui scripsere, *Aut Ariadnais,* de quo ante monui: causa corruptionis a antiquo scriptum pro *ah.*

77 *Omimbus expers unguentis]* Lectio vulgi, *Qui cum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers, Unguentis una millia multa bibi.* Intellexere virginem omnibus expertem, intactam: sed Catullus voluit, *Qui cum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus aspersa, Unguentis, &c. aspersa, factum espersa,* deinde *expersa,* postremo *expers.*

79 *Nunc vos optato quas, &c.]* In manu exaratis, *Nunc nos optato quem junxit lumine teda, Non post uno animus corpora conjugibus.* Hic excedere alii, *Nunc vos optato queis junxit lumine teda, Non prius unanims corpora conjugibus;* alii, *At vos, optato quæ junxit lumine teda, Non post unanims corpora conjugibus.* Verius fuisse, *Nunc vos optato queis junxit lumine teda, Non post*

unanimis corpora conjugibus. Non sat recte dixeris corpora unanima aut nec unanima. Junxit autem Catullus καθ' ὅψεν post *unanimis*, quasi opponens anteuunanimis postuunanimos. Sic post principia, et id genus alia.

82 *Quam jucunda*] Fuit, opinor, *Quam jucunda mihi munera libat onyx.* Quando libat, sive dum libabit, sive inter unguenti libationem.

93 *Sidera cur iterent*] Hæc vetus scriptura. Pontanus fecit, *Sidera cur retinent?* Statius, *Sidera cum intereant, ut tunc, &c.* Sed fuerat, *Sidera cur inter?* Cur inter sidera ego? Utinam, &c. Metuentes ruinam versiculo fulcivere, sed ἀκαλπε ἐβόλα, vel ἀβολα potius. Intelligi vult Bostrychus ille, Quid inter sidera ego? Jucundior mihi reginæ vertex vertice Olympi.

94 *Proximus Hydrochoi Fulgeret Oarion*] Vetus hæc scriptura, probaque, sed non intellecta. Nam arbitrati a fulgerare esse *fulgeret*, ut pigeret, temperet. Non est, sed a 'fulgo' *fulgeret*. 'Fulgere' olim correpte, quod nunc 'fulgere' producte. L. Seneca Nat. Quæst. lib. II, cap. 56. Marcellus, Servius, Priscianus, alii, si coma, inquit, regia fieri possem, ut fini, me volente, vel Orion esset proximus Aquario. Non laborarem quo quicque sidus loco esset. Mihi enim locus inventus esset, omni loco cælesti optatior.

CARMEN LXVII.

7 *Dic agedum nobis*] Membranæ, *Dic age de nobis.* Fuit nempe, *Dic age dic nobis.*

17 *Quod possum*] Vetus scriptura, *Quid possum?* Non placet illud a plerisque inventum, *Quid possis.* Neque sub Catulli hoc persona, sed Jannæ accipiendum.

18 *Nos volumus*] Non Jannæ hoc jam verbum, ut arbitrati plerique, sed Catulli. Janna respondet, 'Primum igitur,' &c. Peccant qui legunt, *Vobis dicere.*

20 *Namque illam*] Falsa lectio. Bona et vetus illa, *Falsum est.* Non *illam* vir prior adtigerat. a quo pendet deinde versus tertius sequens, 'Sed pater,' &c.

42 *Solam consiliis*] Veteres libri aliqui, *Solam cum ancillis.*

CARMEN LXVIII.

41 *Qua Manlius in re Jurerit*] Membranæ, *quam salius in re.* Hinc procedere, *qua me Alius in re.* Et alterum huic Manlio cognomentum fuisse aiunt, *Alius* aut *Allius.* Quale obsecro illud, aut ubi inventum? Quod autem veriti ne non sit recte, *Qua Manlius in re Jurerit*, pro, *Qua me Manlius in re Jurerit.* Cassa terricula illa. Immo enim Attice et solita sic vocababula se, me, te, &c. in triviiis.

44 *Cæca nocte tegat studium*] Vetus scriptura melior, *Nec fugiens sæclis obliiscentibus ætas, Illius hoc cæca nocte tegat studium.* Fuit scilicet, *nocte teget studium.*

47 *Omnibus inque locis*] Hic ita versus in vulgariis, *Omnibus inque locis vulgetur fama sepulti.* Impense doctissimis faveo, qui expunxere ex hoc manipulo versus ita ignavum ut ignaviorem facere ignaviam possit. At ille in nostris membranis anne melior? *Omnibus et triviiis vulgetur fabula passim.* Puto equidem de eadem, aut non meliore fidelia est.

50 *Deserto in Manli nomine*] Vetus scriptura, *In deserto aliis nomine.* Correxere, *In deserto Ali,* et cognomentum hoc quoque aiunt illud esse alterum. Sed magis est ut prænomen sit *Auli.* Nempe Aulus ille Manlius. Scripsit Valerius, *In deserto Auli nomine, &c.* Novo genere urbanitatis ex A. Manlio, *Allium Mallinum* facere.

54 *Lymphaque in Ceteis Mallia Thermopylis*] Apex Philologiæ Hadrianus Turnebus Advers. lib. xxiv. cap. 5. Manliam aquam in Thermopylis a Manlio dictam censet. Δητικῶς exagitarere hoc jam. Sed neque Malliæ illorum aquæ hic locus. Neque

Manlia, inquam, aqua neque Malia volenti Catullo est. Scripserat enim, *Lymphaque in (Eteis, Manlie, Thermopylis*. Librarioli non arbitrati *Manlie* rectum esse pro *Manli*. Fecere itaque, pro sapientia sua et acumine, aquam Manliam.

67 *Is clausum luto*] Sic et veteres aliqua scripturæ.

72 *Arguta constitit in solea*] *Vulgaris* ita lectiones, nempe, *et trito fulgentem in limine plantam, Innixa, arguta constituit solea*. Sed *vulgaria* lectio melior.

79 *Desideret ara cruorem*] *Vetus* scriptura, *deficeret ara cruorem*. Voluit, opinor, Catullus, *defigeret ara cruorem*. *Defigeret* diris ac morti. *Legere* aliqui, *Desugeret*.

91 *Quæ nempe et nostro*] *Membranae*, *Quæ tectet id nostro*. Fecere, *Quæ, væ, ter nostro*; aut, *Quæ re te*. *Neutrum* facit *Valerio*. Nam hic quidem voluit, *Quæ nunc et nostro*.

100 *Detinet a nostro terra aliena solo*] *Membranae*, *Detinet extremo terra aliena solo*. Aiunt posse legi *externo*. Sed verum *extremo*. *Troja* 'extremum solum,' ut nova *Roma*, 'Europæ tenus,' *Ausonio Parentalibus*. *Glossæ*, *Tenus, πέρας*. Magis itaque *Troja* extremum solum.

101 *Ad quam tum properans*] *Vulgo* est, *Ad quam tum properans fertur simul undique pubes*. In *membranis* autem nusquam illud *simul*, sed *locelli* aliquid vacui. *Hiatus* ille sic, opinor, existit. *Librarius* aliquis *errans* scripserat, *Ad quam tum properans fertur undique et undique pubes, &c.* *Videre* postea *aretinæ* *literiorum* mentes non stare *versum*, *priore* itaque *undique* *deleto*, *simul* *reposuere*. *Quomodo* igitur, *inquies*, potuit *rectius*? *Minime* quidem oportuit *Valerio* *περγραφήν undique et undique*, *ereptum* *ire*, sed *facere*, *Ad quam tunc fertur propera undique et undique pubes Graia, penetrales deservisse domos*. *Hæc* *Valerii* manus *ipsissima*.

119 *Nam neque tam carum*] *Plebeia* lectio, *Nam neque tam carum confecto atate parenti, &c.* *Ex* *priscæ* autem *scripturæ* *vestigio*, *Nam neque tam carum*. *Sacrum* *patri* *fili*, *avo* *nepotis* *caput*, *ejus* *quem* *habet* *in* *potestate*, *quia* *per* *id* *jurare* *soliti* *l. iii. et seqq. D. De Jurejur.* 'Per caput tuum jurasti, vel filiorum tuorum.' *Plenissimi* hoc *ritu* *libri* *philologiae*. *Maxime* autem *sacrum* *ita* *caput* *fili* *aut* *nepotis* *si* *unicus*, *qualis* *nepos* *hic*, *neque* *unicus* *tantum*, *sed* *et* 'serus,' sive *τηλυγέτης* qui etiam *unico* *carior*. *Sacrum* autem quam *carum* *dicere* *magis* *Valerius* *voluit*, *quia* *mox* *etiam* *dicturus*, 'caro capiti.'

120 *Una caput*] *Una*, pro *unica*, ut *Epithal. Manlii*, 'Adspice unus ut acubans.' *Plaut. Frivol. apud Priscian.* 'O amice et multis, at mihi une *Cephalio*.'

121 *Qui cum divitiis*] *Vetus* scriptura, et *unius* *mutatione* *apicis* *proba*, *Qui tum divitiis*. 'Ἀπόσκοπος, autem illa, *Qui quum in divitiis*. *Nec* enim tam *capiendus* *in* *divitiis* *inventus*, quam *vix* *tandem* *divitiis* *inventus*, *videlicet* *heres* *Impia* *derisi* *gentilis* *gaudia* *tollens*. *Sive* *qui* *proximum* *agnatum* *excluderet* *inhiantem* *successioni*.

124 *Suscitat et cano vulturium capiti*] *Membranae*, *Suscitat a caro vulturium capiti*. *Caput* *Valerius* *intelligi* *vult*, *non* *canum* *illius* *gentilis* *vulturii* *ac* *heredipetæ*, *ut*, *opinati* *omnes* *hactenus*, *aut*, *ut* *aliqui*, *canum* *avi* *caput*, *quod* *et* *sacrum* *ante* *vocavit*. *Frandi* *eis* *fuit* *capiti*, *illud* *pro* *capite*, *ut* *et* *Lucret. lib. i.* 'Cum lapidi lapidem terimus:' *et* *Æn. vii.* 'Advectum *Æneam* *classi*, *victosque* *penates*.' *Alia* *item* *apud* *alios*. *Suscitat* *itaque* *una* *illa* *sive* *unica* *nata* *vulturium* *gentilem* *a* *capite* *filioli* *sui*. *Martial.* 'Et *sedeo* *qua* *te* *suscitat* *Oceanus*.' *Hinc* *seriem* *horum* *versuum* *turbatam* *vulgo* *esse* *perspexeris*. *Sic* *enim* *tri-*

sialiter dispositi: Nam neque tam carum confecto ætate parenti Una caput seri gnata nepotis alit. Qui cum diritiis vix tandem inventus avitis Nomen testatas intulit in tabulas, Impia derisi gentilis gaudia tollens, Suscitatur et cano culturium capiti. Catullus voluit: Nam neque tam sacrum confecto ætate parenti, Una caput seri nta nepotis alit: Impia derisi gentilis gaudia tollens, Suscitatur et caro culturium capiti, Qui tum diritiis vix tandem inventus avitis Nomen testatas intulit in tabulas. Cur hanc trajectionis fraudem fransi, librarii an critici? causa fuit metus ne illud ἀναφορικῶς Qui, minus recte cum volturio conveniret. Atqui nec debuit volturium intelligi, sed nepos. Planissima itaque nunc Valerii mens. Nam neque tam avo sacrum caput parvi nepotis unici et seri, quod filia ei alit, et tollit sive aufert gentili sive agnato proximo gaudium sive spem qua jam devoravit hereditatem, eunque volturium suscitatur sive arceat a caro illius nepotis capite, ne insidiis et veneno tentare possit nepotem illum, qui tum demum sive sero patritis et avitis divitiis inventus heres, et institutus sive scriptus in tabulis testamenti. Frustratoria vero illæ descriptiones legentium, Suscitatur ab cano culturium capiti. Ant interpretantium tollere gaudium volturio, esse dare ansam aliis gaudendi de frustratione volturii. Denique crepusculum hæc Valerii loco, aut et nox intempesta fuit.

128 *Quantum præcipue multivola est mulier*] Membranae melius, *Quantum præcipue multivola est mulier*. Perargute autem Valerius vocat 'multivolam mulierem,' ut et infra, 'Jovem omnivolum.' Itaque multivolam mulierem cum multo columbæ osculantis rostro comparant. Dixit enim, *Nec tantum niveo garisa est ulla columbo Compar, quæ multo dicitur improbius, Oscula mordenti semper decerpere rostro: Quamquam, &c.* Multo rostro

dixit comparari, columbi oscula improbe sive impudenter et adsidue decerpere. Non sat intellectus interpretum vulgo lusus hic Valerii.

142 *Ingratum tremuli tolle parentis onus*] Ante hunc versum aliquos excidisse verum est, falsum vellem. Carminis enim longe omnium quæ cantata unquam mellitissimi parte aliqua invitum careo: sed aliquam multi excidere, frustra que de patris senis odio narrare hic aliqua, ut bene aptam seriem ostenderent.

145 *Nigra munuscula nocte*] Membrana, *mira*. Fuit fortean, *rigua*. Nox rigua, quia et rigat membra somno, et pratum Veneris rore. Hanc quæsisse Catullus videtur diligiam.

147 *Si nobis id datur unis*] Non aliter vetus scriptura. Nam quod in plerisque est, *si nobis is datur unis*: aut *si nobis is datur unus*. Ex imperiti alicujus litura esse in membranis patet. In his ita perscriptum est: *Quare illud satis est, si nobis is datur unis, Quem lapide illa dies candidiore notat*. Fuit nempe Valerii manu: *Quare illud satis est, si nobis id datur unis, Quum lapide illa dies candidiore notat*: Quare, inquit, hoc satis est, si nobis unis, mihi et viro suo tantum, exclusis aliis omnibus adulteris sive mæchis, dat Lesbia id, nempe gaudium, quod dat, cum lapide candidiore dies notat, cum dies felices facit sive candidos. Respicit autem ad illum tractatum principio, 'Quod hic quisquis de meliore nota.' Longissime a Valerii mente abierit si quis correxerit, *Quare illud satis est, si nobis is datur unus, Quem lapide illa diem candidiore notat*.

150 *Pro multis aliis*] Lege, *Pro multis, Auli, redditur officis*.

CARMEN LXIX.

6 *Trux habitare caper*] Ovid. III. Nequit, 'Quam sæpe admonni, ne trux caper iret in alas.'

8 *Nec qui cum bella puella cubet*]

Odyss. iv. Τίς γὰρ ἂν εἰναλλῶ παρὰ κήρῃ
κοιμηθεῖη;

CARMEN LXXI.

1 *Si cui jure bono*] Falsam esse hanc scripturam patet eum sequitur, 'Æmulus iste tuus,' &c. Iudicio enim hoc, ejus ad quem scriptum est Epigramma nomen, primo versu expressum. Virronis nomen est. In veteris nempe scripturæ parietinis est, *Si qua viro bono sacrorum obstitit hircus*. Fecere aliqui, *Si cui jure bono, sacer alarum obstitit hircus*; alii, *Si cui, Virro, homini, sacer alarum obstitit hircus*; alii, *Si qua, Virro, bono sacro ritu obstitit hircus*. Sed fuisse scilicet, *Si quoi, Virro bono ritu, sacer obstitit hircus. bono ritu dixit, quod versu sequenti, 'merito.' Bono ritu scilicet 'rite.' Neque ritum intelligi voluit τὰ Ἀρροδίνης ὄργια.*

4 *Mirifice est actu*] Membranæ, *Mirifice est a te*. Fecere, *Mirifice est actu*; ant, *Mirifico est astu*. Fuit, opinor, *Mirifica est arti*, pro 'arte,' ut supra, 'capiti' pro 'capite.' Æn. viii. 'Classi' pro 'classe.' Quia insolens visum hoc literionum genti natum illud, 'a te.'

CARMEN LXXII.

8 *Sed bene velle minus*] Hoc dicit: Aute et amicus et amator fui: nunc amator sum, sed amicus esse desii. Amicus bene vult; amator desiderat. Bene ita in hunc locum interpres Terentii ad Andriæ Act. iv. Sc. 3. De quo discrimine et L. Seneca Epist. xxxiv.

CARMEN LXXIII.

2 *Aut aliquem fieri posse putare tuum*] Melius membranæ, *Aut aliquem fieri posse putare pium*.

4 *Imo etiam tædet, tædet obstque magis*] In membranæ, *Imo etiam tædet, siet magisque magisque*. Placuit hæc scriptura nonnullis, et sane triviali melior est, neque rectissima

tamen. Fuit enim Valerio, *Immo etiam tædet, et magis atque magis*. Tædet jam nunc, et quotidie magis magisque tædere pergit. Objectus librariis et Grammaticis error, metuentibus ne in *tædet*, syllaba sic stare non posset.

5 *Ut mihi*] Sic et Membranæ. Sed Catulli stilo, *Ut mehe. Mehe pro me*. Fabius lib. i. cap. 5. Atque hujus quoque rei inscitia peperit vericinium illum, *Tædet obstque magis*. Nam videre σοφώτατα κρῶνια non dici Latine, *tædet mihi*, fecere pro sapientia sua *obstque*. Næ recte, qui pro, *ut mihi, væ mihi*.

CARMEN LXXIV.

1 *Patrum objurgare solere*] Hinc Apul. Florida iii. 'Patruus objurgator.'

CARMEN LXXV.

5 *Huc est mens deducta*] Similiter et vetus scriptura: sed melius alii, *Nunc est mens adducta*. Iidemque recte hoc carmen jungunt illi quod LXXXVII. est, melius quam plerique addi voluere LXXII.

CARMEN LXXVI.

11 *Quin te animo affirmas*] Vetus scriptura, *Quin tu animo affirmas, atque instinctoque reducis*: voluere aliqui, *Quin tu animum affirmas, atque istinc usque reducis*; alii, *Quin te animo affirmas, teque adstringisque reducisque*; alii, *Quin tu animum affirmas, itaque instructoque reducis*: sed voluit opinor Valerius, *Quin tu animum obfirmas itaque, in gyrumque reducis*. gyrys ille mirificus visus librariis, itaque somnia sua commenti sunt: in *gyrum*, scilicet rationis Tullius de Offic. lib. i. 'In gyrum rationis et doctrinæ ducere.' Experiris ingratum, et perire beneficia tua sentis. *Quin itaque desinis excruciare te, quin animum obfirmas, &c.*

CARMEN LXXVII.

1 *Nec quicquam credite amice*] Hoc et veteres ita libri melius quam alii, *nec quicquam cognite amice, &c.*

CARMEN LXXVIII.

7 *Sed nunc id doleo*] Suspicati ingeniose, hos versus quatuor jungendos cum carmine antecedente.

CARMEN LXXXIV.

5 *Sic liber arunculus ejus*] Fuerit forte an Valerii inanu, *Sic Iber arunculus ejus*. Qui nescivere quid *Iber*, *Liber* fecere. *Iber*, sive *Ibrida*, misti generis. Ut cive et peregrina qualis C. Antonius Cos. Plin. lib. VIII. cap. 53. Q. Varius, Valerii lib. VIII. cap. 6. Persius, Horat. i. Sat. 7. Glossæ, *Iber, ἰβυλιος*. Aliter in vetere Epigr. de ambigenis: 'Apris atque sue setosus nascitur Ibris.' Similiter Festus, 'Ibris,' inquit, 'ex apro et scrofa domestica:' et Plin. loco autedicto.

CARMEN LXXXVI.

2 *Hæc ego sic singula confiteor*] Eadem et vetus scriptura.

CARMEN XC.

3 *Nam Magus ex matre et gnato*] De hoc Magorum impio ritu Tatianus Oratione pro Barbaris. Clem. Alexandr. Stromat. lib. III.

CARMEN XCIII.

1 *Nil nimium*] Hæc 'insania Catulli,' apud Fabium lib. XI. cap. I.

CARMEN XCIV.

1 *Mentula mæchatur*] Bene qui notavere in Mamurram esse, neque iidem tamen recte hoc et antecedens Epigramma unum esse.

CARMEN XCV.

10 *At populus tumido gaudeat Antimacho*] Neque tamen populo valde gratum, aut valde popularem illum Poëtam fuisse, liquet Dionis Hadria-

no. Sed nunc Cinna Catullo Antimachus. Uterque nempe Cyclicus. De Antimacho res notissima: de Cinna suspicere facile ex versu illo quem ex Cinnæ Smyrna Priscianus laudat lib. VI. 'At scelus incesto Cinyræ crescebat in alvo.'

CARMEN XCVII.

10 *Et non pistrino traditur atque asino*] *Pistrino utque asino*, pistrino et molæ; ut recte M. Ant. Muret. Var. Lect. lib. VIII. cap. 15.

CARMEN XCIX.

7 *Multis diluta labella Guttis*] *Nullis diluta labella Guttis, &c.* Ut si diceret, Abstersisti, etsi ne abstergendum quidem quicquam. Expressio illa majoris fastidii.

CARMEN C.

6 *Perspecta exigitur*] Melius aliqui, *Perspecta est igitur, &c.*

CARMEN CI.

5 *Tete abstulit ipsum*] Veteres libri, *te abstulit ipsum*. Fuerat nempe *ted'* *abstulit ipsum*. Hinc, *tete*.

7 *Nunc tamen interea*] Vulgarii, *Nunc tamen interea prisco quæ more parentum, Tradita sunt tristes munera ad exsequias Accipe, &c.* Vetus scriptura est, *Nunc tamen interea hæc prisco de more parentum, Tradita sunt tristi muneri ad inferias Accipe, &c.* Hinc facilis conjectura manum Catulli esse, *Hæc tamen interea, prisco de more parentum, Tradita nunc tristes munera ad inferias Accipe, &c.*

CARMEN CII.

1 *Si quicquam tacite*] Lectio in triuis, *Si quicquam tacite commissum est fido ab amico*. Merito repudiavere hanc aliqui, sed nibilo meliorem subjecere, *Si quocumque tacitum; vel, Si quicquam taciti*. In antiqua manu ac fide libris est, *Si quicquam tacito, commissum est fido sub amico*. Mirari licet

ne disertissimis quidem occurrisse veram Catulli scripturam: fuisse scilicet, *Si quicquam tacito, commissum est sub fide amico*. Trajectio illa librario- rum est *fido sub*, pro, *sub fide*.

3 *Me unum esse invenies*] Bene jam hoc alii ex membranæ, *Meque esse invenies*, pro, *Me quoque esse invenies*. Que est 'quoque': dixi ad carmen XI.

CARMEN CIV.

1 *Mæa maledicere vitæ*] Maledictum hoc est carmine LXXII. 'Multo mi tamen es vilior et levior.' Neque rescriptio illa utilis, *valdicere*. Est autem hæc Catulli quasi satisfactio.

4 *Omnia monstra facis*] *Ἀμφιλογία*, monstra vel Veneris; ut apud Festum: vel opinioinum et sermonum. monstra, obscure dicta; ut ænigmata. Glossæ: *Ἀνιγµατώδης*, *Monstruosus*; *Ἀνιγµα*, *Quæstio*, *prodigium*.

CARMEN CVII.

1 *Si quicquam cupido*] Ex antiquæ scripturæ vestigio, suspicemur licet fuisse, *Si quicquam cupido mi optanti- que*, &c.

2 *Insuperanti*] Voluit, opinor, Catullus, *Si quidquam cupido mi optanti- que obtigit unquam, et Insuperanti*: Gratissimum, inquit, mihi quod cupido et optanti quidem, sed nec speranti obtingit. Nam quo insuperatius eo gratius.

3 *Quare hoc est gratum*] Ergo, inquit, gratissimum quod tu, Lesbia, mihi cupienti quidem et optanti, sed nec speranti, te restituis. Quomodo nec speranti? Propter maledicta in eam carmine LXXII. Sed nunc habita satisfactione Lesbia se restituit.

Nobis quoque carius auro] Fuerit forte an, *contra quoque carius auro*.

6 *O mihi cara magis*] Mera putilago, et Carminis Catulliani dedecus, quod merito aversemur. Membranæ, *Nobis o luce candidiore nota*. Putant fuisse, *Nobis o lucem candidiore nota*. Esse nempe *cupido atque insuperanti nobis*, ut

'absente,' præsentem nobis,' et apud Tibull. 'Nec merito nobis inimica merenti.' Sed neque Tibull. voluit, 'inimica nobis merenti.' Scripsit enim, 'Perfida nec merito nobis inimica; merenti Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.' Neque similia 'præsentem nobis,' et *cupido atque insuperanti nobis*. Catullus voluit, *Restituis cupido atque insuperanti: ipsa refert te Nobis: O lucem, &c.*

7 *Aut magis hac est Optandus vita*] Reposnere aliqui, *Magi mi esse Optandum in vita*. Vetus scriptura, *aut magis me est Optandus vita*. Fecere, *aut magis est me Optandus vita*. Sed fuit, opinor, *Quis me uno vixit felicior? Aut magi me esse Optandum vitam dicere quis poterit?* Aut quis dicere poterit sibi magis optandum vitam esse quam mihi; *magis me*, sive 'mihi,' pro 'magis quam mihi.' 'Quam' sæpe omittitur, ut supra, 'amplius horam:' Propert. lib. II. 'Et se plus uni si qua parere potest.' Sempromius Asellio apud A. Gellium lib. II. cap. 13. 'Nam Gracchus domo quam proficisceretur, nunquam minus terna aut quaterna millia hominum sequebantur.' 'Me' autem pro 'mihi' notissima res ex Pomp. Festo, et aliis.

CARMEN CX.

7 *Fraudando, efficitur*] Refecere, *Fraudando, effexit*, &c. id est, *frudando* effecerit, scilicet facinus. Sed manu exaratis verbum *effecit* in littera est. Fuit enim, *officit*. Forte an scriptum ante, *Fraudando, officium*, &c.

CARMEN CXII.

1 *Multus homo*] Jocus ex dilogia. 'Moltus,' 'multus,' et 'molitus.'

CARMEN CXIII.

3 *Creverunt millia in unum Singula*] Sic et vetus scriptura. Est vero *in unum*; 'in unum quemque,' *εις ἕνα ἕκαστον*.

CARMEN CXVI.

A *Tela infesta meum mittere in usque caput*] Legere aliqui, *Telis infestans mi icere, musca, caput*; alii, *Telis infesto mi icere, musca caput*. Et accipere, *Telis infesto mihi, armato mihi*. Veteres, *Telis infestum mittere musque*

caput. Fuit, opinor, *Telis infestum icere mi usque caput*. Cur *infestum* illud mutavere omnes? Quia non adtendere *infestum*, usurpari pro 'infestato.' Gellius lib. ix. cap. 12. M vero litteram sic manere in versu notares.

NOTÆ VARIORUM

IN

PERVIGILIUM VENERIS.

[EX EDITIONE HAGÆ COMITUM IMPRESSA 1712. 8vo.]

Perrigilium] Vetus Glossarium: *Perrigilium*, Παννυχισμός, καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία. *Perrigilatio*, Παννυχίς. *Perrigilat*, Παννυχίζει. Et alterum: Παννυχίς, hoc *excubiuni, perrigilium*. Debebat Veneri, quam Plautus facete 'noctnigilam' adpellavit, 'triduanam;' ut est infra, vers. 41. Vide Janum Guilielmum in Cureulionem Plauti, cap. 3. *Weitzius*.

2 *Ver canorum*] Propter aviculas, 'quæ prolectante verno tempore concentus suaves adsonant,' ut ait Apul. lib. xi. *Idem*.

Ibid. Ver natus orbis est] Fortassis melius, *vere natus orbis est*. Nam hæc fuit non Judæorum modo, sed ceterarum fere gentium, quæ quidem mundo natalem tribuerunt, sententia: nisi quis mage figurate scriptum malit, *ver juvenis orbis est*; aut, *ver renatus orbis est*. Pithæus.

Ibid.] Eleganter Pithæus, *vere natus*

orbis est. Nec male ego, *rer renatus orbis est*. Sententia gemina huic Pliniaua, 'Arborum flos est pleni veris indicium, et anni renascentis.' *Lipsius*.

Ibid. Ver renatus orbis est] Basilus Magnus Homil. vi. Hexaëm. Ἐπανάγει τὴν εὐκρασίαν, καὶ γίνεται ἔαρ, πᾶσι μὲν φυτοῖς τῆς βλαστῆσεως ἀρχηγόν, δένδρων δὲ τοῖς πλείστοις παρέχον τὴν ἀναβίωσιν. ζωοῖς τοῖς δὲ χερσαῖοις καὶ ἐνύδροις ἅπασιν τὸ γένος φυλάσσειν ἐκ τῆς τῶν ἐπιγινομένων διαδοχῆς. Et quod *rer gratissimum* sit ex quatuor annorum partibus, testis est paræmia, qua utimur, cum e re seu negotio quippiam eximium præcipuumque auferri indicamus, 'ver ex anno tollere.' Vide Virgil. Georg. ii. 336. et ibi Interpretes. Calpurn. Eclog. v. 21. 'Tunc florent silvæ, viridisque renascitur annus.' Lipsius Physiolog. Stoicor. lib. ii. cap. 9. legit, *Vere*

natus orbis est. Vere videlicet natum esse Mundum volunt, Sole in Ariete existente. Panegyristes ad Maximianum, 'Divinus ille vestrae Majestatis ortus ipso, quo illuxit, auspicio Veris illustrior, augustiore fulgens luminis claritate, quam cum origine mundi nascentis animavit;' et statim, 'O felix beatumque Ver novo partu! o tempus, quo merito omnia nata esse credantur!' Vide inibi alia quoque: et plura de controversia, 'Num in Vere Mundus creatus,' apud Rodolphum Hospinianum de Origine Festorum Judaeorum et Ethnorum, pag. 5. Eliam Cüchlerum in Problemate, 'Verene an Autumno Mundus sit conditus;' Scaliger. de Emend. Temp. Bernardum Calellinum de Mundi Creatione, et alios. Weitz.

3 Vere concordant amores] Oppianus dilucide hoc exponit Cyneget. 1. 377. Quem locum non parum declarari ait Philologus ille eximius Conradus Rittershusius, collatione ejus facta cum Pervigilio hoc Veneris. Vide eundem Oppian. Halieut. 1. 473. *Idem.*

Ibid. Vere nubent alites] Scribo, nubunt. Lips.

Ibid. Nubunt alites] Συνουσιάζουσιν, ἢ ἀφροδιδιάζουσι. Joh. Isaacus Pontanus in Macrob. lib. vii. cap. 16. legit, *pubent*, h. e. vernant. Porro de Vere elegantissimam habes descriptionem Anthol. lib. 1. quam inde pete, et confer ejus Latinam metaphrasin C. Rittershusii ex Comment. ad Oppian. Halieut. lib. 1. Weitz.

4 Et nemus comam resolvit] Ἀολύγει τῶν φύλλων τὰ χεῖλη, ut loquitur Achill. Tat. lib. ii. de Rosa. comam. φύλλα, seu frondes, arborum comæ sunt, sive crines. Vide Indicem Dracontii mei in 'Comæ,' et Hadr. Junium in Comment. de Coma, cap. 4. *Idem.*

Ibid. De maritis imbribus] Venusta translatio ab hominum conjugatione

ad res alias. Virgil. Georg. ii. 325. 'Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther Conjungis in gremium lætæ descendit.' Lucret. 1. 246. Claudian. de Raptu, ii. 89. de Zephyro, 'Et glebas fecundo rore maritat.' Alcimus lib. 1. de Nilo, 'At postquam largo fecundans germina potu Lymfa maritavit sitientis viscera terræ.' Vide quæ ad Horat. noto, Epod. ii. vs. 10. *Idem.*

5 Cras amorem copulatrix] Peraspicne legendum, amorum. Pith.

Ibid. Inter umbras arborum] Mater enim amorum circumfusa umbræ nebula oberrare solet. Favet enim fur-tis Veneris umbra: pavidos alioqui amatores confirmat, et velo suo involvit. Joh. Wouwer. de Umbra, cap. 24. Weitz.

6 Implicet gazas viventes] Melius, casas. Tibull. 'Ludit, et ex virgig exstruit arte casas.' Pith.

Ibid. De flagello myrteo] Isidor. Origin. xvii. cap. 5. et 6. 'Summitates vitium et fruticum, flagella nuncupantur.' Myrtum esse frondem Veneris, ex omni prope antiquitate discimus. Ideoque populari epitheto dicta est a Virgilio 'Paphia,' Georg. ii. et 'Cythereia' Ovid. Vide uberiores Notas, aut Carolum Paschallium in Opere Coronario, lib. vii. cap. 18. et 19. Weitz.

7 Cras Dione] Mater Veneris. Hic pro ipsa Venere. Et quoties Dione pro Venere? Scal. in Senecæ Med. v. 661. *Idem.*

Ibid. Fulta sublimi throno] Sunt qui malint thoro. Sed et in vetusto Epigrammate de Augusti cæna δωδεκαθεῶν meminimus scriptum, 'Fugit et auratos Juppiter ipse thronos.' Pith.

Ibid.] Casaub. ad Sucton. lib. ii. pag. 145. hic legere mavult, *toro*. Seneca Agamem. v. 9. 'Hoc sedent alti toro, Quibus superba scepra gestantur manu.' Weitz.

Ibid.] Hinc *παικιλόθρονον* vocat 'A-

φροδίτην Sappho. Quamvis id vel de variegata et florida Veneris veste accipi possit, argumento illius Hom. II. X. ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔκασσε. Vel de variis pharmacis quæ mortalibus propinat Venus, 'curis hominum gaudia miscens,' ut Catullus loquitur. Nam cum πουλόθρονος dicatur multa habens θρόνα seu pharmaca, ejusdem vocabuli vim ad ποικιλόθρονον etiam extendi posse ratio suadet. Douza.

9 * *Tuno quiuore desuper huc spumeo pont' de globo*] An potius? *Tunc liquore de superno, spumeo ponti e globo, Cæculas inter catervas, inter et bipedes equos Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.* Nota sunt Epigr. Veterum eis 'Αφροδίτην ἀνερχομένην ἀπὸ θαλάττης. Et in Fragm. Polyhistoris Pontici, quod Julio Solino in veteribus libris adscriptum reperimus, de Venere legas, 'quæ semine Cæli Parturiente salo divini germinis æstu, Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis, Nasceris et pelago, placido Dea prosata mundo.' Pith.

Ibid.] Amicus ille noster, *Juno rore de supernis.* Mihi correctio apud Jan. Douz. fabulanti feliciter sub manu nata, *Tunc cruore de superno ac spumeo ponti e globo.* Nihil clarius. Tangit Fabulam qua fingitur Venus e spuma maris nata, et e sanguine prolium, ut honeste dicam, Cæli. Tibull. 'is sanguine natam, Is Venerem e rabido sentiet esse mari:' Arnobius, 'Numquid a nobis dicitur ex pelagi spuma et ex Cæli genitalibus amputatis Cyttheræ Veneris concretum coaluisse candorem?' Lips.

Ibid. Spumeo ponti e globo] Venus ex mari concepta dicitur, quoniam ex humecta natura consurgit coëundi aviditas. Hinc et 'salax' dictus homo Venerius et libidinosus, a salo. Sane Venus 'Αφροδίτη dicta, quod e maris spuma sit nata, juxta Hesiod. Et rationem adsignat Joach. Camer. senior 'Τρομν. Decur. I. cap. 4. Aristot. tamen de Generat. Animal. lib. II.

ita vocatam Venerem tradit, quod seminis natura sit ἀφρώδης, id est, spumosa. Vide Notas ad Dracont. vs. 276. et ad Musæum, vs. 249. et uberiores Notas in Pervigil. Aliam tamen ab istis rationem adsignat δ βαυμάσιος Heinsius, qui in Aristarcho seu Exercit. Sacrar. cap. I. 'Αφροδίτην dictam adserit, quod Luciferum aut Venerem stellam, maris unda, ut Poëta loquitur, perfusam mane salutaret. Unde et 'Frutinal' Romanis, ut et 'Fruti,' quæ est ipsa 'Aphrodite.' Weitz.

10 *Cæculas inter catervas*] Nereides ac Neptuni pecudes. Seneca Hippol. v. 335. 'Cæculus grex Nereidum.' *Idem.*

Ibid. Bipedes equos] An ita adpellat, quia pectoribus tenuis molles eriguntur in auras? ut loquitur de Tauro Ovid. Met. xv. vs. 512. Virgil. Georg. iv. vs. 388. de Proteo, 'magnum qui piscibus æquor, Et juncto bipedum curru metitur equorum.' Turnebo lib. xxxvi. cap. 23. 'Neptunii equi,' hippocampi, qui priores pedes habent, posterioribus carent, sed pontum legunt et natant. Stat. Achill. I. 'Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.' *Idem.*

11 *Fecit undantem Dionem de maritis imbribus:* 'maritos imbres' adpellat Spumam et Cruorem, sane quam eleganter. Desunt autem hic minimum seni aut septeni versus, quod adparet ex versu intercalari præpropere posito. Lips.

Ibid.] 'Ἐξ ἁλὸς ἀριτύλχευτον, ut Nounus Dionys. lib. xli. vs. 99. loquitur; vel, ut Anacreon, Χαροπῆς ὄτ' ἐκ θαλάσσης Δεδρωσωμένην Κυθήρην Ἐλόχευε πόντος ἀφρῶ. Weitz.

13 *Ipsa gemmas purpurantem*] Pithæus, *geminans.* Potest etiam, *gemmeis.* Lips.

Ibid. Purpurantem pingit annum] Pind. Pyth. iv. Φοινικανθέμου ἦρος ἀκμάν, Veris purpureos-habentis floues

vigorem dicit. Apud Apul. lib. vi. in Nuptiis Cupid. et Psyche, 'Horæ dicuntur rosis et cæteris floribus purpurare omnia:' et lib. x. 'Quod Ver in ipso ortu jam gemmulis floridis depingeret, et jam purpureo nitore prata vestiret.' Ver autem 'pictor mundi' non temere cuidam veterum adpellatur: tanquam de Apelle, aut acupictore Phrygione sermo esset, qui colorum varietate multijuga suam illustrant et distinguunt picturam. Vide Not. *Gemmæis floribus*] Instar gemmarum lucentibus, annunquæ suavissima varietate distinguuntur aut condecorantur. V. N. Weitz.

14 *Ipsa surgentis papillas de Faboni paritu*] Rectius fortassis, *Ipsa turgentis papillas de Favoni spiritu Urguet in toros stupentes*. Pith.

*Ipsa surgentis papillas de Faboni paritu Urguet in toros * pentes*] Truncatam vocem arbitrator, et scribo, *Urguet in thoros tepentes*. Priori etiam versu malim, *turgentes papillas*. Favonii spiritum vere invenit et ingeniose Pithæus. Lips.

Ipsa surgentes papillas] Rectum puto *surgentes*, quod interpretor tumescentes ac sororiantes, et veluti strophio obuidentes, atque, ut cum Catullo dicam, 'luctantes.' Eas 'horridulas' vocat Plant. Pseud. 'Papillarum horridularum oppressinunculæ.' Douza.

Ipsa turgentes papillas] 'Turgere' aut 'tumere' proprie virginum est, quarum plena pubertate habitus viro maturus est, toto velut corpore tumescente, præsertim pectore et mammis. Unde et 'tumida virginitas' a Papinio dicitur Theb. ii. et Cypriano in Sodoma, de Lothi filiabus, 'Virginitas in flore tumet.'

Papillas] Catull. 'Strophia luctantes' adpellat *papillas*. Non. lib. xii. v. 393. Οἰδαλένη ἀκαμπέος ἀντιγα μαζού. Pulchre Martial. lib. viii. Epigr. 68. 'Et talis tumor excitat papillas, Qualis cruda viro puella servat.' Idem 'crescentes' dixit; Prudent.

Delph. et Var. Clus.

Catull.

in Symmach. ii. v. 38. 'tumidas;' Maximian. 'duras stantesque.' Weitz.

15 *Unguet* (ita laudat, cum Lipsius aliique ediderint *Urguet*) in toros *trepentes*] 'Unguento' enim 'fragrantissimo proluvium libidinis suscitatur,' ut habent verba Apul. lib. x. Sicuti inibi, 'matrona quædam pollens et opulens, cuncto prorsus spoliata tegmine, de stanno vasculo, sese perungit oleo balsamo,' &c. vide locum.

16 *Noctis aura quem relinquit*] *Legerim, quem reliquit*. Lips.

Ibid.] Non assentior, inquit doctissimus Johan. Wouwerius ad Apul. hic corrigenti, *quem relinquit*. Ipsa Dione spargit humorem roris, quem relinquit aura lucidæ noctis. Weitz.

17 * *Et me canat lacrimæ trementes detudum pondere*] Videor pro parte emendare posse, *Et micant lacrimæ trementes*. Intelligit autem guttulas illas e rore subsilientes et lascivientes. Cetera non possum. Lernutius noster, *decadivo pondere*. Lips.

Ibid.] Pulchra tralatione 'roris guttas' nuncupat 'lacrymas.' Apud Achill. Tat. lib. vi. pag. 149. τὸ τῶν δακρῶν καίναςθαι, τὸ δὲ μέλαν πορφύρεσθαι, καὶ εἶναι ὁμοιον, τὸ μὲν ἴψ, τὸ δὲ ναρκίσσῳ. Sicut versa vice 'ros' pro 'lacrymis' poni amat. V. N. Weitz.

Ibid. Decidivo pondere] 'Decidivum' et 'deciduum.' Non. Marcell. cap. 11. n. 241. *Pondere*] Est etiam rebus minutissimis summus pondus; ut hic guttæ. Virgil. Culicæ, vs. 7. 'Pondere vel Colicis levior.' Plant. Persa, ii. 2. 'Neque stipulæ levius pondus est.' Et quid levius pondere guttæ? et tamen alias dicitur, 'Gutta cavat lapidem.' De quo V. N. ad Ovid. i. Pont. 1. 70. *Idem*.

19 *In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ*] Videtur legendum, *prodierunt*. Nec abs re suspicetur quis, et hæc et alia quædam in hoc Carmine confusa, nec suo loco posita. Pith.

21 *Mane virgineas papilla solvit umenti peplo, &c.*] Placet conjectura, (ea

Lipsii et Douzæ est) *Mane virgines papillas solvit humenti peplo: Ipsa jussit mane ut udx virgines nubant rosæ, Fusæ aprino de cruore, deque Amoris osculis, Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.* Pith.

Mane virgineas papilla] Scribo, *virgines papillas*, nondum oppressas et maritas. Lips.

Ibid. Humenti peplo] Omnis vestis peplo denotari videtur. Simile quid notat elegantissimus Barthius ad Claudian. pag. 458. Weitz.

22 * *Ipiussit mane tuæ virgines nubant rosæ]* Pithæus, *Ipsa jussit*: recte. Reliqua sic Janus Douza: Douza, inquam, meus, non iterum in transcursu dicendus: tot mihi in illum justis amoris causæ, tot admirationis sunt. Omitto poësim, et cum poësi supra hoc sæculum doctrinam: probitas, et ingenui mores, et, quæ nihil gratiæ causa facit, gratia, Di boni, in quo homine paria sunt, aut erunt! Ut vere de illo hoc elogium et ad præstationem, quod dicitur, scripturus sim, 'Vera proles Musarum, et alumnus Gratiarum.' Nec abripit amor me. Judicio hoc scribo, si quid unquam: et peto quæsoque (vita tantum mihi aut fama apud posteros sit) ita hæc legant non quasi laudem ab amico; sed sententiam a jurato teste. Redeo in viam. Douza, inquam, legebat, *mane ut udx virgines nubant rosæ*: rectissime. Venus jussit, ait poëta, ut mane virgines tegant se ornetque udis ab humore noctis et quasi ebris rosis. Nec fallit lectorem 'nubendi' hic verbum, prisca significatione, velandi. Lips.

Ibid. Virginis nubant rosæ] Id est, velent. Onomasticum: *Nubo*, Καλύπτω. Est enim 'nubo' proprie operio. Arnob. lib. III. 'Quod aqua nubat terram, adpellatus est Neptunus.' Weitz.

23 * *Fusta prius de cruore, deque amoris oculis]* Pitheus, *osculis*. Non diu, sed intente mihi quæsitæ correc-

tio; quam repperi, et lego, *Fusæ aprino de cruore*. Ab Historia hæc lectio, vel a Fabula potius. Nam rosas a sanguine Adonis, quem aper occiderat, traxisse ruborem vulgo volunt Poëtæ. *Fusæ* ergo, tinctæ sive perfusæ: nisi quis eligit, *Fusæ*. Bion de hac re, Αἷμα ῥόδου τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώνων. Ovid. et alii. Lips.

25 *Cras ruborem solvere]* Ut apud Virgil. Æn. IV. 'pudoris jura solvere,' et 'solvere pudorem:' quod est, claustra pudicitiae effringere, dirumpere, solvere: Interprete Tirarello Connub. 9. n. 154. Weitz.

26 *Unica marito nodo non *pudent solvere]* An potius, *Unico marite nodo non pudebit solvere?* Varro apud Nonium, 'Novus maritus tacitulus taxim uxoris solvebat cingulum.' Pith.

Unico marito nodo] Quid si *maritino*, ut sit ὑπὲν? Douza.

Mariti nodo] Festiva tratatio. Qua et usus Lucr. lib. IV. vs. 1146. 'validos Veneris perrumpere nodos.' V. N. Weitz.

28 *Ipsa nimfas diva loco jussit ire myrteo. Et puer comes puellis]* Melius, *Ipsa Nymphas Diva luco jussit ire myrteo, It puer comes puellis*: et paulo post, *nudus ire jussus est*. Sic enim infra, 'Jussit et nudo puellas nil Amori credere.' Pith.

30 *Si sagittas vexerit]* 'Vehere' hic est recondita habere arma. Alcimus ad Fuscina sororem, v. 755. dixit, 'Vehere fercula.' Weitz.

35 *Totus est inermis idem quando nudus est Amor]* Lege, *in armis*. Pith.

Ibid.] Ea 'arcum,' 'sagittam,' 'ignem' supra dominat. V. N. nostras ad Ovid. Amor. lib. I. v. 20. Porro 'hominem in armis' et 'sub armis,' armatum vocabant: vide Virgil. Plura hujus notæ observavit eruditissimus Salmasius ad Trebellium Polionem, pag. 323. Weitz.

38 *Virgo Delia]* Diana, quia in Delio nata, V. N. *Idem*.

41 *Ipsa vellet ut venires, si doceret]*

virginem] Auctor poëmatii de Herone et Leandro, Παρθένον οὐκ ἐπέκειν ὑποδρήσσειν Ἀφροδίτη, Παρθενικαῖς οὐ Κύπρις λαίνεται. *Pith.*

Ibid. Ipsa] Domina, Venus. Weitz.

42 *Jam tribus choros videres feriatas noctibus] Melius, feriatos. Est et Pervigilii triduanum exemplum apud Liv. lib. xiii. sed hoc Veneris in silva aut nemore, ante diem nuptiarum. Pith.*

43 *Congreges inter catervas] Gloss. δμῶφυλος, tribulis, congrex, gentilis. Auson. Epist. ad Paulin. 'Congrege vulgo Angustas servare vias:' et Idyl. xi. Lege Scalig. Auson. Lect. lib. i. cap. 17. 'Segrex' exstat apud Prudent. V. N. Weitz.*

45 *Nec Ceres, nec Bacchus, absunt] D. Hieronymus adversus Jovinian. lib. ii. 'Esus carnum, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est.' Unde et Comicus; 'Sine Cerere,' inquit, 'et Baccho friget Venus.' Idem.*

Ibid. Poëtarum Deus] Id est, Apollo. Idem.

46 *Detinent et tota nox est pervigila canticis] An potius pervigilata? ut apud Corn. Tacit. 'Pervigilata nox convivio.' Pith.*

Ibid.] A fine lego, pervigila canticis: syllaba præter vulgi morem scilicet producta, ut Iambum vitemus. Pithæus, perviglandæ. Ad principium emendandum eonor, Detument; id esset, tumorem et fastum dii illi ponunt, effusi in jocos, et solitam pervigilio hilaritatem. Scio Stat. Papin. Theb. vi. vs. 478. non absimiliter ea voce usum, 'Detumnerè animi maris, et elementior auster Vela vocat:' tamen adhuc delibero. Lips.

Ibid. Perriglanda canticis] Ita in libro vetustissimo et optimo scriptum reperiri, testis est præstantissimus Salmasius ad Trebell. Pollionem, pag. 303. 'Vigla,' pro 'vigilia.' Unde βῆγλα Græcis barbaris. Inde hic verbum perriglare. Vide ibidem alia hujus commatis. Weitz.

Ibid.] Alii, pervigilata. Sic Tacit. 'Vigilatam convivio noctem' dixit Ann. xiii. Douza.

49 *Stare floribus] Id est, oppleri, ornari, redimiri, conspergi. Sic apud Virgil. Æn. vi. 'stant lumina flamma;' valet, pleni flamma sunt oculi: ut et Æn. xii. dixit, 'Jam pulvere cælum stare:' quod est, oppletum esse pulvere. V. N. Weitz.*

50 *Præsens ipsa jura dicit, adsederunt Gratia] Bene Douza, Præses ipsa jura dicit, adsidebunt Gratia. Et lepida hercle fictio est, ut Venus in illo tribunali quasi Præses Quæsitore sit: Gratia, adsestrices. Lips.*

Ibid. Adsiderunt Gratia] Scribit Phornutus, adsidentes Venerem sibi habere Gratias, et Sadelam, et Mercurium. Venus Gratiarum choro stipatur, et toto Cupidinum populo comitatur, apud Apud. lib. ii. vi. et x. V. N. Weitz.

51 *Hibla totos funde flores quidquid annis adtulit] Omnino legendum, annus, vel Ennas, ut apud Arnob. lib. v. vetus exemplar, 'Et in altera fabula Ennade nemus.' Pith.*

52 *Hibla florum rumperest equant' ethne cãp?] An? Hibla florum rumpe vestes quantus Ætnæ campus est: ut 'vestium' nomine significet thecas et vaginas florum; et 'campi,' planitiem ad radices montis Ætnæ, fontibus floribusque amœnissimam. Nisi quis malit, Hibla florum rumpe vestes quantus Ennæ campus est. Nam et sic Plinius 'alii restes' dixit, et in nemore Ennensi flores legens Proserpina rapta dicitur. Pith.*

Ibid.] Pithæus, quantus Ætnæ campus est. Fortasse sic, Hibla florum rumpe vestem quantus Ennæ campus est. Lips.

Hibla florum rumpe vestem] Jucunda oppido perquam tralatio: cujus exempla require in Indice Dracontii. Weitz.

Ibid. Quantus Ennæ campus est] Campus Ennensis in floribus semper

est, et nullo non tempore vernus: ut ait Solinus et Cic. et utroque prior Aristot. inter Naturæ miracula refert. De 'Ætνα' (ut legit Pithæus) Claudian. de Raptu, lib. 1. vs. 72. 'Ætνα parens florum.' Ubi vide sequentia: quauquam Parrhasius 'Enna' pro 'Ætνα' legendum esse contendat, quem vide in Comment. *Idem.*

53 *Vel puellæ montium*] *Vel pro et.* Exempla convasavit Salmasius in not. ad Capitolin. pag. 90. ad Lamprid. pag. 181. et ad Capitolin. pag. 260. *Idem.*

55 *Pueri mater alitas*] *Lege alitis.* Id est, Amoris, sive Cupidinis. *Pith.*

56 *Jussit et nullo puellas nil Amori credere*] *Supra monimus legendum, nudo; id est, sine atnis. Idem.*

58 *Et rigentibus vergentes ducat umbras floribus, &c.*] Fortassis rectius legatur, *Et recentibus virentes ducat umbras floribus.* *Cras erit, qui primus æther copulabit nuptias. Ut pater roris crearet vernus annum nubibus, In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis: Ut fetus immixtus omnes aleret magno corpore. Ipsa venas atque mentem permeante spiritu Intus, &c.* Eurip. non modo apud Aristot. *Æthic.* lib. viii. sed et apud Athen. lib. xiiii. et Stob. in *Physicis*, 'Ἐρᾶ μὲν ὑμβρον γὰρ ὅταν ξηρὸν πείδον, Ἄκαρπον αὐχμῶ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει: Ἐρᾶ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος Ὀμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὑπό: Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταῦτον δύο, τίκτουσι μὲν πάντα, καὶ ἐκτρέφουσ' αἶμα. Hic etiam confer Virgil. *Georg.* ii. 'Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit magno commistus corpore fetus.' *Pater* igitur *roris* Juppiter, vel est Æther, ut Arnob. lib. v. et Lucr. lib. 1. 'perennit imbres, ubi eos pater Æther In gremium matris Terræ præcipitavit.' Unde illa Virgil. expressa videntur. Et 'vernus,' ut Juvenal. *Sat.* v. 'tremeret sæva cum gaudine vernus Juppiter.' Nec abluunt illa

Solini ex Pontico, quæ supra. *Idem.*

59 *Cras erit qui primus Æther*] *Fortē, quo primus Æther.* Lips.

60 *Ut pater roris*] *Pind.* *Olymp.* xiiii. ὕδατα ὑμβρία nominat παῖδας νεφέλης, *aquas pluvius, nubis filius.* Hanc in rem aliquammulta comportavit Rittershusius ad Oppian. *Halieut.* lib. 1. vs. 735. *Weitz.*

61 *In sinum maritus imber fluxit*] *Legō, fluxus.* Ita apud Lucan. 'æther defluxus in Ausirum.' *Pithæus, fluxit almæ conjugis.* Lips.

Ibid.] *Arnob.* lib. v. 'Vos Jovis et Cereris coitum, imbrem dicitis, dictum telluris in gremium lapsum, &c. V. N. *Weitz.*

62 *Ut fetus immixtus omnes aleret magno corpore*] *Dixi, et non muto, legendum fetus: ex sententia, et Virgilio, quem expressit.* Turbat me tamen quod insolens eo loco Poëtæ nostra Spondæus est. Itaque per me sane legatur, *Utque fetus mixtus omnes.* Lips.

63 *Ipsa vernas atque mentem*] *Pithæus, Ipsa venas.* *Idem.*

Ibid. *Mentem permeante spiritu*] *Doccebat Empedocles 'mentem sacram,' id est, Dæm, per universa diffusam, vegetate atque movere omnia, &c.* Illa mens hic Veneris nomine insignitur, ut vult ingeniosus Barthius ad Claudian. *Ad versus proxime sequentes vide uberiores Notas. Weitz.*

66 *Tramite*] *Turpiculum quid hic latet.* V. N. *Idem.*

67 *Imbuit*] *Sæpe hoc verbum ad rem traducitur Veneræam.* *Horat.* *Val. Flac. Sil. Nemesian.* V. N. *Idem.*

69 *Ipsa Trojanos nepotes in Latino transtulit*] *Melinus, in Latinos.* *Pith.*

Ibid.] *Virgil. in Æn.* *Weitz.*

70 *Laurentem puellam*] *Laviniam, Latini Regis, qui Laurenti regnabat, filiam.* *Conjugem nato*] *Æneæ.* *Idem.*

71 *Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem*] *Dionysius nominat 'Iliam Vestalem.'* *Liv.* lib. 1. 'Rheam Silviam.' V. N. *De sacello*] *De*

pro 'ex.' Tertull. de Præscriptionibus, 'Et ipse Christi traditor de Apostolis fuit.' Vide plura exempla apud Adamum Dürerum de Particulis Lat. Ling. in 'De.' *Idem.*

72 *Romuleus ipsa fecit*] Versus ratio exigit ut scribatur, *Romuleas*. Et paulo post, *Unde Ramnes et Quirites: proque prole posterum Romuli, patrem creavit, et nepotem Cæsarem*. Pith.

73 *Unde Rames et Quirites, proque prole posterum Romoli patrem crearet, et nepotem Cæsarem*] Falsa lectio. Quid? an ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata mater Romuli? Atqui Romulo jam regnante junctæ illæ inemptæ nuptiæ; nedam ut ex illis Romulo mater. Persevero ergo legere, *proque prole posterum Romoli, patrem crearet et nepotem Cæsarem*. Sententia non dubie in gratiam Augusti: Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarumque nuptiis, ut ex iis Rhamnes et Quirites crearet, et in postera sæcla utrumque Cæsarem, patrem cum nepote. *Lips.*

Ibid. Unde Rhamnes] 'Rhamnes' alii a Romulo adpellatos; alii 'Rhamnes' et 'Luceres' vocabula esse Tusca volunt, ut refert Varro lib. iv. Quid. Fast. iii. v. 132. et in Arte lib. i. v. 342. Horat. in Arte Poëtica, 'Celsi prætereunt anstera poemata Rhamnes:' id est, equites, vel juvenes feroces atque elati; Lambino Interprete, et Turnebo lib. iii. cap. 2. Vide Sex. Aurel. Victor. de Viris Illustribus, cap. 2. *Weitz.*

Ibid. Quirites] Fest. et Isidor. Orig. lib. ix. cap. 2. Gloss. Ἀθήρ Ῥωμαῖος, *Quirites*. Et alterum, *Quirites*, πολίται Ῥωμαῖοι. *Idem.*

76 *Rura fecundat*] Gloss. γονοποιῶ, *fecundo*. V. N. *Idem.*

78 *Hunc ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu*] Lego et distinguo, *Hunc ager, cum parturisset ipsa, suscepit sinu: Ipsa florum delicatis educavit osculis*. *Lips.*

Ibid. Ipsa suscepit sinu] Virgil. 'tel-

lure cadentem Excepi, fovique sinu.' *Pith.*

81 *Ecce jam super genestas explicant * aonii latus, Quisque tuus quo tenetur conjugali federe*] Melius fortassis, *Quisque catus continetur conjugali federe*. *Ecce, jam super genestas explicant tauri latus. Subter umbras, cum maritis ecce balantum greges*. Calpurn. Eclog. i. iisdem fere verbis, 'Cernis ut ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ Molle sub hirsuta latus explicuere genesta.' *Idem.*

Ibid.] Pithæus, *ædon*. Aut ego me amo, aut Phæbus me amavit, cum correxi, *explicant agni latus*. Nec sane significantius exprimi potuit decubitus ille ovium in latus, quasi apricantium. Id enim solent super genistas, myricas, et humiliores frutices. *Lips.*

Ibid. Super genistas] Clarissimus Zehnerus in Nomenclatore idem ait esse, quod 'Spartum' et 'Spartium,' Germanice, *Πύρρμην*. Adi Plin. lib. xxi. cap. 12. et lib. xxiv. cap. 9. *Weitz.*

82 *Quisque tuus quo tenetur*] Fortasse, *Quisque catus continetur*. *Lips.*

Quisque catus] Universe hoc verum. V. N. *Weitz.*

85 *Jam loquaces ore rauco cygni*] E Virgil. *Æn.* xi. vs. 458. 'Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.' *Idem.*

86 *Adsonant aërei puellæ, &c.*] Scribe potius, ac distingue sic, *Adsonant Tereci puellæ subter umbram populi, Ut putes motus amoris ore dici musico, Et neques queri sororem de marito barbaro. Illa cantat, nos tacemus: quando rer venit meum? Quando fiet muta chelidon, et tacere desinam?* Pith.

Adsonant Tereci puellæ] Philomela et Progne; de quibus abunde Naso Met. vi. ad quem vise. Vide et N. *Weitz.*

87 *Ut putas motus amoris*] Lego *putes*, et deleo ubique notam rogandi. Nec plura de hoc Pervigilio, ne ipse pervigilem. *Lips.*

88 *De marito barbaro*] Tereo, qui

et Ovidio Met. vi. 'Barbarus' indigitatur. *Weitz.*

89 *Quando ver venit meum*] Signum pro re signata. 'Ver' ponit pro ipsa hilaritate, ad quam invitant florentia Veris tempora. Ad Horat. i. Od. 4, Q. d. Quando ille tandem illucescet mihi dies, ut, veterno excusso effun-

datur animus in lætitiã et sensibus imis, voceque ac gestu eandem explicem atque exproram? V. N. *Idem.*

90 *Quando fiet muta chelidon*] Ita legendum, *prp facit*; quod metri ratio non admittit. Hirundines tempore hiberno conticescunt. *Idem.*

NOTÆ

SALMASII ET SCRIVERII

IN

PERVIGILIUM VENERIS.

2 *Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est*] Hæc lectio sola mihi vera videtur. Nempe Orbem vere natum fuisse vult. Hoc hausit e Virgil. Georg. ii. 336. 'Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem Crediderim: Ver illud erat; Ver magous agebat Orbis, et hibernis parebant flatibus Euri: Cum primum lucem peendes hausere, virumque Ferrea progenies duris caput extulit arvis.' Ex eodem certe loco etiam sumpsit quæ infra leguntur. 'In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis, Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.' Sic enim ibidem Virgilius, ubi cecinit orbem Vere natum esse, 'Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit mag-

no commixtus corpore fetus.' De quo, ad locum. Videbis tamen in meo Codice legi, *Vere natus Jovis est.* Quod neminem morari debet. Ex vitioso enim scribendi modo hæc menda nata est, *Orbis est*, ex quo *Jovis fecere.* Ne quis labore inquirere in Fabulas, an Juppiter verno tempore natus sit. *Salm.*

Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est] Ita vulgo ex conjectura P. Pithæi. Nec aliter citat Lipsius Physiologiæ Stoicæ, lib. ii. cap. 9. ubi mundum vere natum videri adseritur: auctoribus Virgil. D. Ambros. Damasceno, et Panegyriste ad Maxim. Tamen in Electis eidem placuit, *ver renatus orbis est.* Vulgatam probat Salm. Cujus membranæ scribunt, *Vere natus Jovis est: aut, aovis.* Quid si? *Ver renatus annus est.*

Boëthius de Consol. Philos. lib. 1. Carm. 5. 'O stelliferi conditor Orbis, &c. Tu frondiflua frigore BRUMÆ Stringis lucem breviorē mora; Tu, cum fervida venerit ÆSTAS, Agiles noctis dividis horas; Tua vis VERNUM temperat ANNUM; Tu, quas Boreæ spiritus aufert, Revelis miti Zephyro frondes; Quoque ARCTURUS semina reddat, Sirius lætas urit segetes.' Ita illum locum emendo, varie interpolatum vulgo. Idem lib. 1v. Carm. 6. 'Vere tepenti Spirat florifer ANNUS odores; ÆSTAS Cererem fervida siccet; Remeat pomis gravis AUTUMNUS; HIEMEM deluvis irrigat imber.' Vide et lib. 11. sect. 2. Petron. in Fragm. 'Ante oculos stabat quidquid promiserat annus.' Complura alia possent adferri firmandæ huic conjecturæ. Sed præstat, antequam progrediamur, hic audire incerti quoque Auctoris pulcherrimam verni temporis descriptionem, ex Anthol. Græca, Conrado Rittershusio Interprete:

Postquam Bruma polo tandem ventosa recessit,
 Florida purpurei rident jam tempora Veris,
 Et pulla est viridi circumdata gramine tellus.
 Jamque comas reparant plantæ, nova frondibus arbor
 Luxuriat, campisque redit silvisque juventa.
 Jam matutinum vario gemmantia flore
 Prata bibunt tenerum rorem, calycesque rosarum
 Dum sese lento pandunt conamine rident.
 Fistula pastorem delectat, montibus altis
 Dum canos hædos salientes spectat et agnos:
 Spectanti tacitum pertentant gaudia pectus.
 Jam tumidum mare nauta secet, dum carbasa complent

Innocentæ Zephyrorum animæ; crinesque revincti
 Flore hederæ, læti adsuescunt agitare choreas,
 Evoë vitifero clamantes Evoë Baccho.
 Taurigenis studium est apibus sua cerea miella
 Fingere, multiflorisque eadem densare coacta
 Alveolis: mireris opus, stupeasque laborem.
 Aëra concentu mulcet genus omne volucrum,
 In fluctu halcedo, tectorum ad culmina hirundo.
 Fluminis ad ripas cygnus, lusciniæ luo.
 Cum tellus igitur cumque omnis floreat arbos,
 Cum pastor cantu pecoris demulceat aures,
 Cum mare nauta secet, cum ducas, Bacche, choreas,
 Parturiant et apes, et cantu perstrepat ales;
 Quidni conveniat cantare hoc tempore vatem?
 Quis taceat, dum cuncta vigent, dum cuncta loquuntur?
 Quis non Vere lubens lumen vitale relinquat?
 Et nonne probabile est, ait Lipsius, amœnissimo, et maxime vegetabili tempore, cuncta cœpisse? cum et animantes pleræque fœtificant, et aliæ naturæ partes concipiunt aut parturiunt, εὐλόγως dicamus et ipsam totam peperisse. At sunt tamen qui fortiter abnuant, Hebræorum auctoritate confisi, quibus principium anni in Autumno fuit, ergo et Mundi. Exstat Hadriani Junii V. C. erudita disceptatio cum sacrificio quodam, 'Quo anni tempore conditus sit Mundus,' Animadv. lib. III. cap. 8. *Scrie.*
 3 Vere nubunt alites, Et nemus comam resolvit] Dracontius in Hexaëm. v. 144. 'Pennigerum vernare nemus vapor urget in usus Pignoris.' *Idem.*

6 *Iuplicat casus virentes de flagello myrtle*] Bene sane ita correxere, pro gazas: quas hic etiam præfert meus Codex. 'Myrteas casus' infra nominavit, 'Floreas inter coronas, myrteas inter casus.' Salm.

9 * *Tuno quiuore desuper huc spumeo pont' de glovo*] Clare in meo exemplari, *Tunc cruore de superbo*. Hoc pro *superno*. Nec alia medicina opus. Idem etiam expresse habet, *spuneo pontus globo*, et *Fecit undantem Dionen*. Nec aliud quærendum. 'Spumeus globus' pro spuma in globum conformata, ut sæpe visitur. E spuma et sanguine Cæli nata Venus. *Fecit*, pro creavit. Sic infra de Rosa ex eodem codice, 'Facta de cruore.' Idiotismus illius ævi. Sic apud Scholiast. Juvenal. 'Si tres liberos fecerit,' pro procreaverit. *Idem*.

Ibid.] Cum diserte in Pythæano legatur, *Dione*, videtur fortasse melius, *Tunc cruore de superno spumeum Ponti globum Cæculus inter catærus, inter et bipedes equos, Fecit undantem Dionæ de maritis imbribus*. Si cui displiceat, *Fecit*, legat, me non admoudum reclamante, *Excit*. Seriv.

13 *Ipsa gemmas purpurantem*] Noster Codex, *gemmis*, pro *gemmeis*. Salm.

Ipsa gemmis purpurantem pingit an-num floribus] Et hic poterat scribi, *Ipsa gemmeis*. Et apud Prudent. *Nepl. Sæp.* Hymno 1. 'Scripta sunt celo duorum Martyrum vocabula, Aureis quæ Christus illic adnotavit litteris, Sanguineis notis et idem scripta teris tradidit.' Pro, 'Sanguinis notis.' *Serie*.

14 *Ipsa surgentes papillas de Favonii spiritu. Urget in notos penates*] Ita clare, de plano ut legi possit, Msc. Salm. Corruptissima hæc in exemplari Pythæano. *turgentes papillas* Lips. malit, et, qui Lipsio heic nimum tribuit, Pyth. Frustra. Quamquam non displiceret, *turgentes*, si ita liber vetus haberet: cum habeat *surgentes*, id retineendum esse nemo non

videt. Quod rectum quoque putabat filius Douza. At vero interpretatio, quam eruditissimus adolescens adhibet, trivola: *surgentes papillas* interpretatur tumescentes ac sororiantes, et veluti strophio obnites, atque, voce Catulliana, 'luctantes,' quasque 'horridulas' Plaut. Pseudolo vocat, 'Papillarum horridularum oppressiuncule.' Mihi profecto hæc papillarum oppressiuncule vere horridulæ. Nec vult Auctor surgentes papillas de Favonii spiritu Venerem compressisse et sororiantes coercuisse strophis aut zonis. Longe aliud est, quod hic latet. Melius me divinet, qui se id posse speret. Dicit igitur, Rosas surgentes de Favonii spiritu Venerem ursisse maritis suis imbribus, in hunc aut illum usum. 'Papillæ' sunt rosarum alabastri, et prima germina. De quibus ubertim infra. Nunc ea quæ videntur obscurissima, illustremus si fieri potest. Lipsius ex schedis Pythæanis edidit, *Urget in toros * pentes*. Et truncatam vocem arbitratus rescripsit, *thoros tepentes*. Ipse Pythæus, in editione Mamerti Patissonii, *totos pentes*, et coniecit, *toros stupentes*. Ego aliquando somniabam, *toros parentes*, vel *tepentis*. Quicquid conjecturarum hæcenus adlatum, non convenit. Videamus, an ferri et explicari possit scriptura codicis Salm. *Urget in notos penates*. Amico cuidam meo in mentem veniebat, *Urget in nodos tenaces*. Certe librarius ille *notos* ubique scripsit pro *nodis*. Sic diserte infra, 'Unico marita noto non pudebit solvere.' Id est, 'nodo,' quomodo est in Pythæano. Et, 'Ipsa jussit, mane ut ute;' id est, 'udæ.' Quæ scriptura clamat recte coniecisse Douzam patrem: cum legeretur, 'mane tuæ.' Vide ad vs. 22. *Nodos tenaces* accipiebat idem strophiorum et zonarum: in eodem ut videtur lecto eruditus cum filio Douza, et papillarum horridularum oppressoribus. Nullum mihi dubium,

notos valere nodos. Jam illud *nodos* corruptum puto; et legendum *nudos*. Ut *nudos penates* dicat hiberno tempore destitutos floribus ac coronis; redimendosque vernis et novis. Rosarum usus in cubiculis averruncandæ vertigini. Plin. Nat. Hist. lib. xx. cap. 14. 'Ad recreandos defectos animo dignior e pulegio corona Varro, quam e rosis, cubiculis nostris pronunciata est.' De corona rosacea discumbentium et potentium, pleni poetarum libri, Martial. et veterum Epigr. Anthol. Idem magnus Auctor, Nat. Hist. lib. xxi. cap. 3. postquam meminisset Coronæ rosacæ, subdit, 'Et jam tum coronæ Deorum honores erant, et Larium publicorum privatorumque; ac sepulchrorum et Manium: summaque auctoritas pactili coronæ. Sutiles aliorum sacris invenimus, et solemnes cænis. Transiere deinde ad Rosaria,' &c. Vide eundem capite sequenti, quod est de Rosarum coronis, 'Rosa nascitur et germinat inclusa granoso cortice, quo intumescit et in virides alabastros fastigiato, paulatim rubescens dehiscit ac sese pandit, in calycis medio sui stantes complexa luteos apices. Usus ejus in coronis prope nimius est.' Plin. hos 'alabastros' noster Auctor designat per *surgentes papillas*. Nam *surgentes*, omnimodis retinendum. i. e. nascentes, germinantes, crescentes. Sic 'surgere messes' Maro Georg. i. et optimi quique auctores. i. e. crescere. De 'papillis,' neminem morari debet. B. Hieronymus Epist. xxvi. ad Pammachium, Consolat. super obitu Paulinæ uxoris, 'Quis parturientem rosam, et papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, et tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immature demessum, æquis oculis marcescere videat?' Quem Plin. 'alabastrum,' dicit 'papillatum corymbum' vir sanctus. Etsi corymbus racemi species sit, hederaceo similis:

hic tamen corymbum vocat rosæ nondum apertæ fastigiatum mucronem. Vetus Epigr. haetenus ineditum, quod ex Codice Salm. descripsi:

DE ROSIS.

O quales ego mane Rosas procedere vidi!

Nascebantur adhuc: neque erat par omnibus ætas.

Prima papillatos ducebat . . . corymbos;

Altera puniceos apices umbone levabat;

Tertia non totum calathi patefecerat orbem;

Quarta simul nituit mutato tegmine floris.

Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum,

Huic dum virginis pudor extenuatur amictu.

Ne pereat, lege mane rosam; cito virgo senescit.

Lacuna, quæ versu tertio est, videtur commode suppleri posse, si scribatur 'nata,' aut 'spica.' Versu penultimo τδ 'extenuatur' nonnihil turbat. Lege cum Salmasio, 'exsinnatur,' et vide Eidyllum de Rosis, ubi simile. Versu ultimo adscriptum erat a docto nescio qua manu, 'cito,' quod videbatur desiderari. Ex eodem codice ejusdem fere argumenti Carmen exhibuit olim Salm. ad Hist. Aug. Scriptores. Nempe hoc, et quidem nomine

FLORI.

Venerunt aliquando Rosæ. Proh, Veris amœni

Ingenium! una dies ostendit spicula florum,

Altera pyramidas, nodo majore tumentes;

Tertia jam calathos; totum lux quarta peregit

Floris opus. Pereunt hodie, nisi mane legantur.

Auctores ii cum Hieronymo et Ausonio, Rosam in vasculum explicitam,

'calathum' vocant, a similitudine; quæ mox foliis in ambitum læte lateque expansis, imminere prænuñciat casum suum, ostentans brevis ævi florem. Lusit et hoc argumento Ansonius, (sive quis alius potius Scholasticus poëta: nam Eidyllum hoc, et quædam alia ejusdem sere commatis poëmatis falso diu credita Maronis esse,) in Rosas. Quod Eidyllum totum, quia bellissima occasio est, aliquot locis a me interpolatum, heic adscribam.

ROSÆ. EIDYLLIUM VI.

VER erat: et blando morientia frigora morsu

Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales,

Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam rignis per quadræ compita in hortis,

Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinæ

Pendere, aut olerum stare cacuminibus.

Caulibus et patulis teretes colludere guttas,

Et cælestis aquæ pondere tunc gravidas.

Vidi Pæstano candere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida Lucifero.

Rara pruinosis canebat gemma fructetis,

Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem,

An daret, et flores tingeret orta dies.

Ros unus, color unus, et unum mane duorum:

Sideris et floris nam domina una Venus.

Forsan et unus odor; sed celsior ille per auras

Diffatur: spirat proximus iste magis.

Communis Paphic Dea sideris, et Dea floris,

Præcipit unius muricis esse habitum.

Momentum intererat, quo se nascentia florum

Germina comparibus dividerent spatia.

Hæc vires angusto foliorum tecta galero:

Hanc tenui folio purpura rubra notat.

Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci.

Mucronem absolvens purpurei capitis.

Vertice collectosilla exsinuabat amictus,

Jam meditant foliis se numerare suis.

Nec mora; ridentis calathii patefecit honorem,

Prodens inclusi semina densa croci:
Ac modo quæ toto rutilaverat igne comarum,

Pallida collapsis deseritur foliis.

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam;

Et dum nascuntur, consenuisse rosas.

Ecce et defluxit rutili coma punica floris,

Dum loquor: et tellus tecta rubore micat.

Tot species, tantosque ortus, variosque novatus,

Una dies aperit, conficit una dies.

Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum est:

Ostentata oculis illico dona rapis.

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum;

Quas pubescentes juncta senecta premit.

Quam modo nascentem rutilus conspexit Eoos,

Hanc rediens sero vespere vidit anum.

Sed bene, quod, paucis licet interitura diebus,

Succedens ævum prorogat ipsa snum.

Collige, virgo, rosas, dum flos novus,
et nova pubes;

Et memor esto, ævum sic propere
rare tuum.

Hoc Eidyllum, quod hodie inter Ausonia legitur, numero vi. Marian-gelus Accursius olim, Hieronymo Aleandro auctore et impulsore, Burdigalensi poetæ adseruit, una cum aliis nonnullis opusculis, quum ea reperissent inter Ausonii scripta, cujus videbantur potius, quam Maronis: cum quo omnium primo excusa sunt. Cujus sane non sunt: uti nec fortassis Ausonii. Quod in membranis ipsius operibus reliquis conjungantur, scilicet argumentum est: nec ideo ipsius esse magis probes, quam quæ circumferuntur Disticha Moralia, Dionysio Catoni nunc adscripta. De quibus vide Eliam Vinetum in hoc Eidyllum; et Jos. Scal. Anson. Lect. cap. penult. quo ostendit Catonis Disticha perperam Ausonio adtributa. Nos e diverticulo in viam tandem redeamus. 'Papilla' igitur alabastrus, rosæ calyx nondum dehiscens et patens, convolutis foliorum paniculis connivens. Epigrammata superiora 'nodum' vocant: et Germani hodieque, tam superiores quam inferiores, 'Rosentknopfflin' et 'Rosenknopfen.' Quare hic fascia pectorali aut strophilio non opus ad tumorem papillarum cohibendum. *Idem.*

15 *Urguet*] Propellit, effundit in folia. Hoc Maro 'trudere' dixit Georg. II. 'Sed trudit gemmas et frondes explicat omneis.' De avibus vernantibus Dracontius dixit, 'vapor urget in usus Pignoris.' Vide locum. *Unguet* quorundam, fatuum, insulsum, et ineptum est. Dixi diserte in nsc. haberi, *Urguet in notos penates.* Quomodo edidimus. Vix ausi illud *notos* in *nodos*, aut *nudos*, interpolare: cum non nemini fortasse videbitur retinendum, et aliam interpretationem, quam commenti sumus, comminisci poterit. Hoc agat. Palma in medio posita est. Ni-

hil temere mutavimus. Quod si hæc nota displiceat, deleatur. *Idem.*

15. 16 *Ipsa roris lucidi, Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas*] Ita lege ex meo Codice. Ex eo rore, inquit, quem noctis aura relinquit spargit aquas. Sæpe sane noctis aura omnem humorem roremque exsugit et exsorbet, præcipue si sit vehementior. Ubi minima est aura nocturna, tum solet esse mane maxima roris copia. *Salm.*

Ibid. Ipsa roris lucidi, Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas] Fortassis melius, *Noctis aura quem relinquit*: Virgil. *Æn.* VII. 'Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.' *Serie.*

17 * *Et me canat lacrimæ trementes detadum pondere*] Ita hactenus editum. Diserte vetus Codex, *Et micant*: lego, *Emicant*. In fine versus idem habet disertissime scriptum, *de caduco pondere*. Verissima est lectio, *Emicant lacrimæ trementes de caduco pondere*. Nihil crebrius hac loquutione apud hunc Auctorem. Lacrimæ roris emicant trementes de pondere caduco; pondere ipso, dum cadunt, trementes emicant. Sic 'surgentes papillas de Favoni spiritu' supra dixit. Et infra multis locis præpositionem 'de' sic usurpat. *Salm.*

Lacrimæ micant trementes de caduco pondere] Ita scripsi, ut versui consuleretur: *de caduco pondere* vere et ingeniose conjecerat Lernutius. Sic disertissime in membranis præscriptum inveni. Sed Lernutius ex monstroso illo *detadum*, faciebat unica voce *decaduro*: nondum enim ad eum elegantiae pervenerant quæ auctori nostro familiares, 'de Favoni spiritu'; 'de caduco pondere'; 'de cruore et oculis.' Et sic multis locis Præpositio 'de' occurrit in hoc opusculo. *Scrib.*

19 *In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ*] Idem liber, *pudore*; qui et *prodiderunt* retinet. Fortasse scri-

bendum, *Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.* Purpuræ rosarum ab illis roris guttis perspersa prodiderunt ruborem suum, qui calycis nodo latebat tectus. Eandem sententiam sequenti versu exsequitur. Elegans porro metaphora, *pudorem* pro 'rubore' dicere. Sic veteri Poëtæ 'pudoricolor,' pro 'rubicundo.' *Salm.*

In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ] Suspicaliar, *In pudorem floribus Ennæ prodierunt purpuræ.* Natas vult iubente Venere rosas purpureas et ardentissimi ruboris, Milesias vocant, quæ rosas Ennenses confunderent et colore vincerent. 'Campus Ennensis in floribus semper, et in omni vernus die,' ut ait Solinus. Meminitque Cic. Verr. vi. Et utroque prior Aristot. Propter campum illum est demersum foramen, qua Ditem patrem ad raptus Liberæ seu Proserpinæ exentem fama lucem hausisse, eodem Solino auctore. Claud. de Raptu Proserp. lib. ii. 'Enna parens florum:' et eodem, 'nec mollia desunt Prata tibi; Zephyris illic melioribus halant Purpurei flores, quos nec tua protulit Enna:' lib. iii. 'Non qualem roseis nuper convallibus Ennæ Suspexere Deæ:' ibidem, 'Sic ait, et prima gressus molitur ab Enna, Exitique reos flores, ipsumque rapinæ Detestata locum.' Quibus locis, et præterea aliis, 'Enna' scribendum; non cum vulgo, aut etiam cum Parrhasio, 'Æthna.' Quin etiam apud Oppian. Hal. iii. non dubitem rescribere 'Ενναίοιο pro Αιτναίοιο, hoc loco, 'Αλλοτ' δε κούρην Περσεφόνην ηρπαξεν ἀπ' Αιτναίοιο πάγιοι: *Sed cum virginem Proserpinam rapuit ab Ætnæo monte.* Imo ab 'Ennæo monte.' De quo raptu lege, præter Claudian. Diodori Sicnli narrationem initio lib. v. Ovid. Fast. iv. 'Raptus ut Virginis edam.' Meminit et Cic. Verr. vi. item Liv. lib. xiv. compluresque alii. Arnob. lib. v. 'In nemore Ennensi quondam

flores Proserpina virago lectitabat:' et, 'Cum in Sicilia patulis purpureos legeret nondum mulier flores, sed adhuc virago Proserpina.' Idem alibi. *Scrir.*

21 *Mane virgines papillas*] Imperite interpretantur, nondum compressas et maritas. Nullæ aliæ et hic papillæ, quam quas supra descripsimus; Rosarum, nempe, non 'strophio luctantes' Catullo Carm. lxxiv. Misere hic natant, et in tenebris palpant Interpretæ. *Idem.*

22 *Ipsa jussit mane ut udx virgines nubant rosæ*] Ita recte viri docti. Ita fere noster Codex, *Ipsa jussit manet tute: utæ* pro *udæ*, ut supra vers. 14. idem librarius 'notos' scripserat, qui 'nodi' sunt: et infra 'noto,' pro 'nodo.' *Salm.*

Ipsa jussit, mane ut udx virgines nubant Rosæ] Ex membranis *Salm.* adparet, quam feliciter sic olim de conjectura emendaverit locum alias corruptissimum Douza P. In Msc. exstant vestigia veræ lectionis: *Ipsa jussit manet tute.* Ita librarius; sed auctor voluit, *mane ut udx.* T pro D scribere ipsi per familiare et prope modum sollemne, 'Antipotes,' 'Busiritis,' 'potager,' 'potium,' 'causiticus,' 'fervitus,' 'avitus,' pro 'Antipodes,' 'Busiridis,' 'podager,' 'podium,' 'causidicus,' 'fervidus,' 'avidus,' et sexcenta talia non oscitanti in eo Codice occurrunt. In hoc Carmine vers. 26. scribit, 'Unico marita noto.' Ubi Pith. aliique recte ediderunt, 'nodo.' Et contra, D pro T etiam sæpissime scriptum reliquit, 'Ad,' 'adque,' 'pudres,' 'prodinus,' 'pladanus,' 'medus,' 'vades,' 'musta videa,' pro, 'At,' 'atque,' 'putres,' 'protinus,' 'metus,' 'vates,' 'musta vitea,' et infinita ejusmodi. *Scrir.*

23 *Facta Cypris de cruore, deque Amoris oculis*] Cum in membranis reperissem, *Facta prius de cruore;* non, *Fusta prius,* quomodo Lips. et Pith. prius truncatam vocem, ut mul-

tæ aliæ in illo Codice, scribendumque omnino censui, *Facta Cypris de cruore*. Explosa ea lectione, in qua sibi mire placet vir doctus, *Fusæ aprino de cruore*. Qua quoque damnata, meam protinus arripuit in confabulatione Cl. Salm. tanquam elegantissimam et verissimam. *Facta* docuit ille hic dici pro 'nata' et 'creata.' Sic supra, 'Fecit undantem Dione,' pro 'creavit.' Ad quem locum vide quæ nunc dicat, et olim ad Hist. Aug. observavit.

Facta Cypris, &c.] Loquitur Auctor de Rosa: *Cypris* est genitivus. Inflexio Latina, 'Hæc *Cypris*, hujus *Cypris*.' Non vult hoc loco *Cyprin* aut *Venerem* factam creatamve ex sanguine; sed Rosam, ex *Veneris* cruore ortam, aut purpuratam. Sed dices, id ipsum signanter correctione Lipsiana exprimi, *Fusa aprino de cruore*. Quæ lectio ab Historia, vel a Fabula. Nam Rosas a sanguine Adonis, quem aper occiderat, traxisse ruborem vulgo volunt Bion, Ovid. et alii. 'Aprinus' adjectivum ab 'aper' secundum analogiam quidem dici oportet, ut a 'caper' vel 'capra' dicitur 'caprinus': 'Aprugnum' tamen video ab antiquis usurpari, conspirantibus Mss. vetustissimis. Plant. Persa, et Pœnulo habet, 'aprugnum callum.' Plin. lib. viii. cap. 51. 'Jam Catonis Censoris orationes aprugnum exprobrant callum: in tres tamen partes diviso, media ponebatur, lumbus aprugnis adpellata.' Æl. Lampridius in Heliogabalo, 'sumina aprugna: quoniam, quid dissimulem? Salm. ad Hist. Aug. Scriptores, observat in Spartiani Vero, et in vita Getæ, 'aprunam' frequentius scriptum in libris Mss. quam vulgg. 'aprugnam.' Demus itaque dici 'aprinum': male nihilominus inepteque, καὶ ἀκυρολόγως dicitur 'aprinus cruor,' Adonis quem aper occiderat cruor. Imo hic cruor potius dicendus erat Adonens; si locus esset Fabulæ, qua Rosas a

sanguine Adonis colorem traxisse putant. Bion Epitaph. Adonis, Ovid. Met. x. alii. De Rosa Luxurius, sive quis alius illorum temporum Poëta, in Col. Salm. 'Aut hoc risit Amor, aut hoc de pectine traxit Purpureis Aurora comis; aut sentibus hæsit *Cypris*, et hic spinis insedit sanguis acutis.' Ejusdem auctoris esse Epigraphie ostendit, cujus superior illud Carmen, quod incipit, 'O quales ego mane rosas?' Eidem quoque sequens adtribuitur,

DE ROSIS.

'Hortus erat *Veneris* roseis circumdatus herbis,
Gratus ager dominæ: quem, qui vidisset, amaret.
Dum Puer hic passim properat decerpere flores,
Et velare comas, spina libavit aenta
Marmorcos digitos: mox ut dolor adtigisset artus,
Sanguineamque manum, tinxit sua lumina gutta,
Prorruit ad Matrem frendens, defertque querellas:
Unde Rosæ, Mater, cœperunt esse nocentes?
Unde tui flores pungunt latitantibus armis?
Bella gerunt mecum Floris color et cruor unum.'
Quomodo Rosa alba, purpurea et rubra facta sit, discite ex Aphthonii Progyrnasmatis, cap. 4. et Constantino Cæsare de R. R. lib. xi. cap. 18. 'Adonide occiso,' aiunt, 'Venerem nudis pedibus ingressam esse silvam, ibique spinis compunctam emisisse cruorem. Inde Rosam, quæ prius esset alba, aspergine contactam cœpisse rubere.' Ex *Veneris* vulnere itaque hunc ruborem contraxere. Vide Miscell. Politiani cap. 11. Brodæi lib. vii. cap. 7. et 10. Alii aliter originem Rosæ narrant. Anson. Cupidine Cruci-adfixo, 'Quædam, ignoscentum specie, ludibria tantum Sola volunt: stylus ut tenuis sub acumine pucti Eliciat

tenerum, de quo Rosa nata, cruorem.' Et paulo infra, 'Roseo Venus aurea serpto Mærentem pulsat Puerum, et graviora ventem. Olli purpureum multato corpore rorem Sutilis expressit crebro Rosa verberare; quæ jam Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.' Ex Rosa Alabandica Pliniana, albicantibus foliis, quæ vulgo Provincialis, factam vult Milesiam; ejus purpura saturâ, et ardentissimi coloris. De qua Plinius. Nostri vernacula lingua hanc **brunne roode rooſe**, alteram illam **Provensche rooſe** adpellamus. *Idem.*

Ibid. Deque Amoris osculis] Video V. Cl. Joh. Meursio, amico quondam meo conjunctissimo, nunc Minervæ Danicæ Adessori, placuisse, deque Adonis osculis. Quam lectionem adnotarat ad oram libri sui, qui nunc penes Henricum Delmenhorstium, Medicinæ et antiicitia nostræ veterem, nec humillimi spiritus possitam. *Idem.*

25. 26 *Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea, Unico marito nodo non pudebit solvere*] Dicit: Rosa Veneris, seu Rosæ potius globus nondum explicitus, perfusus nocturno rore et maritis imbribus, solvet mane unum nodum, dehiscente calyce. Folia rosarum adhuc inter se connexa, necdum tota patentia, 'nodos' vocat. Vidimus supra in Epig. recens erutis, 'Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum:' item, 'Altera pyramidas nodo majore tumentes.' Adludit autem ad ritum Nuptialem. De quo Festus, 'Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis: ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hoc Herculei nodi vinculum vir solvit omnis gratia: ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit:' et 'Cinxæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat

cincta.' Apud Non. Marcell. Varro *Γερωντιδιδασκαλω*, 'Novus maritus tacitus taxim uxoris solvebat cingulum.' Ex eodem Varr. B. August. de Civ. Dei, lib. iv. cap. 11. adstruit 'Virginensem Deam fuisse, cui Virgines solvebant zonam.' Hinc Catull. Carm. ii. de Passere, 'Tam gratum est mihi, quam ferunt puellæ Pernici aureolum fuisse malum, Quod zonam soluit diu ligatam:' item Epithal. Manlii et Juliæ, 'Tibi virgines Zonula solvunt sinus:' et in Dialogo cum Janua, 'Ne quærendum unde unde foret nervosius illud Quod posset zonam solvere virgineam.' Docuit vero Scal. 'zonam solvere' aliter Romanis, aliter Græcis accipi. Nam Latinis zonam solvere dicitur, quæ traditur viro: Græcis autem, quæ primum parit. Vide ad Passerem Catulli, Achill. Stat. et quem dixi Scal. *Idem.*

26 *Unico marito nodo*] Legitur in veteri exemplari meo, *Unico marito nodo*. Nec multum aliter in Pithæi. Sine dubio scribendum, *Cras ruborem qui latebat veste tectus ignea Unico, marito, nodo non pudebit solvere*. De Rosis quæ præcesserunt omnia sunt intelligenda, quas Venus et virginibus maritas fieri voluisse dicit. Hoc est, ex clausis ac tectis, ut erant in calycibus suis, aperiri et expandi. Hic Rosam ipsam adloquitur: *Cras*, inquit, o marito, quæ antea virgo fueras, non pudebit te ruborem, qui veste ignea calycis tectus latebat, unico nodo solvere, et in apertum prodere. Quod et supra dixit, 'Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.'

30 *Esse Amorem feriatum, si sagittas raxerit*] Ita Editiones. Nec aliter vetustiss. Cod. Nec mutandum. Idiotismus illius ævi quo vixit Auctor Pervigilii. 'Vehere,' pro 'ferre' et 'gestare.' Qui manu aliquid gestabat, etiam illud vehere tum dicebatur. Exempla hujus loquutionis apud Ammian. Marcell. crebra. Nunc unum, atque alterum, succurrit. lib. xvi. 'Anteriorem chilamydis partem ntra-

que manu vehens, intrinsecus structuram omnem ut amictus adornaverat principalis: lib. XVIII. 'Quinquagenarias longioresque materias vexere cervicibus ingravate.' *Salm.*

Esse Amorem feriatum, si sagittas texerit] Sic ex suo exempl. Pith. neque aliter *Salm.* Quare retinendum. Meursius in orâ libri, *texerit*: male. Meliores codd. Prudentii, contra *Symm.* lib. II. v. 535. 'Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva. Vexere auxilium.' Alias, 'Venere auxilio.' *Scrie.*

32 *Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est*] Non dubium, quin hæc sit vera lectio. Sic enim noster *Cod.* plane habet, nisi quod *nudos* legit. *Salm.*

31 *Sed tamen, Nymphæ cavete, quod Cupido pulcher est*] Sic etiam idem liber. Nec mutandum. *Jussus est* Amor ire nudus et inermis; nolite tamen, inquit, *Nymphæ*, fidere, quod Cupido cum nudus sit, etiam pulcher vobis videatur; totus est etiam armatus, cum est nudus. Immo pulchritudo ipsius nudi, pro armis illi potest esse. Et hic est sensus: Cavete, *Nymphæ*, vobis ab inermi et nudo *Cupidine*. Quod enim pulcher est, totus est in armis idem etiam nudus est, quia pulchritudinem habet pro telo. Sic igitur distinguendum: *Sed tamen cavete, Nymphæ; quod Cupido pulcher est, Totus est in armis idem, quando nudus est Amor.* Quod Amor pulcher est, etiam totus est armatus cum armis exutus est. Nam pulchritudo illi satis valida armatura. *Idem.*

33 *Totus est in armis, quando nudus est Amor*] Hominem 'in armis,' 'sub armis,' armatum vocabant. *Ennius*, 'Ter me sub armis malim vitam cernere:' id est, 'malim armatam me vitam cernere.' *Virg.* 'sedes circum castella sub armis:' pro, 'armatus circumsidet castella.' *Idem*, 'ludunt belli simulacra sub armis;' pro, 'armati ludunt.' Sic 'in armis' etiam

pro eodem. Sic *Manilio Centaurus* 'sub arcu,' et *Centaurus* 'in arcu,' qui arcum gestat, arcu armatus. Sic 'in hastis,' pro 'hastati.' *Ennius*, 'levesque sequuntur in hastis,' &c. *Idem.*

Totus est inermis idem, quando nudus est Amor] Ita disertissime in membranâ perscriptum. Ut sententiæ consuleretur, correxere viri docti, *Totus est in armis idem.* Quod metrum vix concedat, nisi licentiam poëticam sæculi barbari excusemus. Potuisset scribere, *Totus est armatus idem*; aut, *Neutiquam est inermis idem.* Simile quid debuisset. Aut trajectione constituendus locus, *Est in armis totus idem.* Sic laboranti versui ac sensui medebitur. Quod non displicet *Salmasio*, qui optime hunc locum interpretatus est. *Scrie.*

41 *Ipsa vellet ut venires, si diceret virginem*] Ante hunc versum legitur alius in nostro exemplari, hoc modo, *Ipsa vellet erogare si pudicam flecteret: scribendam, Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret; Ipsa vellet ut venires, si diceret virginem.* *Salm.*

42 *Jam tribus chorus* (leg. *choros*) *videres feriatas noctibus*] Hæc vetustiss. *Cod.* scriptura, et editionis *Pattisoniana*. *Lips.* edidit, *feriatos*: et melius, *judicio Pithæi*. Atqui non rogatur *Diana*, aut invitatur, trinoctio et pervigilio tridnano jam finito. Reliquit auctor, *feriantes*. *Librarius* scripsit, *feriantis*, id est, *feriantes*. Sic non longe ab initio scriptum, *Implicat gazas virentis*. Et in *Pithæana* editione, *Ipsa surgentis papillas*; id est, 'virentes,' et 'surgentes.' *Scrie.*

46 *De tenente, &c.*] Non video, cur vera non possit videri tam expressa vetustiss. *Cod.* scriptura, *De tenente tota nox est pervigilanda canticis: pervigilanda quidem ille habet.* Quod quis non sentit esse scriptum pro *pervigilanda*? Cum *βίγλας* et *βιγλάτωρας* dixit recens *Græcia*, palam est eam e Latino vocabula mutuatum, quæ

‘vigilare’ tum dixit, et ‘viglas,’ pro ‘vigiliis,’ et ‘viglatores’ pro ‘vigilibus.’ Inde ergo et ‘pervigilare’ pro ‘pervigilare.’ Idem liber scriptum habet, *De tinente*: ex quo fecimus, *De tenente*; id est, uno tenore. Quod etiam in Idiotismo nostro usurpamus, *d’un tenant*, de uno tenente. Apud Melam ‘terra continens’ dicitur quæ continenter juncta est; quam et absolute ‘continentem’ dixere. Sic ‘continenter sedere,’ conjunctim et uno tenore. Catull. Carm. xxxvii. ‘An, continenter quod sedetis insulsi Centum, aut ducenti, non putatis ausurum.’ Et ‘in continenti aliquid facere,’ statim et nulla interposita mora. Hinc dicimus ‘in continenti,’ pro statim. *Idem.*

De tinente tota nox est, &c.] Ita vet. Cod. Si cum Salm. idiotismum illius avi phrasinque Gallicam non admiseris, dic aliquem, die, Quintiliane, colorem. Non variat exemplar Pithæi; nisi quod in *eo t* litera superflua sit, *Detinent tota*. Plurimas in animo meo concenturio conjecturas; sed omnes vanas. Salmasio melius divinent, qui se id posse sperent. *Scrie.*

50 *Præses ipsa jura dicit, adsidebunt Gratia]* Ita de consilio nobilissimi Donæ scripsi; et exigente Carminis lege. Nam quod in Pith. et Salm. codd. est, *adsederunt Gratia*, perquam insolens: nec locus iste Spondæum admittit. Nisi et hic ad licentiam poëticam barbari sæculi provocemus. *Idem.*

51. 52 *Hibla totus fundet quicquid annus adtulit Hibla florum superestem quantus Etnæ campus est]* Locus prorsus depositus; nec quicquam auxilii video. Ita enim membranæ quibus utimur. Nec integriores schedæ Pithæi; nisi quod priore versu scribant, *Hibla totos funde flores quicquid*. Posteriore, *Hibla florum rumperest equant*. Ubi τὸ ρον manifesto repetitum ex fine *florum*. Cetera divinet Phæbus: ego non possum; nisi novus

Alexander ad Gordium nodum accessero, trajectis hemistichiis, *Hybla totos funde flores quantus Ennæ campus est, Hibla florum subde messem quotquot annus adtulit*: aut, *funde messem*. Sed quid nugamur? *Idem.*

52 *Hybla florum rumperest equant’ ethne campus est]* Vet. Cod. *Hybla florum superestem*. Non displicet correctio doctorum, *rumpe vestem*. Fortasse etiam legi posset, et æque bene, *Hybla florum sparge vestem quantus Ennæ campus est*. Quantum patet Ennæ campus, hunc sparge florum veste, ut totus, nempe, floribus sit vestitus. Nihil certius. *Salm.*

54 *Quæque silvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt]* Ita correxi de conjectura. Scripti atque editi omnes, *quæque montes*. Atqui ‘puellas montium’ adfuturas, jam dixerat præcedente versu. *Scrie.*

55 *Pueri Mater alitis]* Ita liber noster. Quod rectum est. *Salm.*

58 *Ex recentibus virentes ducat umbras floribus]* Codex habet, *Et rigentibus ducat umbras floribus*. Non puto aliud elici posse, quam *E recentibus virentes*. Mox lego ex eodem nostro Cod. *Cras erit quo primus Æther copularit nuptias. Ut pater totum creavit ternis annum nubibus, In sinum maritus inber fluxit atmæ conjugis*: *Cras*, iuquit, erit dies quo primus Æther copulavit nuptias, et ut pater totum annum creavit, id est, totius anni fecunditatem, per vernas nubes auspiciatus est. Ex Virgil. Georg. ii. 324. habet, ‘Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt. Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther Conjugis in gremium lætæ descendit.’ Sic ‘patrem Ætherem’ dixit, ut Virgilius. Nec hic aliud suspicandum est. ‘Annum’ pro anni fecunditate dixit; ut Græci ἔτος, dum aiunt ἔτος plus facere quam ἄρουραν. Ἔτος ποτεῖ, οὐχὶ ἄρουρα. *Idem.*

Ex recentibus virentes ducat umbras floribus] Locum integrum, nec multi-

lum esse non ausim adfirmare. Inconcinna mihi hæc et frigida admodum cum præcedentibus et sequentibus connexio, valdeque a lepore hujus Poëtæ aliena videtur. *Scrive.*

59, 60 *Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias, Ut pater totis crearet vernus annum nubibus]* Ex Pithæi schedis editum, *crearet.* Membranzæ nostræ, *creavit.* Ita ut legendum videatur, *copulavit nuptias, Et pater totis creavit vernus annum nubibus.* Initio hujus Poëmatii, ‘Ver renatus Annus est;’ vel, ‘Vere natus est.’ Arrisit mihi imprimis doctissimi Pithæi *vernus pater.* De quo vide ejus *Notas. Idem.*

62 *Unde fetus, &c.]* Vitium prodit vel versus male ambulaus. Vetus sic habet, *Unde fetus mixtus omnis aleret magno corpore:* inde nullo negotio vera lectio elicitur, *Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.* Virgilianum est, ‘Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit magno commixtus corpore fetus.’ *Salm.*

63 *Ipsa venas atque mentem permeante spiritu Intus occultis gubernat procreatrix viribus]* Corruptissima hæc sunt. Ex vestigiis scripturæ Cod. nostræ sic ea emendo, *Ipsa venas atque mentem permeantis spiritus Intus occultis gubernat procreatu viribus:* id est, *Ipsa intus procreata gubernat occultis viribus spiritus permeantis venas atque mentem.* Nihil verius. *Idem.*

Ibid.] Secuti sumus membranas. Ex quarum vestigiis emendabat *Salm.* *Ipsa venus atque mentem permeantis spiritus Intus occultis gubernat procreatu viribus.* Alio nos ducit Pith. apud quem, *procreatrix viribus.* Diserte vet. Cod. *procreatis:* et versus antecedente, *permeanti;* i. e. *permeante.* Mihi divinatio sub manu nata, *Ipsa venus æque amantum permeante spiritu Intus occultis gubernat procreatrix viribus:* *Ipsa Venus, inquit, creatrix, ut creator Æther, &c. Scrive.*

66 *Pervium sui tenorem seminali*

Delph. et Var. Clas.

tramite Imbuit] Lego et distingo, *perque pontum subditum Pervia, in sui tenorem, seminali tramite Imbuit, jussitque mundam nosse nascendi vias.* Vix puto aliud commodius adferri posse. *Idem.*

71 *Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem, Romulumque: cum Sabinis ipsa fecit nuptias]* Exigente omnino sententia ita hunc locum constitui. Memum immane, (vereor, ne immune,) facinus est: cum legatur in omnibus, etiam nostro *Msc. Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias.* Quod quidem non prorsus damnarim; sed concinnior et potior mihi visa est hæc lectio, si non vera, saltem verosimilis. *Idem.*

73 *Unde Ramnes, et Quirites]* Cum in manuscripto exemplari exstet, *Unde samnes et quirites;* nullo negotio feceris, *Unde sanguis, et Quirites: sanguis,* pro genere et stirpe. *Maro Æn. 1. ‘An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?’* et initio II. ‘quo sanguine cretus.’ *Ubi Servius, ‘Quibus sit parentibus natus.’* Denique VII. ‘tu sanguinis ultimus auctor.’ *Idem.*

Quirites] Cives. In fuffuris indictivi formula, ‘Ollus Quiris leto datus.’ Quod singulare nomen etiam usurpant alii auctores non iucelebres. *Idem.*

Ibid. Proque prole posterum Romuli matrem crearet et nepotem Cæsarem] In hac lectione consentiunt Pith. et *Salm.* exemplaria. Quam tamen falsam pronunciat Lips. et corrigit, *Romuli patrem crearet et nepotem Cæsarem.* Ut hæc blanditiæ in gratiam Augusti sint quæsita; scriptumque Carmen in ejusdem imperio: ‘Pater Cæsar’ ipsi Divus Julius est, et ‘nepos Cæsar,’ Augustus. Quam sententiam sequitur Pith. ut vara vibiam. Alio nos rapit consensus duum librorum, qui *matrem* retinent. Scribo, *perque prolem posteram Romuli, Mater creavit et nepotem Cæsarem. mater* est ipsa *Venus.* Pluribus alias. *Idem.*

Catul.

3 C

76 *Itura Venerem sentiunt*] *Venerem rura sentiunt*. Idem.

81 *Ecce jam super genestas explicant agni latus*] Neque agnos neque hædos hic recipio. Verbum *explicant* non convenire videtur cum minutis animalibus. Quomodo enim hæc explicare latus dicantur super genistas? Vetus scriptura habet TAONII, pro TAURI. Nam scriptum erat, *taori*. N et R etiam sæpe permutantur. Genista frutex est, quem incubitu suo premere agnus et hædus haud in proclivi possit. Legendum igitur, *Ecce jam super genistas explicant tauri latus*. Vetus Cod. sequenti versu scribit, *Quisque tutus, quo tenetur, conjugali fœdere*. Quod retinendum est. Salm.

Ecce, jam super genistas explicataonii latus*] Monstruosam scripturam exhibere, quam conjecturas, hoc loco satius duxi; conspirantibus Salm. et Pith. codd. Pithæus legebat, *explicant tauri latus*. Placetque impense hæc lectio amico meo, in suis ad me literis. Alioquin ego adnotaram in Adversariis, *explicant vacca latus*. Cum Calpurn. idem dicat, Ecl. 1. 'Cernis

nt, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vacca Molle sub hirsuta latus explicuere genesta!' Vide eadem prorsus verba de vacca. Serie.

82 *Quisque tutus quo tenetur conjugali fœdere*] Supra fuse indicavi, librarium antiquum T pro D frequenter exarare, et contra. Ostensumque est UTE pro UDE scriptum. Nunc mihi in mentem venit, an non hoc loco eadem scribendi ratione usus librariorum, *Quisque E Tutus*, nobis obtrudat pro *Quisque et ulus*. Quod explicare non permittit pudor: pigetque ineptiarum. Idem.

86 *Adsonant Terei puellæ*] Vet. Cod. *Adsonat Terci puella*. Salm.

Adsonant Terei puellæ] Ex codicis sui scriptura ita belle Pith. Sed lectionem Salm. exempl. omnino recipiendam esse, *Adsonat Terci puella*, docent sequentia. Ita igitur reponere. Serie.

90 *Quando faciam ut chelidon*] Idem Cod. *Quando fiam ut celidon*. Ut consulatur versui, scribendum, *Quando ego fiam ut chelidon*. Salm.

AND. RIVINI NOTÆ

AD

ANONYMI, SED ANTIQUI TAMEN POETÆ,

ELEGANS ET FLORIDUM CARMEN DE VERE,

COMMUNITER

PERVIGILIUM VENERIS

INSCRIPTUM.

Anonymi, sed antiqui tamen Poëtæ] Auctor hujus Carminis neuter Catullus est, (Lipsio iudice, Elcet. lib. 1.

cap. 5. ubi tam mendosum istud legitur,) neque Veronensis ille, nec etiam Urbicarius: illius enim aetate reliu-

quitur, hunc vero minutum anteit. Quanquam enim præter Ald. Manutium, (a quo et magnus Roterodamus se vidisse, et Lil. Greg. Gyrald. se audivisse, Catulli hoc Poëmatum, quod VER inscribatur, haberi meminerant,) ipse quoque Phæbi ocellus Jos. Scal. Castigationibus in Catull. alterum huic cognominem, Urbicarium et Mimographum, nominatum Juvenali, auctorem fortasse fuisse censuerit illius carminis DE VERE, ex quo hoc citarit Erasmus in Adagiis, 'Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium.' Attamen et Claud. Salmas. ad Solin. pag. 277. et pag. 1131. voluit, nullo plane, vel saltem minus recto judicio tribui Catullo hoc Carmen ab eruditis, quum Auctor ille sit mediæ ætatis, et Solino supparis, vel qui non longe ab eo vixerit. Contra idem Lips. iterum elegantia Carminis abductos fuisse ait eos, qui Catullum ejus scriptorem esse censuissent, quum in imperio Augusti natum e versu ejusdem Troch. 73. compertum sit. Cui sententiæ quoque subscripsit Taubmannus ad Culic. Quin et P. Pith. J. C. scribit, bonos illos viros fecellisse exemplar, quandoquidem in illo sane vetustissimo, et fidei multæ, ex quo hæc primum edita sint, Ms. non longo intervallo præcessisset Epithalamium Q. V. Catulli: cujus esse vix agnoscas, quod Pervigilii hujus Auctor in Cæsarem gratiam cecinerit. Et illa tamen ætatem arguere (addidit quoque Pith.) majorem omnino, quam quod ex hoc ipso Poëmate versus quosdam sacrificiali suo Carmini παραθήσας quasi inseruerit Fulgentius Afer Mytholog. lib. 1. Petrus etiam Scriv. ad hoc Pervigilium animadvertit, si Catulli esse hoc Carmen, vel Senecæ denique, (quod V. N. Casp. Barthio Advers. lib. xvi. cap. 6. unde et Weitzins citavit, aut cuipiam librario in mentem venisset,) existimaturus esset, tum ipsum de se vere statuere

debuisset, Πρωχὸς μὲν φρένας ἐμυλ, νόου δέ μοι οὐκ ἐστὶ κέκκος. Præsertim eum idem C. Barth. altero loco lib. XLIV. cap. 7. de eodem Poëmatio hæsitantior loquatur, 'Auctor Pervigilii Veneris,' inquit, 'nec Catullus, nec Urbicarius, forte Seneca.' Ambigō tamen et ego profecto, annon ipse Scriv. magis ridicule ineptiat, qui nescio quem Luxurium auctorem hujus Pervigilii duxerit, et dixerit, quod ejus aliquot Epigrammata Poëmaticaque in eo ipso Ms. (quem a Cl. Salm. commodatum accepisset, ubi et hoc carmen adscriptum) comparuissent. Sed eandem plane causam erroremque fovet cum iis, qui ob similem rationem Catulli esse putaverant. Minusque probat istud adhuc, quod exinde constitisse tradidit, eundem Luxurium Carthagine scripsisse, floruisseque sub Trasimundo Vandolorum Rege: sub quo certe Cæsarem, Cæsariumque Romanorum prosapiam nemo laudasset impune, uti quidem fecit Auctor Pervigilii. Quam sane ob rem tolerabilis ille credi potuisset cum Salmasio fuisse Florus, qui sub imperio Hadriani vixit, cujusque meminit Spartianus, et cujus elegantissimum Hist. Rom. Breviarium habemus. Tametsi et hunc Epigraphæ Trochaicarum Eclogarum (quas ab eodem Pervigilii Auctore profectas Lips. Barth. Pith. et alii sunt arbitrati) videatur seduxisse. Non tam Flori enim insigniebantur titulo, quam Floridorum, quæ, uti Apulcii et aliorum Florilegorum excerpta, ita nuncupabantur, prout et Lucret. de se, 'Floriferis ut apes in saltibus omnia libant: Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.' Inter tot ergo summos, inque re literaria facile principes viros styulum interponere decretorium, periculosæ plenum opus alex, cum Weitzio pronunciamus, 'Non nostrum inter nos tantas componere lites.' Maneat ergo Antiquum sane, sed ἀθλον.

Carmen de Vere, communiter Pervigilium Veneris dictum] Titulum Pœmatis hujus quod spectat, iidem jam laudati Viri, Aldus Romanus, et Lil. Gyrald. Itali, Erasmus Belga, et Jos. Scal. Celta, DE VERE inscriptum ostendere. Quem (ut vocat) errorem inde natum Scriv. antumat, quod versus intercalaris principio statim non lectitatus esset, sed initium pœmatis prius tale fuisset, *VER novum, VER jam canorum, VER, &c.* Nam si ita ponatur, et supernumerarius iste unicus omittatur, tum Carmen hoc recte ait constare XCII. versibus, nti quidem in Cod. Salm. scribi oportuisset, non vero XXII. cuj librarius depravasset. Verum enimvero P. Pith. et J. Lips. Viri incomparabiles, ex subscriptione, **EXPLICIT PERVIGILIUM VENERIS**, rectius, illud non tam **VERI**, quam **VENERI** fuisse dictum, collegerunt. Sed quum tanta Veris atque Veneris reapse sit necessitudo, quanta vocum quoque est adfinitas, ut illius prioris nomen e posteriori contractum suspicari quis possit; nemo sane, mea sententia, a vero scopoque auctoris aberraturus esset, qui **VENERIS** quidem **PERVIGILIUM** et festam celebrationem, **VERIS** tamen **Venereo** plane tempore, Aprilis puta, institutam dixerit, atque sic junctum utriusque consecratum præconium duxerit. Antiqua namque regundi illius mensis controversia Veri Venerique fuit, quam Venerus iste Vates Fast. IV. tetigit, e quo unum et alterum versus, quod præclare Carmen præsens et ejus quasi summam metaphrasticè nobis explanent, excerpere non pigebit. 'Quo non Livor abit? Sunt qui tibi mensis honorem Eripuisse velint, invidiantque, Venus. Nam quia Ver aperit tunc omnia: densaque cedit Frigoris asperitas foetaque terra parit: Aprilem memorant ab aperto tempore dictum: Quem Venus injecta vindicat alma manū. Illa quidem totum dignissima temperat annum:

Illam tenet nullo regna minora Deo. Juraque dat cælo, terræ et natalibus undis, Perque suos initus continet omne genus. Illa Deos omnes (longum est numerare) creavit: Illa satis causas arboribusque dedit. Illa rudes animos hominum contraxit in unum: Et docuit jungi cum pare quemque sua. Quid genus omne creat volucrum, nisi blanda voluptas? Nec coëant pecudes, si levis absit Amor. Vis eadem, lato quodcumque sub æquore vivit, Servat: et innumeris piscibus implet aquas.' Sed et idem ibid. Ovid. nobiscum ita illam Veneris Verisque litem tandem decedit, 'Nec Veneri tempus, quam Ver, erat aptius ullum: Vere nitent terræ, Vere remissus ager. Et formosa Venus formoso tempore digna est.' Quid? quod ipsum animorum motum, qui fit a natura per aëris temperiem, dixerint Venerem, quod non modo ipsa exinde gignatur Venus, sed et omnia animalia ad procreandum impellat, inde rerum omnium procreatricem vocarunt antiqui: cum illa sit præcipue Verni temporis benignitas. Quemadmodum Nat. Comes, Mythol. lib. v. c. 13. ex initio Lucr. et Virgil. Georg. II. quæ loca alibi adducemus, confirmavit. Atque ab hac mente nec abluisse video Lipsium, quum ita scriberet, 'Ex titulo non ignotum argumentum. Laudatio enim Veneris fuit, composita quasi per occasionem Pervigilii' (Verni, scilicet) 'quod tres ipsas noctes in honorem Dæ agebant.' Facit illuc versus in hoc Carmine 42. 'Jam tribus choros videres feriatos noctibus:' et illa Plauti Cercul. Act. I. sc. 3. vs. 25. 'Quid tu Veneri pervigilare te vovisti Phædrome? Nam hoc quidem haud multo post luce lucebit.' Et licet pervigilandi honos vulgatus quoque in cæteros Deos, ut anniversarius ille Fortunæ apud Sueton. Galba cap. 4. Cereris apud Tacit. Priapi apud Arbitrum,

cujus magna pars desideratur: attamen Veneris cumprimis nobile et quasi proprium fuit pervigilium, exquisitissime ita nuncupatum, quod sacris nocturnis pudoreque vacantibus præcipue gauderet hæc Diva: illa proinde 'Noctis vigila' Plauto l. cit. valde appositè invocatur epitheto, quæ 'Noctiluca' Lævio antiquissimo Poëtæ; φιλοπάννουχος, Pervigilium cupiens, Orpheo; cujus palæstram Casinæ Plantinæ Prologographus vocavit 'excubias.' Amat enim hoc numen, si quod aliud otiosos dies, operosas et pervigiles (ut cum Apul. lib. x. loquar) noctes. Græcis itaque in Vet. Glossario πάννουχισ, πάννουχισμὸς καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία, pervigilium redditur. Quale Veneri triduanum, vel verius trinox, si ita loqui liceret, aut sane per totidem excubias pernox debebatur, varia Divæ illius elogia concelebrans. Quæ cum initio ab uno saltem et altero amantum decantata essent, veluti Naso, Fast. iv. subindicavit, 'Primus amans carmen, vigilatum nocte negata, Dicitur ad clausas concinuisse fores.' Postea a quamplurimis pervigilia hujusmodi junctim convivio, cantu et tripudio ad furorem usque celebrata. Ut non abs re Auctor Libri Sapientiæ cap. xiv. vs. 23. talia in Deorum gentilium honorem peregrino ritu instituta pervigilia 'insaniæ plenas vigilias' vocaverit, cum insaniam sequi et antecedere insomnia solet. Quas etiam Hispanus Interpres Cassiodorus Reinus reddidit 'Vigilias de otros ritos llenas de locura.' Sebast. vero Castalio, 'Insanas ex aliis ritibus bacchationes agitare' cum dixisset, rem ipsam detegere visus est. Nihil enim aliud istiusmodi pervigilia, quam 'luxuriosorum et ebriosorum litanæ' (ut Rabelæsi Interpres jocatur) fure, quæ fere a vino incalescerent. Veneris ergo ut nocte pervigili et oleo lucerna et vino calix abundet ipsus Apul. lib. ii. Mil. requirit. Ceu

Bacchus juxta eundem est Veneris armiger, si sit moderatus: alioquin largius merum somnum profundum conciliat, et Amores averruncat, juxta Anthol. lib. ii. (Βάκχος) Κιρνάμενος θαλάμοις ἐστὶν ἐτοιμώτατος· Εἰ δὲ πολλὰς πνεύσειεν, ἀπέστραπται μὲν ἔρωτας, βαπτίσεται δ' ὕπνω γέλοιο τοῦ θανάτου. Hinc jam et C. Plinii Epigr. dies oritur: 'Huc mihi vos largo spumantia pocula vino! Ut calefactus Amor pervigilare velit. Ardenti Baccho succenditur ignis Amoris: Nam sunt unanimi Bacchus Amorque Dii!' et sic Noster infra vs. 45. 'Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus: Decinunt, et tota nox est pervigilata cantibus.'

Elegans et floridum] Carmen ipsum quod jam concernit, videri et illud alicui incondita Bacchantium et ad rythmum qualemcunque saltantium cantilena: verum usque adeo se præclaris Viris adprobavit hoc Pervigilium, ut doctissimis lucubrationibus nocturnum istud sacrum illustrare non fuerint dedignati. Vernans quippe et 'floridum' utique illud est, et haud invita natum Veneri, nec eadem aut Veris temperie indignum, vereque Ἔρωτος πνέει, Ἀφροδίτην προξενεῖ, ut est apud Achill. Tat. in divino Rosæ Encomio, atque adeo 'Tam liquidum, tam dulce sonat, ut non ego malim, Quod Peligna legunt examina, lambere nectar.' Jano Weitzio ita contestante, et ante ipsum Justo quoque Lipsio juste venustatem Venerii hujus Pervigilii colaudante, 'Elegans mehercle,' inquit, 'et quantivis pretii carmen, molle, tenerum, sed Romanis, ut sic dicam, non Alexandrinis deliciis.' Qui Vir si prudentissimus et sagacissimus est, vel ipsius Scriv. Aristarchi severi calculo, cur ergo tantopere hoc illius judicium reprehendere ausus est? Nimirum ut Luxurium suum Carthaginiensem opusculo huic adsereret Auctorem, stylum ejus inæqualem,

qualis esset Alus, et quales Cie. Cor-
dubenses Poetas dixisset, pingue quid-
dam sonantes, ac peregrinum, accensa-
vit. Nec dubitavit, ad vët. cod. Pith.
suffragium provocare, et qui fragmen-
ta hæc sane antiqua, sive Catulli, sive
alterius sint, Medicorum pueris com-
mendasset. Quasi scilicet desperatum
hoc Carmen puerile credidisset: cum
παῖδες ἡγρᾶν, et pueri, seu filii medi-
corum, pro summis atque experien-
tissimis medicis laud raro accipian-
tur. Audiamus potius ipsam Pith.
ut exinde incorruptam de ejus animo
sententiam proferre valeamus. Ita
vero in Lutetiana Petronii edit. apud
Manert. Patisson. Typogr. Reg. ubi
sub finem adjecta sunt veterum quo-
rumdam Poëtarum Carmina non dis-
similis argumentum, quos 'Errones Vene-
reos' appellarunt, quorum princei-
pem locum obtinet hoc Pervigilium
Veneris; ita, inquam, Pith. ille præ-
fatus est:—

LECTORI.

'Qui mos veteribus, cum despera-
tos ante januas collocarent, ut vel
extremum spiritum redderent terræ,
vel possent a transeuntibus forte en-
rari: idem mihi fuit consilium in de-
ponendis hujus Poëmatis sane anti-
qui, sive Catulli, sive alterius sit,
reliquis; quarum ego salutem com-
mendatam cupio vel Medicorum pue-
ris, dum, qua fide a nobis exhibentur
de vetustissimo, sed unico exem-
plari, eadem, ut par est, ab omnibus
tractentur.'

Judicet jam prudens, et nullis
partibus addictus Lector, an contem-
tibile visum Pithæo Carmen, et non
potius summa cura et fide traetan-
dum, pristinaque sanitati et integri-
tati restitui dignum sit existimatum.
Incipiamus itaque illum usque adeo
a librariis male habitum amœnissi-
mum, et de amœnissimo tempore ac
Diva jucundissima scriptum Trochai-
cum nitori suo primævo reddere ἐς
πύδας ἐκ κεφαλήης, cum Homero.

[*Cras amet, qui nunquam amavit,
quique amavit, cras amet*] Hoc princi-
pium loco suo non saltem submovere,
sed penitus removere annixum fuisse
Serv. diximus, ut modo numerus ille
XCI. versus responderet: sed ut
a Lipsio profertur hoc Carmen, toti-
dem utique manent versus, si vel in
capite quoque, non minus atque in
calce, versus iste intercalaris reti-
neatur. Neque sane versiculi quin-
tus et septimus usque adeo quadrare
videntur, si exordium hoc, veluti ver-
ex anno sustuleris. Et quum Vene-
ri pervigilandum Amori que operam
dandam per integrum Carmen incul-
care vellet Auctor, ratio persuadendi
potissima fuit, temporis ipsius ad
amorem a natura facti oportunitas
et amabilitas. Propouendum igitur
prius, quam inferendum proban-
dumve fuit, 'Ἀποδείξαι γὰρ μὴ προει-
πόντα (τὸ πρῶγμα, περὶ οὗ) ἀδύνατον,
inquit Aristot. Rhet. lib. II. Nec
sane juverit Scriverium, quod versus
iste intercalaris præpropere nimis,
et quidem ter inter alios novem sal-
tem recurat. Nam vel ipso quoque
Scriverio arbitro, et Lipsium, qui
eamdem ob causam post vers. 8. ali-
quid deesse senserat, refutante, non
semper versus intercalaris interjici-
tur, aut subjicitur versibus pari nu-
mero, sed diverso pro re nata: in-
terdum post duos, tres, quatuor, et
quinque, interdum post plures. Quod
cum alibi, tum ex Virg. Ecl. VIII. et
Catulli Epithal. liquet. Quæ ipsa
tamen probatissimorum artificum
Carmina cum utrobique non a tali
statim inchoentur intercalari, exinde
dicto interposito, quod non præpona-
tur, sed in medio Carminis intercala-
tur, ut in anno bis-sextili dies non a
principio mensis: inde fortean sub-
sumsit, et Simone ab uno ad omnes
concluserit Serv. nullibi auspicalem
esse posse, qui sit intercalaris. Sed
ad vs. 8. (ne uno loco effundamus
omnia) respondebitur.

2 *Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est*] Ita quidem juvat Pith. hunc versiculum: eaque lectio sola videbatur vera Salmasio: nec aliter citavit Lips. Physiolog. Stoicæ lib. II. cap. 9. ubi mundum vere natum videri adseritur: auctoribus Virg. Georg. II. vs. 336. D. Ambrosio, Damasceno, et Panegyrista ad Maximum. Et sequens sane versus ita legendum esse evincit, repetitur namque eadem vox eodem casu, 'Vere concordant Amores, Vere nubunt alites.' Nisi quis malit mage figurate eum eodem Pithæo, *Ver juvenus orbis est.* Veluti et ex incerto Græco Auctore in Anthol. qui vernum tempus pulcherrimum pulcherrime descripsit, Conrad. Rittershusius ait ad versum illum, *Καὶ φύτα θηλήσαντα νέοις ἐκόμισσε περήλοις,* 'Jamque comas reparant planta, nova frondibus arbor Luxuriat, campisque redit silvisque juvenus:' et Guntherus lib. VI. vs. 482. 'senii cum frigore pulso Grata repubescit jucundi temporis ætas, Dum viret omnis ager tellusque decore resumto Floribus et viridi juvenescere gramine gaudet.' Non male tamen quoque Lips. Electis censuit legi posse, *Ver renatus orbis est.* Quæ lectio Buchnero quoque probata ad Hymn. Venantii Fortun. Paschal. vs. 31. 'Ecce renascentis testatur gratia mundi.' 'Qua de causa,' addit, 'et vetus Poëta in Pervigilio Veneris, incomparabilis venustatis carmine, Ver renatum orbem nimis quam eleganter adpellavit,' utpote, quod ea sententia sit gemina huic Plin. N. H. lib. XVI. cap. 25. 'Arborum flos est pleni veris indicium, et anni renascentis.' Prudent. quoque prudentissimus Poëta, cum Hymn. XI. in nat. Domini, vernantis orbis ordium dixisset, addit, 'Nam tunc renatus sordidum Mundus veterum depulit.' Quod nec Erasmus nec Fabritius intellexit, nec Weitzius aliique animadvertē-

runt. Unde fortean conjectura Scriverio ex allegato Plinii loco ducta, *Ver renatus annus est,* cum in Salm. cod. exstaret, *Vere natus ævis est.* Sic Calpurn. Ecl. vs. 11. (ubi Barth. laudat elegantissimum et delicatissimum hoc Pervigilium,) 'Tunc florent silvæ, viridisque renascitur annus.' Verni quippe æris temperie cuncta quasi reviviscunt et renata adparent, quæ hiberno frigore penitus enecta videbantur. Unde Ver κατ' ἐξάλπετον 'annus' et 'annus novus' indigitatur, ut Columell. lib. X. 'Tunc versicoloribus anni Factibus alma parens cingi sua tempora gaudet:' et Boëthio de Consol. Philos. lib. I. Carm. 5. 'Tua vis vernum temperat annum:' et lib. IV. Carm. 6. 'Vere tepenti Spirat florifer annus odores, Ætas Cererem fervida siccit, Remeat pomis gravis Autumnus, Hiemem delius irrigat imber.' Sic et Petron. Fragm. 'Ante oculos stabat, quidquid promiserat annus:' id est, 'Ver.' Quod ipsum 'novum' hic dicitur; nam Ovid. Fast. I. 'Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas: Et nova de gravido palmite gemma tumet. Tunc patitur cultus ager et renovatur aratro, Hæc anni novitas jure vocanda fuit.' Notavit tamen et Servius 'Ver novum,' adultum, extremum et cætera anni tempora sic dici pro initio, medio, et fine Veris, quomodo Græci in singulis mensibus tres Decades statuantes, primam dicant *μηνὸς ἰσταμένον*, secundam *μεσοῦντος*, tertiam *φθίνοντος*, i. e. *mensis stantis, medii, et desinentis.* Quod autem 'Ver canorum' hic indigitatur, propter aviculas est, quæ prolectante verno tempore contentus suaves adsonant, ut ait Apul. lib. XI. allegante quoque huc Weitzio. Sic Virg. Georg. II. vs. 328. in Veris descriptione, quam noster sedulo imitatus est, 'Avia tum resonant avibus virgulta canoris.' Quem expressit et Petron. 'verno persona cantu Mollia dis-

cordi strepitu virgulta loquuntur.' Sic et Ovid. *Fast.* 1. vs. 155. 'Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent.' De quibus Excubitor noster ita porro.

3 *Vere concordant Amores, Vere nubunt alites*] Veluti Lips. optime pro *nubent*, scribendum duxit, *nubunt*, id est, *συνουσιάζουσιν, ἢ ἀφροδισιάζουσιν*. Nam post concordem consensum, qui facit conjugium, sequitur nuptialis congressus. Ita Joh. tamen Isac. Pont. in Macrob. lib. VII. cap. 16. propius ad prius illud *nubent*, legit *pubent*, idque idem vult valere ac 'vernant,' ut apud Plant. 'Dum aviculæ vernant.' Et Dracont. *Hexaëm.* vs. 144. 'Pennigerum vernare nemus vapor urget in usus Pignoris.' Quam sententiam suam ait adstruere, quod hic sequitur, 'Et nemus comam resolvit.' Cui applaudit et G. Erhardus in *Symb. Petron.* ad illum vers. 'cecidere capilli, Vernantesque comas tristis abegit hiems.' Idque totum expressum esse ab Ovid. 'Prataque pubescunt variorum flore colorum, Indocilique loquax gutture vernat avis.' Quomodo autem 'verno tempore concordent amores,' Oppian. *Cyneget.* 1. vs. 377. et *Halient.* 1. vs. 473. exponit. Unde Bion *Idyll.* VI. quoque *Ver fœcundum* singulis anni *τεταρτημορίοις* longe prætulit, *Ἐλαρ ἔμωι τριπόθρατον ὕλαρ λυκάβαντι παρείη, ... Ἐλαρι πάντα κύνει, πάντ' ἔλαρος ἀδέα βλάσσει.*

4 *Et nemus comam resolvit de maritis imbribus*] Quanquam venusta quidem tralatione folia in arboribus, et viridis ille ornatus universus dicatur 'coma,' ut apud Senec. *Herc. Œt.* vs. 1577. 'Dum comam silvis hiemes recident, Vel comam silvis revocabit æstas:' et Venant. *Fortun.* *Hymno de Resurrect.* vs. 21. 'Tempore subque hiemis foliorum crine revulso, Jam reparat viridans frondea tecta nemus. Plaudit quæque suis arbor opaca comis.' Unde et apud Isidor.

Glossis: comat, 'frondet:' ad ritum tamen nuptialem (quem in hoc et præcedente versu innui video) propius videtur accedere, quod 'nemus' quoque 'comam resolvat imbris' pariter, ut sponsa passis crinibus marito in manus cedebat. Quo ipso motus dubitavi, annon melius, et nuptiis accommodatius legatur, *Et nemus zonam resolvit de maritis imbribus*. Certe ob vicinam adlitterationem et paronomasian eo videtur digittum intendisse.

5 *Cras amorum copulatrix, inter umbras arborum, Implicat casas virentes de flagello myrteo*] Videri poterat hoc distichon e Lucretii principio ductum, 'Tu, Cypri, per maria, ac montes, fluviosque rapaces, Frondiferasque domos avium, camposque virentes, Omnibus incutiens blandum per pectora amorem, Efficis, ut cupide generatim secla propagent, Sic quoniam rerum naturam sola gubernas.' Hinc sane forte *amorem* servandum hic dixeris, sed Pith. iterum pro *amorem* maluit *amorum*, ut et pro *gazar* legit, adprobantibus Lips. et Salm. *casas*, nemorales, scilicet inter arbores, et myrtos præsertim, quæ sacræ sunt Veneri. Unde Virgil. *Ecl.* VII. 'Populus Alcidæ gratissima, Vitis Iaccho, Formosæ myrtus Veneri.' Cui et Kal. Aprilis cum floribus et myrto sacrum fiebat, sicuti Ovid. *Fast.* IV. ita Latias fœminas adfatur, 'Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est. Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari, Cansaque, cur jubeat, discite, certa subest: Littore siccat rotantes rore capillos, Viderunt Satyri, turba proterva, Deam, Sensit, et opposita textit sua corpora myrto, Tuta fuit facto, vosque referre jubet.' Pansan. vero in posterioribus Eliacis rationem isthanc adfert, cur huic Deæ rosa et myrtus consecrata, quoniam utraque planta eximiam præ se fert pulchritudinem: rosa inter flores, myrtus inter ar-

bores. Et sic paulo inferius in hoc Carmine vs. 44. (ubi plures causas, cur myrtus Veneri dicata) invenies, 'Floreas inter coronas, myrteas inter casas.' Ipsa quoque Venus Myrtea, et postea Murcia dicta fuit, Plin. testante in Pandectis suis lib. XIV. et Plut. Quæst. Rom. 20. Auson. Ecl. de Cupid. Crucif. propter occultantem et refrigerantem umbram gratas Veneri venerisque statuit myrtos: 'Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes.' Ad *casas* adfert Pith. hunc Tibulli versum, 'Ludit, et ex virgibus extruit arte casas.' 'Flagella' vero Isidor. Orig. lib. XVII. cap. 5. 'summitates fruticum, et vitium' interpretatur. Flagellis myrteis rectissime quoque dicitur Venus implicare casas suas rurestres, circa tribunal proprium, quod ante aliud, Paradisi sc. tribunal, fastam fortunatamque sibi deprehendisset Venus myrtum, quum illa ornata Dea ad iudicium de forma cum Deabus esset profecta, victoriamque reportasset. Quod Nicand. Alexiph. adigit, Πρὸς δὲ τί σοι Δίκτυννα θεὰς ἐχθήρατο κλώνας, κ. τ. λ. *Prætea Dictynna tua est ex arbore ramos Aspernata, tuam nec cepit Juno coronam, Quod Venus Idæis est illa in montibus olim Comta comas, ubi de forma contentio nata est.*

7 *Cras Dione jura dicit fultu sublimi throno*] Rectius scribi opinatus est Lips. et Casaub. ad Suet. lib. II. pag. 145. *fulta sublimi thoro.* Sed ego lectionem receptam servaverim, quod Dea in iudicio præses, cum assestribus suis, Reginæ potius personam in throno ac tribunali repræsentatura adsidere, nequaquam vero in thoro adcurrere deberet; quod ne in convivii quidem pudor muliebris ferebat. Cum viris enim cubantibus sedentes fœminæ cœnitabant. Quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Quod

genus severitatis sua ætate diligentius in Capitolio, quam in domibus privatis servatum meminit Val. Max. lib. II. cap. 1. Cum magis ad rem pertineat Dearnm, quam mulierum, disciplina contineri. Et sic in Augusti cœna δώδεκα θεῶν, impudici acubitus, legimus veteri Epigr. 'Fugit et auratos Jupiter ipse thronos.' Nisi plane fallor, legendum quoque hic erit, *Cras Dione jura dicit*: ut infra vs. 49. Vid. et ad vs. 57.

8 *Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet*] J. C. Scal. lib. II. Poët. cap. 30. Inter versuum adfectus, aut probatos lege, aut usu permissos, aut usurpatos licentia, quosdam constitui ait in ordine sive dispositione, tum partium ad totum; ut apud Ovid. 'Militat omnis amans et habet sua castra Cupido: Attice, crede mihi, militat omnis amans.' Tum vero totius ad totum, id est, non tanquam pedum ad versus, (quemadmodum in exemplo adlato,) sed tanquam versus ad poematum, veluti quum repetitur versus in fine Epigrammatis, qui initio fuerit constitutus. Ejusdemque naturæ et instituti quoque dicit esse intercalares, speciem eorum, qui dicantur interpositi, Græcis παρεμβεβλημένοι, quod salvo sensu tolli possint. Quamobrem et Scriv. cum a capite hunc quoque præpositum, imo προθέσεως vice propositum, sede sua sustulisset, atque huc in ordinem redigisset, et vix ut interpositum tolerasset, cogitare debuerat, versus hujuscemodi quoque recte a principio collocari, (præsertim si rei summam aperiant,) et tandem in idem iisdem verbis aut paulo saltem mutatis desinere. Apud Theocr. namque, primum fortasse talium versuum auctorem, Idyll. I. a Thyrside, principe persona inscripto, quo loco hæc Carmen suum Bucolicum auspiciatur, ita statim insurgit, Ἀρχετὲ Βωκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἀρχετ' αἰδιῶς. Postremo vero sic con-

clusit, λέγεται Βακολικῆς, Μῶσαι, Ἰτε, λέγεται ἀοιδῶς. *Incipe Bucolicis mecum, mea Musa, Camænas*: et, *Desine Bucolicas mecum, mea Musa, Camænas*. Ubi vetus Schol. observavit, Τοῦτο δὲ λέγεται πρόσσμα, καὶ ἐπιμελῶδες, καὶ ἐπὶ φῶδῃ. Τὸ δὲ ἀρχεται καὶ λέγεται ἐπὶ φῶδῳ τὰξιν ἔχει. Quo innuit, eundem versum, quem Servius ad Virg. intercalarem vocavit, Græcis pro diversa quidem ratione et positu, nunc quidem illud denotare, quod Latini 'Præindium' seu 'Prolusionem,' Cic. et Gell. 'Præentionem' indigitavit, sed vulgus 'Præambulium': quod et Græcis quoque deprehendo fuisse usitatum. Sic enim Hesychius, προαύλια, τὰ προαυλήματα, ὡσπερ προάμβουλα, τὰ προκιθαρίσματα. Jam vero eundem intercalarem ἐπιμελῶδες esse, veluti Carmen in Poemate frequenter repetitum et interpositum, quod Galli *Refrain de ballade*, quasi refrenationem chori dicunt: postremo vero notare et clausulam carminis, quod Tertull. 'Epicitharisma' lib. Adv. Valentin. Græca voce dixerat: in Hymnis quod succiuntur, ἐφύμνιον, vulgo 'versiculum' nuncupari Budæus in Epist. adnotavit. Quare Scaliger recte ibidem ad interpositos illos retulit omnia ἐπιφωνήματα et προσφωνήματα. Qualis acclamatio est etiam apud Catull. Epithal. Jul. et Manl. ubi statim in fronte adfatut Hymenem, quem toties repetita invocatione postea subdidit, 'Collis o Heliconii Cultor, Urania genus, Qui rapis teneram ad virum Virginem, o Hymenæe hymen, Hymen o Hymenæe!' Atque ita nec Noster male Theocr. et Catulli exemplo auspicius est ab ejusmodi adloquio, quo juvenes pariter et viros, virgines et fœminas, cœlibes et viduos ad amorem convocaturus et concitaturus, eosdem crebrius inclamare et interpellare voluit. Ut proinde versus iste non modo sit intercalaris, sed vernus 'Veneris Calator,' quemadmodum in Gloss. ἐκθιβαστῆς

τέρων, adparitor seu viator ille sacerdotum et ad sacra citans alios, ut et in Gloss. Isidori Minister sacerorum ita redditur. Sic autem videtur Calator hic inclamare et excitare Deos et homines: *Crus amet, qui nunquam amarit; quique amarit, cras amet*. Quemadmodum tale est præconium apud Arnob. lib. vii. Adv. Gent. fol. 110. 'Jovis epulum cras est.'

9 *Tunc liquore de superno, spumco ponti e globo, Carulus inter cæteris, inter et bipedes equos, Fecit undantem Dionen de maritis intribus*] Amicus ille Lipsii Pith. hæc quidem sic postea emendavit, cum ab initio legere cepisset, *Juno rore de supernis*. Sibi vero apud Donzam fabulanti hæc correctionem feliciter sub manu natam esse idem ait Lips. *Tunc cruere de superno ac spumco ponti e globo*. Additque nil clarius esse posse: tangi enim Fabulam, qua Venus e spuma maris nata fingatur, et e sanguine prolium, ut honeste dicat, cœli. Tibull. lib. i. Eleg. 2. 39. 'Is sanguine natam, Is Venerem rabido sentiet esse mati.' Et Arnob. lib. iv. 'Numquid a nobis dicitur ex pelagi spuma et ex Cœli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluisse candorem?' Fulgent. ita Mythol. lib. ii. 'Exsectis falce Saturni virilibus atque in mare projectis, quod Venus nata fertur, Poëtica vanitas proponere voluit, quod vires Chroni seu Temporis, id est, fruges falce abscissæ, et in humores viscerum, velut in mare projectæ, libidinem saturitate gignant, necesse sit.' Varro de L. L. lib. iv. p. 16. 'Poëtæ de cælo semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam e spumis Venerem, conjunctione ignis et humoris.' Quo nomine aliquis forte legerit, *Tunc calore de superno ac spumco ponti globo*. Jul. quoque Solin. Fragm. Pontico de Venerere, 'quæ semine cœli, Parturiente salo, divisi germinis æstu, Spumea purpurei dum sanguinis unda profun-

di, Nascereis e pelago, placido Dea
 prosata partu.' Quod Apul. ita ex-
 tulerat lib. IV. 'Deam, quam caru-
 lum profundum pelagi eduxerit, et ros
 spumantium fluctuum educavit, novo
 caelestium stellarum germine non ma-
 ria, sed terras pullulasse.' Sane Ven-
 nus Ἀφροδίτη dicta, seu quod e maris
 spuma sit nata juxta Hesiod. et Ma-
 crob. Saturn. lib. 1. cap. 8. Ad quem
 locum laudat Isaac. Pont. istud, supra
 hanc ipsam Deam decenti orationis
 velo in ejusdem Pervigilio scriptum,
Tunc cruore de superno ac spumco ponti
globo, &c. retinens Lips. lectionem.
 Sic apud Anaer. Χαρονῆς ὄρ' ἐκ θαλάσ-
 σης Δεδροσωμένην Κυθήρην Ἐλόχευσε
 πάντος ἀφρώ. Seu, ut Aristot. de Gen.
 Anim. lib. 11. cap. 2. placuit, quod
 seminis natura et concitatio sit ἀφρώ-
 δης et spumosa, et non aliud, quam
 spuma sanguinis et supernataus. Vel
 quod, sicut spuma, libido momenta-
 liter surgat, et in nihilum veniat,
 Fulgent. Mythol. lib. 11. Ego tamen
 fortasse et sic verum istum reposu-
 erim: *Tunc Jovis viro superno, ac spu-
 meo ponti e globo. Fecit undantem Di-
 one de maritis imbribus.* Quanquam
 enim in versu hoc sequenti Lips.
 scribere *Dionen* voluit, cumque de-
 esse videret Veneris auctorem, vel,
 qui fecisset illam undantem vento-
 que fluctuantem, sex ergo vel septem
 versiculos hic amissos desideravit.
 Verum ego vulgatam lectionem vel
 ideo quoque retinnetim, cum ita nihil
 deficiat, utpote, cum Dione non sem-
 per Venus, sed Veneris aliquando
 mater prædicetur, ut apud Cic. de
 Nat. Deor. lib. III. Tertia (Venus)
 Jove nata et Dione, quæ nupsit Vul-
 cano, quamque νεωτέραν καὶ πάνδημον,
 juniorem et popularem Plato in Con-
 vivio vocavit. Quamobrem et Theocr.
 Syracensis, Κύπριν Διωνάταν et Apollo-
 dor. Biblioth. lib. 1. ac Phornutus p.
 72. Ἀφροδίτην Διωνῆς θυγατέρα vocant.
 Arnobio lib. 1. 'Dionæa' Venus 'pro-
 les' dicitur. Unde nobis orta est ista

correctio. Et quamvis hic prætule-
 rim *de maritis imbribus*, propterea,
 quod ter ita 'maritos imbres' repe-
 tierit, non sine tautologiæ crimine:
 tamen, quia Lipsio sane quam ele-
 ganter 'mariti imbres' eruo et spu-
 ma dici videntur, permittamus. 'Vi-
 rus' autem semen aliquando dicitur,
 atque idem quoque 'sanguis,' optime
 scil. elaboratus. Plin. lib. XXVIII.
 cap. 11. Virus verrinum e scropha
 in coitu exceptum, priusquam terram
 attingat, gravitati aurium prodest.
 Tertull. de Anima cap. 27. Genitale
 virus expellere voluptatis ultima æs-
 tum dicit. Quin et apud Lucret. lib.
 11. pro virtute naturali juxta Nonium
 accipitur, 'servare et condere viro.'
 Cumprimis autem marine aquæ con-
 venit, quæ vetustate virus deponere
 dicitur Plin. lib. XXXI. cap. 8. Ipse
 Pet. quoque Seriv. cum diserte in Pi-
 theano legi vidisset, *Dione*, ita hoc
 distichon tentavit, *Tunc cruore de su-
 perno spumco ponti globum Fecit un-
 dantem Dione de maritis imbribus.* Et
 si cuiquam displiceat *Fecit*, legat is
 eodem non admodum reclamante, *Ex-
 cit.* Quanquam Salm. 'fecit,' pro
 'creavit,' idiotismo illius ævi dictum
 arbitretur, ut apud Schol. Juvenal.
 'Si tres liberos fecerit,' pro, 'pro-
 creaverit.' Unde et idem Salm. clare
 in suo exempl. ita legi adtestatus est,
 sicuti et ad Solinum pag. 277. citavit,
Tunc cruore de superbo spumco pontus
*globo Fecit undantem Dionen de mari-
 tis imbribus: superbo* autem pro *super-
 no* dictum putat, et *spumco globo* pro
 'spuma in globum conformata,' uti
 sæpe visitur. Quod autem Venus
 nata e Jove et Dione creditum, ideo
 factum, quoniam cupiditas procrean-
 di e calore concipitur, et ex illa infe-
 riore corruptibilique elementorum
 materia. Nat. Comes.

10 *Cærulas inter catervas inter et bi-
 pedes equos*] Hic medius est inter ver-
 sus duos jam enarratos. 'Cærulus
 grex Nercidum,' ut Seneca Hippo-

lyto vs. 335. loquitur, hic intelligitur, et 'Neptunii equi,' quales et Proteo apud Virg. Georg. iv. vs. 388. 'æquior Qui juncto bipedum curru metitur equorum.' Qualesque hippocampi, qui priores pedes habent, posterioribus carent, et pontum remigant, Statio quoque Achill. lib. i. describuntur, 'Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.' Ut adnotavit doctissimus Weitzius. Haud absimiliter apud Apul. Metam. lib. iv. Veneri, fluctum spumeum rorem calcanti, adsunt Nerei filia, chorum eanentes, et Portunus cæcnilis barbibus hispidus, et currus bijuges subnatant alii. Marius Victor. lib. iiii. 'Icarium Notus ut confidens stamine tranat, Carula verrentes sic freta Nereides.'

12 *Cras amet, qui nunquam amarit; quique amavit, cras amet*] Nihil hinc deperditum fuisse, tametsi de subito intercalaris iste recurrat, jam tum ad vs. 1. et 8. præcedentem satis evictum. Nam quemadmodum in prima strophæ (ita namque proprie in fabulis versus eos, quos Chorus ad populum spectatoresque conversus pronuntiabat, atque in altera parte theatri decantabat, adpellatos fuisse Commentator Aristoph. Nebulis nos docuit) totius Mundi et omnium, quæ in isto Universo continentur, ortus universaliter quoque nos ad amorem et Veneræ copulæ complicationem invitasset: in sequenti vero ipsam quoque pulcherrimam Anadyomenen haud aliter, quam e Jovis Dionæque congressu natam ostendisset, et satis jam de re, tegi potius, quam propalari expetente, in virginum, verba nupta abhorrentium, præsentia dixisset, statim abruptit, ne in limine offenderet, exemplo potius ipsiusque Veneris factis, quam sordida navitate ejus puellas permoturus.

13 *Ipsa gemmans purpurantem pingit annum floribus*] Lego cum Pith. Sed cum vetus Poëta in laudibus hor-

tuli dixisset, 'Flores nitescunt discolori germine, Pinguntque terram gemmeis honoribus,' id est, gemmarum instar lucentibus, inde Lipsius legi posse *gemmeis* in Trochaico isto putavit; sed syllaba sic abundaret, nisi forte *gemmeis* legerit, ut dissyllabum, eeu Scriv. voluit, qui apud Prudent. 'sanguineis' Hym. i. in simili Trochaico observavit. Unde fortean quoque factum, quod in Salm. Cod. legeretur; *ipsa gemmis purpurantem*: quamvis et ipse ibidem præmiserit, *Ipsa gemmas purpurantem*. Atque hinc nobis, ut Buchnero quoque ad Venantium, magis adridet prius illud *gemmans*. Nam et Lucr. habet lib. ii. 'herbas gemmantes rore recenti.' Item lib. v. 'gemmales rore per herbas.' Et Prudent. Hamartig. vs. 239. 'gemmales germina:' nec non Dracont. Hexaëm. locus describitur vs. 64. 'Floribus ambrosiis gemmato vertice pictus.' Vomannus quoque Scholast. Poëta in Catalect. Virgil. cum quatuor anni tempestates variaret, 'Ver pingit vario gemmantia prata colore.' Et ipsemet Archipoëta in Culice vs. 69. 'Florida cum tellus gemmantes picta per herbas Vere notat dulci distincta coloribus arva.' Ubi inspicere poterit Taubmannus versum hunc Pervigilii 13. laudans et ex allegatis Lucr. vesiculis herbas rore gemmantes explicans illas, quas (ut Pervigilium loquitur) 'Hnmor ille, quem serenæ astra rorant noctibus,' quibusdam veluti oculis aut gemmis illustrat. Venus igitur *gemmans* ita hic sumitur pro eo, quod est 'renidens,' vel gemmarum in modum resplendens, ut apud eundem Dracont. vs. 229. 'Orbe micant gemino gemmantia lumina visu:' et sic Colum. lib. x. 'Jam Phrygiæ Loti gemmantia lumina promunt;' nisi quis active accipere velit, *gemmans*, id est, gemmas protrudens et oculos, prout Nicol. Perottus explicat illud Colum. cum primum gemmare vites incipi-

unt, il est, gemmas emittere: sic in Solini Polyhist. Pontico ad Venerem, 'Tibi primum candidus æther Astrigeram faciem nido gemmavit Olympo.' A quo et Dracontii adlatum passivum est, 'gemma vertice;' et Martialis 'gemma calices et aurum,' l. xiv. Epigr. 109. ut et Papinii, 'Hic ubi sidereo moles gemmata colosso.' Sicuti 'purpurare' hic quidem ceu neutrum sumitur, 'annus purpurans,' id est, Ver purpureum; Apuleio vero lib. vi. veluti activum usurpatur, cum Horæ omnia floribus purpurare dicuntur. Et apud eundem Asin. Aur. lib. x. insigniter præsens versiculus illustratur, cum ait, quod Ver in ipso ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret, et jam purpureo nitore præta vestiret. Quasi Ver pictor quidam mundi esset, qui colorum varietate multijuga suam variaret distinguereque tabellam; prout est *φοινικάνθημον έαρ* Pind. Pith. Colum. lib. x. 'Pingit et in varios terrestria sidera flores.' Quumque flores isti gemmei Veris felix Autumni puerperium polliceantur, veluti Fortunat. de vite florescente argutatur, 'Cortice de matris tenera lanugine surgens, Præparat ad partum turgida gemma suum.' Quocirca post versum illum 13. composite admodum sequitur

14 *Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu Urget in toros tepentes, ipsa roris lucidi, Noctis aura quem reliquit, spargit humentis aquas*] Uti quidem Pith. cum Lipsio, cum quibus et Weitzii Scholia faciunt, sed quæ omnia ad verbum e Turnebo lib. xxv. cap. 30. hausta, cum ita scripsit: 'Turgere,' aut 'tumere,' inquit, 'proprie virginum est, quarum plena pubertate habitus viro maturus est, toto velut corpore tumescente, præsertim pectore et mammis.' Unde et 'tumida virginitas' a Papinio dicitur Theb. lib. ii. et Cypriano in Sodoma de Lothi filiabus, 'Virginitas in flore tumet.' Pulchre Martial.

lib. viii. Epigr. 64. 'Et talis tumor excitat papillas, Quales cruda viro puella servat.' Scriv. tamen cum Salm. Ms. hujus fulti, de plano legi deprehenderunt, *Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu Urget in notos penates*. Quod rectum quoque putabat Douza F. in fine Notar. in Cat. Tib. et Prop. At vero ejus interpretatio judicio Scriv. frivola, cum *surgentes papillas* interpretaretur 'tumescentes ac sororiantes, et veluti strophio obtinentes, atque (voce Catulliana) luctantes, quasque horridulas Plaut. Pseudolo vocasset,' id est, prominentes et exstantes, ut Taubmannus ad Moretum scripsit et Douze subscripsit. Quæ ipsæ tamen papillarum oppressiunculæ Scriv. visæ vere horridulæ. Nec enim vult auctor, inquit, surgentes papillas de Favonii spiritu Venerem compressisse, et sororiantes coërcuisse strophiiis aut zonis. Longe aliud est, quod hic latet: melius me divinet, qui se id posse speret. Dicit igitur, Rosas surgentes de Favonii spiritu, Venerem ursisse maritis suis imbribus, in hunc aut illum usum. Papillæ sunt rosarum alabastri; et prima germina, atque calices nondum dehiscentes, sed convolutis foliorum catenulis conniventes. Hæc Scriv. Et paulo inferius ad vers. 25. Virgines papillas iterum vult esse rosarum, ubi Lipsium et alios interpretes misere natate, et in tenebris palpare censuit. Sed nec nobis sudum illud Scriverianum satis liquido adparet, quod aliis veluti e crepusculo conjectandum adhuc reliquit. Somniat ille, Pervigilii hujus quatuordecim versibus a 12. ad 27. nonnisi de rosis sermonem esse, quod profecto secus se habet. Nimirum cum in Veneris elogio divinum ejus ortum prædicasset, similiter, ut Auctor Pontici Fragm. statim subjunxit, quomodo ejusdem Divæ nmine cuncta fecundarentur, ut idem iterum Solinus ad eandem Venerem, 'Tu foetibus auges

Cuncta suis : totus pariter tibi parturit Orbis.' Haud absimiliter sane, quam Luer. lib. v. 'Ordine cum videas tam certo cuncta creari : It Ver, et Venus, et Veneris prænunciis ante Pennatus graditur, Zephyrus vestigia propter : Flora quibus mater præspargens ante viai Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet. Inde loci sequitur calor aridus, et comes una Pulverulenta Ceres,' &c. Itaque generatim præmisit, quod et amico cuidam Scriverii placuit, cui propterea legi posse in mentem venerat, *Urget in nodos tenaces.* Venerem surgentes, seu, ut Martialis vocavit, crescentes suas papillas nodis et strophis coëruisse, vel etiam ipsam Venerem leni Zephyri flatu tumefactas papillas in toros tepentes unxisse, prout, Apul. verbis, unguento fragrantissimo proluvium libidinis suscitatur. Quod nec Weitzio improbatum, qui iade legit, *Unguet in toros tepentes* ; eo quod Lips. aliique edidissent, *Urget.* Inde porro illa ipsa Diva, ut similiter et terram inungat, et veluti prægnantem faciat, roris lucidi, noctis aura relictas, guttulas fœcundissimas undique spargit. Sed tamen prævalet merito apud nos illud *Urget*, nec ullum turbet scriptum fuisse *Urget* veteri more, ut videmus in Varronis disticho, 'Qui pote plus urget, pisees ut sæpe minutos Magni' comest, ut aveseneat accipiter.'

16 *Noctis aura*, &c.] Non immerito Salm. ut et Janus Wowerius, atque Weitz. a Lips. et Scriv. secessum faciunt, quum hic corrigerent, *Noctis aura quem reliquit*, exemplo Virgil. 'Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.' Ipsa enim Dione spargit humorem roris, quem relinquit aura lucidæ noctis, quæ ipsa sæpe noctis aura omnem humorem roremque exsugit et exsorbet, præcipue si sit vehementior. Ubi minima est aura nocturna, tum solet esse

mane maxima roris copia, ceu testatur Salm.

Summatim ut de his tribus versiculis dicamus, expressos illos esse, ut plures alios, de Virgil. Georg. II. e graphica Veris adumbratione, a vers. 324. penitus persuasi sumus : 'Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt : Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther Conjugis in gremium lætæ descendit, et inde Parturit almus ager ; Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus : superat tener omnibus humor :—nec metuit surgentes pampinus Austros.' Hoc fundamento corrui Scriv. structura ; nostra autem hæc nititur correctio, *Ipsa surgentis papillas de Favoni spiritu Turget in toros tepentes : ipsa roris lucidi, Noctis aura quem reliquit, spargit humentes aquas* ; id est, Domina Venus, procreationis præses, simul ac 'reserata viget genitabilis aura Favoni,' ut canit Læcret., quoad proprias turgida fit papillas, atque propterea et ipsa quoque omnia fœcundatura, toros tepentes et concubitum desiderat, et hinc terræ quoque fructificationem sollicitatura promovet.

17 *Et me canat lacryme*] Iterum Lips. pro parte emendavit, *Et micant lacrymæ trementes.* Intelligit autem guttulas illas e rore subsilientes et lascivientes. Reliquum se non posse, ultro confessus est : Lermutinum vero sic ait supplevisse, *decidiro pondere*, unica voce, sicut et J. St. Verbesius, prædecessor noster, illud in Miscell. suis haud dubie hinc mutuatus expressit, 'Jam rore decidivo Suxæ maritus imber Fœcundat arva terræ.' Weitz. ponit pro decidivo *decidiro* e Nonio, uti recidivus dicitur. Sed Scriba iste Batavus ita scripsit, versus, quod putabat, consulturus, *Lacrymæ micant trementes de decidivo pondere* ; quod nostro Auctori perquam essent familiares illæ elegantissimæ, 'de Favoni spiritu,' 'de decidivo pondere,' de eru-

ore et osculis.' Atque sic etiam Salm. diserte in veteri cod. *Emicant lacrymæ trementes de caduco pondere*; ut sit sensus: Lacrymæ roris, pondere ipso dum cadunt, trementes emicant. Sed ego ad scripturam veterem, quam Lips. habet, *detadum pondere*, non minus prope accedere arbitrabar, si versus iste ita exararetur, *Et micant lacrymæ trementes de rosarum pondere*: id est, de rosis gravitate roris conquiniscentibus et caput inclinantibus. Ita namque Auctor Idyll. Eïs τὸ Ἐαρ: *Ὀδ' ἀπαλὴν πινούπτες ἀεξίφύτου δρόσον ἡοῦς, Λειμῶνες γελᾶσιν, ἀνοιγομένοιο ῥόδοιο*: *Jum matutinum vario gemmantia flore; Prata bibunt tenerum rorem; calycesque rosarium, Dum ssc lento pandunt conamine, rident*: sicuti vertit Rittershus. in Anthol. lib. i. in fine. Vel sane ita quoque non male scriberetur: *Et micant lacrymæ trementes vitium de vulnere*. Ab oculis namque vitium ad rosas speciatim jam progressi videntur. Nec aliter in Archetypo Virgil. Georg. II. 'nec metuit surgentes pampinus anstros, Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem: Sed trudit gemmas.' Atque sic Christianus Poëta Fortunat. Hymno Pasch. quo multis idem verum tempus depinxit, cecinit, 'Caudice desecto lacrymat sua gaudia palmes, Unde merum tribnat, dat modo vitis aquas.' Suspiciabar etiam prins, *deque tectum pondere Gutta præceps orbe parto sustinet casus suos*. Quasi ros matutinus, superveniente Sole, de tectis sensim stillet, ita, ut guttulæ, tametsi in præcipitio positæ, in semetipsas collectæ, casum quodammodo sufflamment. Sed tamen, ut quod res est, fatear, vel hic posterior versus adserit illud *caduco* vel *cadivo* in versu priore. Id enim videtur dicere Pernoctator: Quum Venus imbrica roris lucentis guttulas longe lateque mane diffuderit, emicant illæ ad instar lacrymularum, urgente suo pondusculo

tremulæ, ut janjam casuræ videantur, et nihilominus tamen ob figuram orbicularem a casu retinentur. Atque in ejusmodi maceratione et humectatione atque commistione elementorum vim Veneris potissimam regnare Eurip. demonstratum ivit: *Ἐργῶ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς Θεοῦ* *Ἐρᾶ μὲν ὕμβρου γαῖ' ὕταν ξηρὸν πέδον* *Ἀκαρπον αὐχμῶ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει* *Ἐρᾶ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληροῦμενος* *Ὀμβρον πεσεῖν εἰς γαῖαν, Ἀφροδίτης ὕπο* *Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταῦτὸν δύο,* *τίκτουσι μὲν πάντα καὶ ἐκτρέφουσ' ἡμῖ:* *Enucleabo robur ipsa te Deæ. Amavit imbrem terra; cum siccum solum est, Non est ferax squalore, poscitque humidum: Amatque calum pluribus plenum imbribus Ob hanc Deam terris deorsum cedere. Ubi duo miscentur ista, unumque fit, Nascentur inde cuncta, quæ nos nutriunt, Ob quæ rirct vigetque vis mortalium.* Citavit Arist. Ethic. lib. VIII. Athen. lib. XIII. et Stobæus in Phys.

19 *In pudorem florulentæ prodierunt purpura*] Ita Pith. 'Nec abs re,' adjiecit, 'suspicitur quis et hæc et alia quædam in hoc Carmine confusa, nec suo loco posita.' Scriverio prorsus idem visum, nec pauca desiderari in hoc Poëmate. Quod si verum est, liceat quædam aliter ponere, et alias simul lectiones exponere. Nam quid tentare nocebit? *Tum Chroni ri de superna spumeum ponti globum*; vel, *Tum calore de superno spuneum ponti globum, Cæulas inter caterras, inter de bipedes equos; Fecit undantem Dione de maritis imbribus. Cras amet, qui nunquam amarit*; *quique amavit, cras amet. Facta Cypris de cruore, deque Amoris offulis, Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris; Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus: Ipsa surgentes favillas de Favoni spiritu Urget in focos tepentes: ipsa roris lucidi Noctis aura quem reliquit, spargit humentes aquas. Emicant lacrymæ trementes decidivo pondere: Gutta præceps*

orbe parro sustinet casus suos. Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpura. Humor algens, quem serenâ astra sudant noctibus, Mane virginæ papillas solent humenti peplo. Ipsa jussit, mane ut uidee virginæ nubant rosæ: Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea, Unico, marita, nodo non pudebit solvere.

Videat Lector, quam eleganter hæc omnia corresponsdeant, et quadrent invicem! Illa, videlicet Diva, quæ de cruore et geminis est, geminis quoque floribus purpurantem animum seu ver piugit; et quæ calore de superno deque flammis orta est, latitantes quoque sub cinere amoris ignes atque favillas flabris Favonii excutit, atque ventilat, inque notos, vel etiam nudos penates, aut locos quoque tepentes propellit et effundit: Quæ denique de Chroni maritis imbribus, spumicoque ponti-globo projecta, et inter cæcylas cæcylas reperita est, ea ipsa quoque rorem nocturnum circumfert, et guttatim destillat. At quæ de Solis purpuris, seu aurora prædiit, rosas quoque purpureas produxit; easque noctu, velut a partu balneas, postero statim die e virginibus maritas fieri voluit, ut loquitur Salmasius. De mane scilicet papillatum earum corymbum humenti peplo solvens, inque nuptias simul prorsans, ut in crastinum tandem omnem ruborem, veluti nuptiæ jam deponant, hoc est, jubet illa ex clausis ac tectis, ut erant in calycibus suis, aperiri et expandi. Quocirca rosam ipsam Venus adloquitur, verbis Salmasii: 'Cras, inquit, o marita, quæ antea virgo fueras, non pudebit te ruborem, qui veste ignea calycis tectus latebat, unico nodo solvere, et in apertum prodere.' Quam ad rem compendio quoque demonstrandum egregie faciet gemmula B. Hieronymi Epist. xxvi. ad Pammachium. Consolat. super obitu Paulinæ Uxor: 'Quis parturientem rosam, et papillatum corymbum, antequam in cala-

thum fundatur orbis, et tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immature demessum, æquis oculis marcescere videat?' Exindeque vetus Epigr. hactenus ineditum, quod ex cod. Salm. descripsit Scriv. confectum arbitror: 'O quales ego mane Rosas procedere vidi! Nascabantur adhuc: neque erat par omnibus ætas: Prima papillatas ducebat spica corymbos; Altera puniceos apices umbone levabat; Tertia non totum calathi patefecerat orbem; Quarta simul nituit mutato tegmine floris. Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum, Hinc dum virgineus pudor exsinnuatur amictu, Ne perant, lege mane Rosam; cito virgo senescit.' Evolvatur quoque Idyll. de Rosis inter Catalecta Virgil. haud dubie quoque Scholast. alicujus Poëtæ, quale fuit et istud, quod jam recitavimus. Eidemque geminum est et hoc similis alicujus in eodem argumento præexercitamentum ἄδηλον: quod tametsi de floribus et rosis præsertim agat, non propterea Flori est, sicuti eo nomine deceptum videmus et Salm. qui hoc primus ad Hist. Aug. Scriptores exhibuit, et Opitium, qui Germanice loqui illud docuit. Ita autem habet: 'Venerunt aliquando Rosæ: proh Veris ameni Ingenium! una dies ostendit spicula florum; Altera pyramidas nodo majore tumentes; Tertia jam calathos: totum lux quarta peregit Floris opus: Percunt hodie, nisi mane legantur.' Sed e diverticulo in senitam! atque ordinem vulgarem Carminis nostri porro persequamur. Ubi tamen phrasi Scriv. fatuum, insulsam, atque ineptum arbitramur, quod idem Scriv. versum istum 19. ita voluerit corripere, non corrigere, *In pudorem floris Ennae prodierunt purpura.* Quanto melius Salm. *Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpura.* Id est: Purpureæ rosæ ab illis rosis guttis perspersa prodiderunt ruborem, (qui elegan-

ti metaphora 'pudor' dicitur, ut aurora pudori-color Lævio apud Gell. lib. xix. cap. 7.) cum prius calycis nodo tectus latitaret. Nam et Fabius Planciades Fulgentius illam voculam in sua imitatione ita retinuit, 'Guttulas ubi florulentæ mane rorant purpuræ.' Absque quo si fuisset, elegissem ego *rorulentæ*. Hæc enim causa est, cur se flores aperiant, quia rore maceratæ, 'Dum teretes per prata micant luduntque priuæ, Stillaque flammeolis dependet vitrea callis;' uti Tagautius, novus quidem, sed egregius Poëta cecinit. Sed Verbesius quoque vers. huic 19. et 6. supra in Epithalamio nostri Corvini amulatus est parili Trochaico, 'Imperator magne cæli, Juppiter summi Jovis, Purpura jam florulenta pinge currum myrtæis Implicatum de flagellis,' &c.

20 *Humor ille, quem serenæ astra rorant noctibus, Mane virgineas papillas solent humenti peplo*] Lips. has *virgineas papillas* rescribens, nondum compressas et maritas interpretatur. Quod irrisit Scriv. cum tamen nec ipse negare possit, si vel de rosis intelligatur, eas quoque virgines maritis et manu veluti compressis opponi. Malim autem *virgineas papillas*, ut ab initio scriptum, nam sequenti statim versu 'virgines rosæ' redeunt. Integer vero versus ille 20. apud modo allegatum Afrum Mythol. lib. 1. ita legitur, *Humor algens, quem serenæ astra sudant noctibus: sudant pro rorant.* Unde ipse quondam argutabar, *Humor algens, quem serenæ astra plorant noctibus:* veluti viam præverat Lucet. lib. 1. 'Permanat aquarum Frigidus humor et uberibus flent omnia succis.' Colum. lib. x. similiter, 'Aut fons illacrimat putei non sede profunda.' De serenæ noctibus vide Barth. ad Claudian. Pro *umentis peplo*, quo humor solvit papillas, exoptarem *urido* vel *udenti*, aut *udanti*; modo namque 'umentes aquæ' ad-

fuçant. Dicitur autem 'peplum noctis,' uti Varroni Atacino Carm. de Luna, et 'astrimicum pepulum' Cappellæ lib. vi. atque Fulgentio 'peplum stellatum.'

22 *Ipsa jussit, mane ut ude virgines nubant rosæ, Fusæ aprino de cruore, deque amoris osculis, Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris*] Post Douz. quidem et Pith. Lipsius hæc ita, et addit: Venus jussit, ut mane virgines tegant se ornamentis, atque adeo prisca velandi significatione nubant udis ab humore noctis et quasi ebriis rosis, et quæ a sanguine Adonis, quem aper occiderat, ruborem traxerunt. *Fusæ* ergo, tinctæ, sive perfusæ; nisi quis eligat *Fusæ*. Sed Seriverio iterum ridiculus est 'aprinus cruor,' pro Adonidis, quem aper occiderat. Mavult igitur legi, *Facta Cypris de cruore.* Quod et nos approbamus, non tamen in casu gignendi, sed recto. De ipsa siquidem Venere, ut antea demonstravimus, non de rosis hic versus loquitur, uti nec sequens. Proinde nec Lipsius quoque rem acn hic tetigit, quando indicem huc protendens, 'rosis illis nullum Rubinum, nullum ignem, nullamque purpuram rubicundiorum pronuntiavit.' Non abnuimus quidem Fabio Mythol. lib. 11. Veneri quoque rosas in tutelam adjectas, quod eæ et rubeant et pungant; uti et libido rubet verecundiæ opprobrio, pungitque peccati aculeo: et sicut rosa delectat quidem, sed celerrime transit: ita et libido libet momentaliter, et fugit (dolet) perenniter. Non ignoramus quoque rosas Veneris sanguine tinctas erubuisse, atque lacrymis oculo stillantibus alias quoque enatas, uti Bion de hac re, *Αἷμα ῥόδου τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώνων.* At vero illud prius et *Cypris* me ita transversum abripuit, ut rosas hic fundi vel crescere posse non capiam, sed traiectione omnino opus hic esse existimem. Et ne quid dissimulem, non-

dum sane mihimet ipse, nec alii in vers. 23. satisfecerunt. Sensus quidem hic esse debuit, quod Venus ipsa, quæ ex humido semine, et in humido nata elemento, virgines quoque suas rosas nupturientes humore gaudere voluerit. Quare nescio, an non versiculus iste tantopere depravatus, *Fusta prius de cruore, deque amoris oculis*; ita quam proxime sit constituendus, *Fusa Cypris de cruore deque amaris poculis*; vel, *Fusa, Cypris de cruore, de marisque poculis*; vel sane, *Fusa Cypris de cruore, deque Amoris offulis*. Nisi quis pro oculis, quos etiam Barth. ad Calpurnii Ecl. v. hic agnovit, sed metri ratio non patitur, ocellulis exigat. Nam et Venus, seu libido inde nata, ἡ γὰρ ὄψις λαβὴ τοῦ πάθους ἐστὶ, visus veluti ansa adfectus Venerisque est Stobæo Serm. LXXIV. Video tamen ab aliis præferri *Amoris oculis*; quæis florem hunc volunt coalescere, uti infra vers. 78. 'florum oculis' Amor vicissim fertur educatus; sed id Veneri accommodare nequibunt, de qua hic agi prorsus persuasi sumus. Unde neque istud *de solis purpuris* ita accipiendum, quasi illa ex conchylis modo nata esset; quod quidem Plauto non omnino imus denegatum, apud quem Rudente Trachalio servus Venerem ita adfatur, 'Te ex concha natam esse autumant, cave tu harum conchas spernas.' Sed de 'Solis cælesti ostro' præsumendum est, quod, Venere lucem ferente, sub auroram adparet. Hoc insigniter illustrat Rosæ matutinae istud jam tum laudatum Idyll. 'Ambigeres, raperetne Rosis Aurora ruborem, An daret, et flores tingeret orta dies? Ros unus, color unus, et unum mane duorum: Sideris et floris nam Domina una Venus. Forsan et unus odor: sed celsior ille per auras Diffusatur: spirat proximus iste magis. Communis Paphie Dea sideris et Dea floris, Præcipit unius muricis esse habitum.'

25 *Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea, Unico, marite, nodo non pudebit solcere*] Quemadmodum visum est Pithæo et Lotichio, atque Goldasto. Novus enim maritus tacitulus taxim uxoris solvebat cingulum, ut apud Nonium Varro in Γεροντοδιδασκάλῳ, et Lucr. lib. iv. vers. 1146. 'Validos Veneris perumpere nodos Difficile est.' Janus Douza: 'Quid si mariti-nodo, ut sit ὄφελον?' quod nec Lipsio, nec Pithæo, nec Weitzio video displicuisse. Sed si Rosam hic adloquitur Poëta, ut cum Salm. diximus, cum eodem quoque legendum erit, *Unico, marita, nodo non pudebit solcere*. Nam et Catull. in Epithal. Manlii et Juliae, 'Tibi Virgines Zonula soluunt sinus:' et ex eodem Varrone B. Augustin. de Civ. Dei lib. iv. cap. 11. adstruit, Virginensem Deam fuisse, cui virgines zonam solverent. Reliqua antea jam dum ad vers. 19. adlata sunt.

27 *Cras amet, qui numquam amarit; quique amarit, cras amet*] Cum in eo potissimum Nostris et omnium pervigilantium amatorum scopus præfixus sit, ut rudes cumprimis in amore puellas a lana ac tela ad otium, ferias, et voluptatem pertrahant, 'Ita ut ingenium est omnium Hominum a labore proclive ad libidinem:' ceu Terent. de Andria sua sensit; itaque cum meris floribus, gemmis, porpuris præcedanea stropha pluisset: ipsa jam Venus in ejusmodi lucum hortumque myrteum, ubi illa omnia abundarent, ad festivas choreas convocasse hic dicitur virgines; neve Amorem extimescere possent, eundem quoque feriatum, nudum, et inermem prorsus comitari Nymphas Mater voluit, qui nulla quidem re, nisi forte sua nuditate, lasciviores saltem lædere posset.

28 *Ipsa Nymphas Diva luco jussit ire myrteo, It puer comes puellis; nec tamen credi potest, Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit*] Hæc iterum

Lips. cum Pith. et Weitzio, cui 'vehere' hic est, recondita habere arma, sicuti Alcimus ad Fusciam sororem dixit, 'vehere ferenla.' Quo nomine haud usque adeo improbanda foret adnotatio Meursii in ora libri, *texerit*. Quamvis Scriv. secus visum, qui ex melioribus codd. Prudentii contra Symm. lib. 11. vers. 533. hanc citavit, 'Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva Vexere auxilium:' id est, tulere: alias 'Venere auxilio.' Atque sic sanior quoque Salm. explicatio, qua 'vehere' pro ferre et gestare ævo illo, quo vixisse putat Pervigilii Auctorem, dixit usitatum; ut apud Ann. Marcell. crebro: ex. gr. lib. xvi. 'Anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens.' Sagittas vero Amor idcirco gestare dicitur Servio ad Æn. 1. vel quia Amorem et libidinem sequitur punctura penitentiae et dolor; vel quia ipsa incerta velocesque sunt. Quam posteriorem rationem reddidit quoque Propert. lib. 11. Eleg. 12. 'Et merito hamatis manus est armata sagittis, Et pharetra ex humero Gnossia utroque sonat. Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem, Nec quicquam ex illo vulnere sanus abit.'

31 *Ite Nymphæ, posuit arma, feriat* est Amor, *Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est, Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne læderet*] Nam cum Orpheus Hymno ipsius habitus ita patefecisset, *Τοξολκῆ, πτερβεντα, πυρῖδρομον, ἦδὺν Ἐρωτα* Arciferum, *alatum, celerem, flammisque potentem*, celebrans Amorem: Palladas contra nudo insignia, potentiam animorumque motus significantia, addidit, *Γυμνὸς Ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ, καὶ μελιχρὸς ἔστιν, Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρρῶντα βέλη, κ. τ. λ.* *Nudus amor ridet, latatur et ille, nec arcus, Nec flammata gerit spicula, vel pharetram. Jure quidem recto florem delphinaque gestat: Continet huc terras, hac maris alta manu.* Sic in Psyches commento Apul. lib. v.

'Ante lectuli pedes jacebat arcus, et pharetra, et sagittæ, magni Dei propitia tela.' Cum ergo pro *nudus* antea legeretur *durus*, Scal. edidit *purus*. Sed Lips. et Salm. laudant istud Pith. *nudus*, et ad sententiam recte valere censent. Sic enim et infra vers. 56. 'Jussit et nudo puellas nil Amori credere.' Amor feriat et inermis, neu quid arcu, neu quid igne lædat, Cœlitem indicat Amorem, mitem, honestis cupiditatibus et viribus sacræ caritatis exultantem, antiquissimum numen, cui se naturæ debet æternitas, mortalibus liberos usitata conjugii pietate præstantem; non alterum vulgarium, inquietum, lascivientisque ætatis instinctu tumultuosum ac petulantem, telis funercis facibusque armatum, et incesta, libidines, adulteria et meretrices procurantem. Verba Quintil. Declam. xv. Et in illo, qui jam proximum sequitur.

31 *Sed tamen cavete Nymphæ, quod Cupido pulcher est: Totus est in armis idem, quando nudus est Amor*] Ita bene iterum Pith. judice Lips. Arma enim jam tum nominaverat, arcum, sagittam, ignem. Homo vero 'in' aut 'sub armis' vocabatur. Ut Virgil. 'S-det circum castella sub armis.' Quem imitatus et Prudent. adv. Symm. infra ad vers. 51. adducendus. Et Ennius, 'Levesque sequuntur in hastis:' pro, 'armatus,' et 'hastati.' Et hic est sensus Salmasio: Cavete Nymphæ vobis ab inermi et nudo quoque Cupidine. Quod enim pulcher est, totus est armatus, etiam cum armis exutus, et nudus est. Nam pulchritudo illi satis valida armatura, quam utique pro face et telo habet. Sic Prudent. Psychom. pugnam cum sobrietate describens Luxuriæ, 'Quæ cum *pervigilem* ructabat marcida cœnam sub lucem, quia forte jacens ad ferenla raucos Audierat lituos, atque inde tepentia linquens Pocula, calcatis ad

bellum floribus ibat. O nova pug-
nandi species! non ales harundo
Nervo pulsa fugit, frameam nec dex-
tra minatur: Sed violas lasciva jacet,
foliisque rosarum Dimicat, inspirans
labefacta per ossa venenum, Et male
dulcis odor domat ora, et pectora et
arma.' Cum ergo Scriv. scriptum hic
reperisset, *Totus est inermis idem*, ut
non modo sensui, sed et versui labo-
ranti mederetur, traiectione constitu-
endum locum putavit, et Salmasio
quoque adprobavit, *Est in armis totus
idem*: nisi quis ita velit: *Totus est
armatus idem*, aut simile quid, ut,
Neutiquam est inermis idem. Ipse vero
eum cererem, argutiolam geminam
hic adfectatam a nostro Auctore, ut
sicuti progresso Tetrastichio, Amo-
rem non feriatum et feriatum iisdem
verbis predicasset: ita eum ipsam
hæc quatuor proximis versibus nu-
dum et non nudum, item inermem,
nec tamen prorsus inermem, neutra
mutata voce dixerit: itaque lego,
*Totus haud inermis idem, quando nudus
est Amor*: hoc est; Licet videatur
aliqua ex parte exarmatus, haudqua-
quam tamen ex omni; nec totus ar-
mis exutus, sed vel in nuditate illa et
pulchritudine quibusdam adhuc muni-
tus et metuendus est. Ἀὐτὸν Ἄρη
γυμνή γὰρ ἀφώπλιστας Κυθήρεια: *Nuda
dearmasti Martem Cytherea vel ipsum*,
inquit Leonides in Anthol. lib. iv.
Tit. 12. et Moschus in Amore fugitivo,
Γυμνὸς μὲν τὸ γε σῶμα, νόσος δέ οἱ ἐμπεπύ-
κασται: *Nudum corpus habet, mentem
fallacia velat*. Anthol. lib. iv. Εὐδεις
ἀγρίππου ἐπάγων θηητοῖσι μερίμνας, Εὐ-
δεις ἀτηρῆς, ἃ, τέκος Ἀφρογενούς: Οὐ
πέυκην περὶ σσαν ἐπιρμένος, οὐδ' ἀφύ-
λακτον Ἐκ κέρως βέλλων ἀντιτόνοιο
βέλος. Ἄλλοι θαρσεύωσαν ἐγὼ δ', ἀγέ-
ραχε, δέδοικα, Μὴ μοι καὶ κνώσσων κικρὸν
δνειρον ἴδης: *Dormis, qui vigilans curas
inortalibus indis, Dormis, ut fili Spumi-
genæ indomite; Igniferam haudquaquam
fuculum erigis, aut tuo ab arcu Impro-
visa jacis spicula flæxibili. Sint securi*

*alii, sed ego timeo, improbe, ne vel Cum
dormis videas somnia acerba mihi*. Cu-
pido namque nudus pingebatur Phi-
lostr. Icone ejus, et simulacrum Cu-
pidinis nudi est apud Plin. lib. xxxvi.
cap. 5. Rationes vide Alexandr.
Probl. cap. 85. laudante quoque loca
illa Th. Dempstero additam. ad An-
tiq. Rom. lib. ii. pag. 138. Et infra
plura ad vers. 56. Atque hic obiter
in mentem venit Neronis, qui tan-
quam alter Veneris Martisque filius
crudelitate et libidine Cupidinem in-
perabat; nunc quidem voluptatibus
muliebribus totus immersus et ami-
cus, positisque veluti armis nudus et
mitis; mox resumtis Caesaris viribus
armatus, nec unquam ferians, sed vi-
rorum tam juvenum, quam senum fla-
gitia duri modis exsequens. Sicuti
illa omnia Petron. Satyrico suo vere,
non minore tamen cum flagitio reve-
lavit. De quo Julii ejusdem carmen
a Bineto Romæ in Vat. Biblioth.
mendosissime descriptum habetur,
quod cum a maximis viris nondum
restitui potuerit, hic perfecte adse-
rere et postliminio reducere sataga-
mus: 'Petroni carmen divino pon-
dere currit, Quo juvenum mores ar-
guit atque senum. Quartillæ prosa
gandet lasciva puella, At quoque de-
licias frigida sentit anns. Nam pa-
riter diri (*duri*) scripsitque Neronis
amici (*amantis*) Arbitr, arbitrio dic-
tus ita ipse suo.' Id est, Petronius et
vena Pœtica et vi pollet Rhetorica;
illa virorum fere vitia et circa Remp.
errata elnit et castigavit; hæc magis
scortorum annumque decrepitarum
Veneras expeditiones in soluta ora-
tione depexuit, Quartillam cumpri-
mis Priapi Sacerdotem cum virgini-
cula in maximum repente risum ef-
fusam, et mox Divo suo pervigilan-
tem exagitans. Sic enim Petron.
scribere gestiit, ut simul diri crude-
lisque Neronis illinc, at hinc ejusdem
amici atque mitis voluptuarii arbitri
jure possit, et suo quidem ipsius ar-

bitrio salutarī. Cæterum quum et versu hoc 34. et antecedenti 32. Cupido inermis feratur, qui saltem aliquantisper arma posuerit; mirum sane est, qui Deorum summus Jupiter plane exarmatus præsumi valeat, siquidem vindictæ foret studiosior. Plane igitur adversus majestatem Numinis est non arma deserere, sed ab armis deseri. Quemadmodum quidem communiter ita Nason. versiculus Trist. lib. II. in ore omnium sonat, 'Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Juppiter, exiguo tempore inermis erit.' Ubi Ms. Sophologium Jacobi Magni lib. II. Tract. 3. cap. 4. de Misericordia et Just. expresse præfert, 'mitis erit.' Quod opposite quoque versu sequenti respondet. Hic est enim sensus Ovidii, Si justitia divina prævalere deheret, tum Deus raro admodum vel numquam misericors esse posset: cum tamen et de consuetudine et de natura vel essentia Numinis sit, ut misericordiæ potius, quam justitiæ studeat; hinc sudum crebrius atque diutius cælum esse patitur, infrequentius tonat atque fulminat, idque exiguo temporis spatio: 'Nunc ubi detonit, strepituque exterruit orbem, Purum discussis aëra reddit aquis. Jure igitur genitorque Deum rectorque vocatur,' &c. i. e. ut Aecius in Bacclis etiam Trochaico reddidit: 'Sæpe splendet idem, ac idem nimbis interdum nigret.' Comparet mihi vero aliquis hæc ipsa cum illo 'inermis,' et minus cohærere hoc tetrastichon conspicabitur.

36 *Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. Compari Venus pudore mittit ad te virgines: Una res est quam rogamus, cede virgo Delia, Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus* In hac stropha adloquitur jam Deam silvarum, ut Ovid. Metam. III. vocat, seu Nemorensem illam Dianam, in Delo natam, ut abesse tantisper dignetur ab hoc luco, quem visitare virgines voluisset Venus.

Tametsi namque, (ut est in Secul. Catulli Carm. ad hanc Divam,) 'Dianæ foret in fide Puella et puer integer: Dianæ hinc pueri integri Puellæque canebant: O Latonia Maximi Magna progenies Jovis, Quam Mater prope Deliam Deposivit olivam: Montium Domina ut fores, Silvarumque virentium, Saltuumque reconditorum, Anniumque sonantum.' Nunc tamen eadem virgines et puellæ eandem veniunt rogatum Dianam, ut de nemore hoc paulisper, jureque suo cedens, det locum Veneri: non quod non eadem Nymphæ tam pudicæ essent, quam ipsa forsitan Diana; ipsas tamen teneriores regerit et molliores esse, quam quæ sanguinem et stragem ferarum in venatu ferre possent, alias ipsa quoque Venus Divam alteram facile pateretur. Quæ namque tempestivæ erant virgines ad nubendum, illæ in more habebant canistrum ferre Dianæ, &c. Interpres Theocriti Idyll. II. ad sesquiversum illum, Ἥλθ' ἅ τῶ Εὐβούλοιο καθηφρόρος ἕμμιν' Ἀναξὼ Ἄλσος ἐπ' Ἀρτέμιδος: Ad lucum Dianæ venit Eubuli filia cistifera nobis Anaxo. Ἐκανηφόρου δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ἔραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ θεῇ, ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθειρεσθαι: Diana canistros gerbant nubiles, quasi Dea pro virginitate respondentes, ne irasceretur ipsis in posterum corrumpendis. Indequè porro post hunc versum ultimum, alium in suo exemplari reperit Salmasius.

40 *Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret, Ipsa vellet, ut venires, si deceret Virginem* Pith. huc transtulit ex auctore Poëmatii de Herone et Leandro, Παρθένον οὐκ ἐπέκειν ὑποδρῆσαι Ἀφροδίτῃ, Παρθενικαῖς οὐ Κύπρις ἰάινεται. Innuit autem Pervigilii Auctor, quod ipsa Venus quoque Dianam cuperet adesse invitam sacris suis, si modo hæc quicquam cum Venere commune habere vellet, et a suo decenti pudore, atque severitate

virginali tale quid impetrare posset, præsertim vero, ut nocturnis hisce spectaculis interesset. Cum non raro auditum, *κέρην βία διαπαρθενευθείσαν ἐν πανύχισιν*, ut loquitur Heraclitus Epist. ad Hermodorum. Gellius quoque lib. xi. cap. 23. et Plaut. *Anularia* meminere vitiatarum noctu in Veneris Pervigiliis. Quamobrem et M. Tullius de Leg. lib. ii. nocturnas istas in Diis colendis pervigilationes post Aristophanem improbat, sanciendumque putavit, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat. Quare n pannychiis hujusmodi Augusti seculo juvenes abesse utriusque sexus jussi, nisi cum aliquo majore natu propinquorum. Unde sequitur,

42 *Jam tribus choros videres feriatos noctibus, Congreges inter catervas ire per lucos tuos, Floreas inter coronas, myrteas inter casas*] Ad hujusmodi festa Pervigiliorum tripudia videtur respexisse Venusinus, vel verius Romanus Lyricen, in Oda, 'Solvitur acris hiems grata vice Veris et Favoni: Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna, Junctæque Nymphis Gratia decentes Alterno terram quantiunt pede,' &c. Pervigiliumque hoc tam sollemne non adeo absimile videtur ludis secularibus, quos ilem Horat. ait fuisse, 'Ter die claro, totiesque grata Nocte frequenteis.' Et Politian. in versione carminis Sybillini de eadem re, 'Tum digna sedilia Divis Perque dies juxta et noctes multesima turba Completo.' Nam tum ad instar Cereris initiationum Pervigilia fiebant, ubi vero jam advenit festus dies, triduum, trinoctiumque sacris intenti in ripa ipsa Tiberis agitabant, quemadmodum verba sonant ejusdem Angeli de monte Pulciano in Miscell. cap. 58. Apud Arnobium quoque lib. v. hujusmodi sancta Pervigilia et Pannychia memorantur, ut et apud Livium lib. xxiii. tridua. Septiduanorum quoque Pervigiliorum apud Ægyp-


tios meminit Juvenal. Sat. xv. 'Cum magnæ gaudia cænæ Sentirent positis ad templa et compita mensis, Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem Septimus interea Sol invenit.' Illud quoque *ἐν παράδῳ* ire toties hic repetitum, non deambulationem modo, sed saltationem innuere, itaque et choros additum, ad choragium indicandum. Unde exteri, *entrar in danza*, a quibus et ipsas choreas 'intradis' dixere vulgo Musici. Sic Virgil. *Æn.* ix. cum præmisisset, 'Juvat indulgere choreis,' statim subdidit, 'Ite per alta Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.' Silius Punic. lib. viii. 'Ibant, et læti sanctum pars voce canebant.' Nam et juxta Arnob. lib. iv. fol. 89. Gentis illa genetrix Martiæ regnatoris et populi procreatrix, amans saltatur Venus, et per omnes adfectus meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bæchari. Id quod lib. ii. fol. 43. clarus prostituit: Ideiæo animas misit, cautionibus ut præirent obscænis numerositer, et scabillorum concregationibus sonoris, quibus animarum alia lascivens multitudo incompositos corporum dissolveretur in motus, saltaret, et cantaret, orbesque saltatorios verteret. 'Congrex caterva' hic, ut apud Prudent. 'segrex,' adjective. Est autem, ut in Glossis, *δύφυλος*, tribulis, *congrex*, gentilis. Anson. Epist. ad Paulinam, 'Congrege vulgo Augustas servare vias.' Quod vero sacrum cum rosarum floribus, et myrto Veneri inde Murcia diætæ, (prout U Latinorum, et T Græcorum eodem sono prolata,) factum, supra ad vers. 5. præmonstravimus. Sic quoque Ovid. *Fast.* iv. 'Numina vulgares Veneris celebrare puellæ: Cumque sua Dominae date grata sisymbria myrto, Textaque composita juncea vinela rosa:' et Horat. i. Od. 4. jam citata, post Veneris choros subdit, 'Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire

myrto, Aut flore, terræ quem ferunt soluta.' Servius quoque in Georg. II. Paphiam Myrtum Veneream dixit a Papho insula, in qua Venus colatur, cui myrtus consecrata sit, vel quod hæc arbor gaudeat litoribus, (unde Georg. II. 'litora myrtetis lætissima,') et Venus de mari dicatur procreata; vel, quod, ut Medicorum indicantur libri, hæc arbor apta sit mulierum necessitatibus plurimis.

Nec siccæ prætereundus est hoc loco mos ille vetus, honoris gratia dominis bene-merentibusque obviantium, quo totum iter floribus coronisque consternebant, ut Bagophanes Alexandro Babylonem ingressuro fecit, apud Curtium lib. V. Et Persæ vias omnes myrto sternebant, odoresque per vicos incendebant Susis, cum nunciatum esset, Xerxen Athenis potitum. Herod. lib. VIII. et Claudian. in Magn. 'Limina cinguntur festa frondentia myrto.' Apul. lib. IV. per plateas commeantem Veneream alteram populi frequenter floribus sertis et solutis adprecantur. Lucr. lib. II. 'Sternunt iter omne viarum largifica stipe ditantes, nunguntque rosarum Floribus umbrantes matrem comitumque catervas.' Uti quidem Caspar Gevart. ad Silv. Stat. Carm. II. vs. 20. una cum hoc ipso correxit, 'Serta ferunt, nec blandus Amor, nec Gratia cessat Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.' Quem locum et Claudianus fertur æmulatus in Nupt. Honorii, 'Nec miles, pluvix, flores dispergere, ritu Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.' Istud *φυλλοβολεῖν* videtur apud Pausan. lib. IV. Heliodor. III. Appian. Bel. Civ. II. Herodian. lib. I. Florum lib. II. Lucian. Dialog. Marin. Eurip. Hecuba, Sneton. Nerone cap. 31, et apud alios, quorum vel nomina libellum concinnaverint, veluti C. Barth. optime de literis nobisque adeo meritis Semo, ad Claudian. (quem nova plane iteratæ re-

ensionis indutum veste exspectat Orbis) censuit. Elmenhorstius multos ad Minutium quoque laudavit p. 70. Hesiodus etiam in Theog. statim atque *σπυμα* prodiisse Cyprumque pervenisse tradidisset Apiroditen Cyprigenam, circum herbas sub pedibus ejus mollibus erupisse atque crevisse adseruit, ἀμφὶ δὲ ποίη Ποσειν ὑπὸ βαδινούσιν ἀέξετο. Quorsum et illud Satyrici spectat, 'Quicquid contigeris, rosa fiat.' Scriv. cum hic a librario scriptum vidisset, *feriantis*; maluit scribi *feriantes*; non *feriutos*; quod Diana finito jam trinoctio haud veniret invitanda. Rectissime quoque feriari dicitur chorus Veneris. Nam et Diog. apud cognominem Scriptorem, τὸν Ἐρωτα σχολαζόντων ἀσχολίαν definitiv.

45 *Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus*] Id est, Apollo, qui Amoris discipulus dicitur Platoni in Conv. pag. 1190. et apud Stob. Serm. 61. in fine: quia quilibet, licet antea rudis, Poëta evadit, cum primum Amor eum adflaverit. Unde in eam deveni opinionem, quatuor elegantes Trochaicos alibi a nobis explicatos, et quos præter Lips. Barthius incomparabilis lib. LVI. cap. 5. ejusdem Auctoris, qui Pervigilii fuit, esse credidit, statim præcedaneo illi ita subjungendus: *Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus. Hic Apollo, deinde Liber hic videtur ignifer; Ambo sunt flammis creati, pro-satique ex ignibus: Ambo de comis calorem, vite, radio conserunt: Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.* Nullo sane modo sententiam impedi- rent, sed adjuvarent et explicarent melius. Præterquam enim, quod ad Pannychia illa lumine indigerent, aliqua etiam re tempus somnusque fallendus fuit. Unde Maro Æn. IX. 'Collucent ignes: noctem custodia ducit Insomnem ludo.' Accedebat et hoc, quod in minime siccis Pervigiliis Ἀρροδίτης γάλα esset οἶνος Aris-



toph. apud Atheu. et saturitatis abundantia libidinem creet Fulgentio Mythol. lib. II. Cumque juxta D. Hieronymum adver. Jovinian. lib. II. esus carniū et potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis sit; unde et Comicus, 'Sine Cerere,' inquit, 'et Baccho friget Venus;' pleno insuper ventri, qui plerumque in libidines despumat, caput quoque hilare nostratium parœmia impositum est, quod in carmina læta solvitur. Nam ut Aristoph. Interpres in Equitibus tradidit, *Εὐθάσει δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις ἀμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας, καὶ ὁ διαγρυπνίας μέχρι τὴν ἑω ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα.* Certamen apud priscos in Symposiis fuit Vigiliarum, ut qui vigilando auroram adtigisset, ille placentam auferret. *Das Weistels brodt.* Quare præsentibus Cerere, Baccha et Apolline.

46 *Decinunt, et tota nox est pervigilata cantibus*] Ita ego quidem. Non enim dubium est, quin in ista festiuitate Pervigili Musica prædominata fuerit, vocalis præsertim, sed et instrumentalis. Quod mensium vetus pictura in Fragm. Vett. Poët. Pithœi nobis insinuat: Ubi 'Sacra Dionææ referens sollempnia matri, Lascivus crotalis plaudit Aprilis ovans.' Quo ipso, scilicet, tempore hoc Pervigilium vernum actum est. Unde fortassis ad utrumque tonum tam cantillantium, quam scabillis, et crepitaculis æneis tinnientium exprimendum, haud male quoque legi posse crediderim, *Tintinant, et tota nox est pervigilata canticis.* Ita Arnob. lib. VII. p. 140. Quid sibi voluit excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? obdormiscunt enim Superi, remeare ut ad Vigiliās debeant? Lips. vero pridem hic in alia omnia abiit, legens, *Detument, et tota nox est pervigilata canticis.* Fatetur nihilominus ipsemet, syllabam hic præter vulgi morem productam, vitandi saltem Iambi gratia.

De verbo autem *Detument*, id est, tumorem et fastum Dii illi ponunt, effusi in jocos, et solitam Pervigilio hilaritatem: quamvis etiam Statius Papin. lib. V. vs. 468. non absimiliter ea voce usus fuerit, adhuc tamen idem Lips. deliberavit. Salm. porro ait, se non videre, cur vera non possit videri tam expressa vetustissimi cod. scriptura, *De tenente tota nox est pervigilanda canticis*; id est, 'Continenter,' 'uno tenore,' et ut Galli dicunt, *d'un tenant*, de uno tenente. Neque tamen negat scriptum, *Detinent et tota*, quod etiam Scriv. agnovit: qui et ipse, cum omnes in animo suo concenturiaret conjecturas, vanas omnes deprehendit, melius divinare jubens, qui se id posse speraverint. Quid vero speratu facilius, quid planius, quid aptius, quid propius Poëtarum Deum insequatur? quid choris tripudiantium, et consuetæ Pervigiliorum lætitiæ convenientius, quid ad somnum pellendum fortius, et melius faciat, quam *decinent*? Siquidem de nondum absoluto festo fiat sermo. Quamobrem non modo Pith. apud Lips. scripsit *nox pervigilanda*, sed et Salm. ad Trebellium Pollionem p. 303. legit, *pervigilanda canticis*, cum scriptum exstaret vet. cod. *pervigilanda*. Nam *βῆλας* et *βυλάτοπος* Græcia quoque recens, dubio procul e 'Vigiliis,' et 'Vigilatoribus,' pro Vigiliis, suxerat et struxerat. Inde ergo et 'pervigilare,' quod adrisit etiam Weitzio. Atque etiamnum hodie Senenses vocant *Verglie*, hoc est, Pervigilia, congregationem et adnationem illam, quam hiberno tempore viri fœminæque ad voluptatem et recreationem instituere post cœnam solent. Vide Thesaur. trium Ling. Tametsi nihil impediāt, quo minus pervigilanda expressis omnibus literis hic scribatur: cen Tacitus Ann. XIII. 'pervigilatam convivio noctem' dixerat. Similiter Maximiano, 'Hasta cluit Venneris pervigil obsequiis.' Et Galie-

nus Imperator ejusmodi Veneris Pannychium flagitans, lychnos pervigilare voluit, 'Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos: Omnia nocte vident. Nil cras meminere lucernæ.'

47 *Regnet in silvis Dione, tu recede Delia*] Videtur hæc cantinnulæ illius, quæ totam noctem perstrepuit, fuisse primaria portiuucula: quasi non Diana amplius, sed Dione debeat lucis hujusmodi præesse, et sola inibi in posterum dominari. Quamquam supra pag. 773. totum hoc Carmen bacchantium, et ad rythmum saltantium non prorsus negaverimus fuisse cantilenam.

48 *Cras amet, qui nunquam amarit; quique amarit, cras amet*] Licite, scilicet, ut explicat Tobias Magirus in Polymnemonie (qui undecies hunc intercalarem repetitum ipse quoque notavit, et adprobavit:) quod et ipsum verbum 'amare' involvit. Multum enim interest, utrum Amor cælestis, an Cupido, quem Plato vocat *δημῶσιον*, aliquem adflarit. 'Cupido inconsiderata est necessitatis, Amor judicii,' inquit Nonius; citatque Afranium: 'Amabit sapiens, cupient cæteri:' et Plant. Bacchid. 'Cupido te conficit, ane Amor?' et Curc. Act. 1. Sc. 1. 'Venus Cupidoque imperat, suadetque Amor.' Rationem moderati amoris addit ibidem Comicus, 'Nemo ire quemquam publica prohibet via, Dum ne per fundum septum facias semitam: Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine, Juventute, et pueris liberis, ama quod lubet:' hoc est, 'Elige, cui dicas, Tu mihi sola places.' Ovid. de Art. Am. Amandum itaque licite, non licenter; et moderate, non insane: alioqui si non ames, inbonesto igne flagrabis; si vero ames, calamitate et adversitatibus tamen hand carebis. Ut recte huc Arietinum Oraculum transferas e Gell. lib. VIII. cap. 8. 'Peribo, si non fecero; Si faxo, vapulabo.'

Quicquid sit, amores potius ampliandi, et odia restringenda. Ut non amicus modo, sed et amica e gemma vetusta verbis Rigaltii castigatis videatur aliquem ita adfari, EI ME ΦΙΛΟΥΝΤΑ ΦΙΛΑΕΙC, ΔΙCΘΗ ΧΑΡΙC· ΕΙ ΔΕ ΜΕ ΜΙCΕΙC, ΤΟΥCΘΟΝ Μ' ΟΥ ΜΙCΕΙC, ΟCΘΟΝ ΕΓΩ CΕ ΦΙΛΩ. Gruterus inscriptione ultima; quod ita vertebam: *Si, qui amo te, redamas, dupla est Charis; oderis at me, Non tam odisse potes, quam te ego diligere.*

49 *Jussit hyblæis tribunal stare Diva floribus: Præses ipsa jura dicit, adsidebunt Gratia*] Sic Jos. Scal. et Douza. Lepida hercle fictio est, inquit Lips. ut Venus in illo tribunali quasi præses quæsitore qui sit, Gratia adsestrices. A. Alciatus JC. Embl. L. illud agnovit, 'Tres Charites Veneri assistunt, dominamque sequuntur, Hincque voluptates atque alimenta parant,' &c. Quod e veteri quodam Epigr. Romæ adhuc exstante, traxisse illum statuit Claudius Minos, qui et ipse non minus, atque Pith. in sua Collectione pag. 124. hoc ita proposuit, 'Sunt nudæ Charites niveo de marmore: at illas Diva Columna suis ædibus intus habet.' et paulo post, 'Veneris turba ministra fuit. Inde alitur nudus placida sub matre Cupido, Inde voluptates, inde alimenta Dei.' Has utique Veneris et Liberi filias nunciavit Serv. ad Æn. II. quod per horum fere Numinum munera conciliantur Charites; quas alii, prout Placid. Luctat. Theb. lib. II. vers. 248. Veneris famulas scitati sunt, sicut et Claudian. Epithal. Palladii et Serenæ, 'Idaliæ juxta famulæ, triplexque vicissim Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.' Meminit quoque Phornutus, adsidentes Venerem sibi habere Gratias, et Suadelam, et Mercurium. Sicuti et apud Apul. eadem Diva Gratiarum choro stipatur, et toto Cupidinum populo comitatur. Quorum partem Weitzius etiam adnotavit, et illud, *stare*

floribus, ait esse 'oppleri,' 'ornari,' 'redimiri ac conspergi.' Sic Virgil. *Æn.* vi. 'Stant lumina flamma: id est, pleni flamma sunt oculi. et *Æn.* xii. 'pulvere cælum stare' valet oppletum esse pulvere. Tangiturque hic iterum illud vetustissimum honoris genus, non Romanis modo, et Græcis, sed et Barbaris, uti jam ostensum, frequentatum, quo Reges et Principes, victores præsertim reduec, dispersis floribus, sertis et solutis excipiebantur. Ovid. *Trist.* iv. *Eleg.* 2. de Augusto triumphaturo, 'Quaque ibis manibus circumplandere tuorum, Undique jactato flore tegente vias.' Similiter Porphyr. *Poëta Paganus.* Constantini Aug. 'Post Martios labores Et Cæsarium, parantes Virtutibus per orbem Tot laureas virentes, Et Principis tropæa: Felicibus triumphis Exsultat omnis ætas, Urbesque flore grato, Et frondibus decoris, Totis virent plateis.' Bene vero *adsidebunt* Seal. ut mox, 'Ruris hic erunt puellæ,' quas etiam 'adsidere jussit pueri mater alitis:' Nec aliter lex metri toleraret. *Hybla* porro cumprimis florilegio et inellificio celebratur, unde etiam ingeniosissimus ille Epigrammaticus Bilbicus lib. v. in Nomen Earini, Cæsaris Domitiani Eunuchi, ludens dixit, 'Nomen cum violis rosisque natum, Quo pars optima nuncupatur anni, *Hyblam* quod sapit, Atticosque flores.' Quorum, ut et ad *φυλλοβολίαν*, spectant et sequentes versiculi.

51 *Hybla totos funde flores, quicquid annus adtulit. Hybla florum rumpere vestem, quantus Ennæ campus est*] Prudent. *Hym.* xi. *Cathem.* Nato et adventanti Salvatore orbem vernantem, (quem mundum renatum, non verbo, aqua et spiritu, sed aëre tepido redivivum dixerat,) prodiisse obviam cum ostendisset, subjunxit ad eundem flores mittendi morem respiciens, et Virg. *Ecl.* iv. vers. 18. et seqq. imitans, 'Sparsisse tellurem reor Rus

omne densis floribus, Ipsasque arenas syrtium Fragrasse nardo et nectare.' Atque sic *Hybla* h. l. *totos*, id est, omnis generis flores, et quantumcumque vernus annus proferre valeat, jubetur in occursum Veneris et sociarum Venerum effundere. Est autem una *Hyblarum* ita dictorum montium in Sicilia, non procul ab Enno vel Enna, quæ in umbilico ejus est insulæ, Cereris olim templo nobilis, et nemore sacro, ex quo Proserpina fertur abrepta. Sic Arnob. lib. v. 'In nemore Ennensi quondam flores Proserpina virgo lectitabat.' In cujus raptu *Clandian.* lib. ii. 'Enna parens florum:' et lib. iii. ejusdem Ennæ roseæ convalles indignantur. Campus Ennensis utique in floribus semper, et in omni vernis die, ut scribit Solinus. Quin 'Ætna' quoque florulenta dicitur, atque interdum pro 'Enna' legitur. Quare sic ego suspicabar: *Hybla totos funde flores, quotquot Ennas (Ennus) adtulit. Hybla odorum rumpere messem, quantus Ætnæ campus est.* Ita et tautologia evitaretur, et verbum 'rumpere' non modo 'messi' bene conveniret, sed et hoc melius odoribus, cum perfectis jam fructibus aptabitur, quam floribus: veluti messis Sabæa Poëtis celebratissima. Haud absimiliter *Dracont.* vers. 317. 'Ibant per flores, per tota rosaria læti, Inter odoratas messes, lucosque virentes.' Virgil. *Georg.* i. 'Illius immensæ ruperunt horrea messes.' Atque hic *Ætnæ* quoque maluit Pith. quod planities ad radices montis Ætnæ floribus bene olentibus sit amœnissima. Nisi quis priore carmine præferat, *Quicquid Ensis tulit.* Quasi *Hybla* amne illo Siciliæ fœcundetur. Scriv. uti novus Alexander, nodum hunc Gordium, trajectis ita hemistichiis, solvi posse autumavit, *Hybla totos funde flores, quantus Ennæ campus est, Hybla florum subde messem, quotquot annus adtulit.* Non displicet quoque *Salmasio*,

nec Weitzio correctio doctorum, *Hybla florum rumpe* (vel *spurge*) *vestem, quantus Ennæ campus est*: hoc est, Quantum patet Ennæ campus, hunc sparge florum veste, ut totus nempe floribus sit vestitus. Adduntque, nihil certius eo esse, nam jucunda oppido tralatio est, eum terra gramine, floribus et segetibus amiciri quasi et indui dicitur. Virgil. Ge. II. vs. 219. 'Quæque suo viridi semper se gramine vestit.' Quod Cl. Marius Victor, in Genesis lib. I. et Aleimus lib. I. imitati, 'vestita est gramine tellus.' Atque sic Colum. 'ripas gramine vestitas' dixit. Ob. Gifanius ad Lncr. 'Vestis continet omne tegumentum.' Ita gramen, herbæ, segetes dici possunt vestes terræ. Pith. vestium nomine thecas et vaginas florum significari innuit. Nisi quis forte legere malit, *Hybla florum rumpe restes, quantus Ennæ campus est*: quod et Plin. 'allii restes' dixisset. Sed retineamus florulentas *restes*, quibus omni Salomonæa gloria pulchrioribus anlæis voluit exornari tribunal Venerum. Et sic Lipsius, *Hybla florum prome vestem, quantus Ennæ campus est*. Ex quo iterum intelligitur mos ille priscus, flores et ramos, atque etiam vestes, in ingressu triumphali spargendi, ut Matth. XXI. vs. 8. 'Ὁ δὲ πλείστος ὄχλος ἔστρωσεν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐν τῇ ὁδῷ· ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἔστρώννον ἐν τῇ ὁδῷ.' Ita Prudent. adv. Symm. lib. II. vs. 729. 'Quos spargam flores? quibus insertabo coronis Atria? quæ festis suspendam pallia portis? Immunis tanti belli, ac te stante sub armis Libera?' et Panegyristes in Theodos. 'Quid portas virentibus sertis coronatas? quid anlæis undantes plateas, accensisque fualibus auctum diem referam?' Claudian. Nupt. Honorii iterum, 'Tu Gratia flores Elige, tu geminas, Concordia, nocte coronas. Hi nostra nitidos postes obducere myrto Contendant,

lucos et flamma adolere Sabæos: Pars infecta croco velamina lutea Serum Pandite, Sidoniasque solo prosternite vestes.' Talis quoque Nympharum chorea sacra per orbis coronatos vicos oraculo, Chaleedone lapidi inciso, prædicta apud Amm. Marcell. Cedrenum et Socratem legitur, 'Ἄλλ' ὅτε δὴ Νύμφαι ἱερὴν κατὰ ἄστῦ χορεύειν Τερπόμεναι στήθουσιν αὐστειφείας κατ' ἀγνιάς, κ. τ. λ.

53 *Ruris hic erunt puellæ, vel puella montium; Quæque silvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt*] Ita legebam, ne otiose et odiose *montes* his statim repedarent. Intelligit enim præter Oreadas, ipsas quoque Naiadas, seu Nymphas proprie dictas. Nam et supra ad vs. 42. ex Horat. I. Od. 4. dictum, in sodalitiis chorisque Veneris junctas fuisse Nymphis Gratias decentes: ubi per Nymphas mulieres intelligi voluit Aeron, per Gratias Virgines. Atque eandem conjecturam nostram amplexatum quoque fuisse P. Scriv. postea comperi, non obstante Ms. et edita omnium expressissima scriptura, *quæque montes incolunt*. Atqui puellas montium adfuturas, jam præcedente versu (addit) dixerat. Nymphis vero illis fonticollis fere magis gaudet Venus, quam ipso Vulcanus et Baccho, uti ex Aurelii Symmachi Anacreontico de Campania liquet, 'Ubi corniger Lyæus Aperit superna vite; Vulcanus æstuosus Media coquit cavernis. Tenet ima pisce multo Thetis et Baïæ sorores. Simul innatat Choreis Amathusium residents, Salis arbitra et vaporis Flos siderum Diona.' Vel quoque pro *et* poni observavit Weitz. ex Salmasio, qui in Notis ad Capitolin. pag. 90. et 260. nec non ad Lamprid. pag. 184. multa exempla convasavit.

55 *Jussit omnes adsidere pueri Mater alitis, Jussit et nudo puellas nil Amori credere*] Ita Pith. pollicem prementibus Lipsio et Scal. atque Salm. nec contradicentibus Weitzio, Douza, aut

Scriv. Est autem *pueri Mater alitis* alma Cupidinis genetrix Venus, fugacis illius et fallacis pusionis, cui nec inermi fidendum ipsa quoque mater statuit. Nam ut ad vs. 34. supra adductus Moschi versiculum ad verbum prodidit: Corpore quidem nudus est Amor iste fugitivus, at mens illi tecta est. 'Sed cur nuda Venus, nudi pinguntur Amores? Nuda quibus placeat, nudos dimittat oportet.' Respondit Epictetus Hadriano. Cui ad stipulatur Porphyrius in Epigr. 'Nudus, egens, Veneris naufragus in Pelago.' apud Fabium Planc. Fulgent. lib. 11. Mythol. qui hoc corollarium adponit: 'Hunc etiam nudum pingunt, sive quod nudus sui adsectatores dimittat, sive quod libidinis crimen numquam celatum sit, sive quod nunquam nisi nudis conveniat.' Videtur autem Cupido, cum cautela audiendus, hoc Nymphis insinnare, quod in Fragm. Varronianis, dimidiatis verbis legimus, 'Parent vivere, quas sinit puellas Nunc ætatula ludere, esse, amare, Et polchrae Veneris tenere bigas.'

57 *Cras amet, qui numquam amarit; quique amarit, cras amet. Et rigentibus regentes ducat umbras floribus*] Scalliger. Codex quoque Pith. et Salm. habuit, *Et rigentibus vergentes*, aut *virentes*: nec aliud elici posse videntur, quam, *Et (vel E) recentibus virentes ducat umbras floribus*. Quid si vero legam, *Et rigentibus virentes?* ut apud Ausonium Monost. 'Annus ab exortu cum floriparum reserat ver, Cuneta vigent, nemus omne vi-ret.' Scriv. quoque versus intercalari statim illud, *Ex recentibus virentes*, &c. subdi cum vidisset, locum integrum, nec mutilum esse, non ausus est adfirmare. 'Inconcinna,' inquit, 'mihi hæc, et frigida admodum cum præcedentibus et sequentibus conexio, valdeque a lepore hujus Poëtæ aliena videtur.' Itane vero jam demum Auctor Pervigilii lepidus visus

est, qui alibi tam pinguis, crassus, et puerilis est culpatus, et contra Lipsii iudicium, (qui delicias ejus commendaverat,) plane insubidus? Amplector tamen, quoad locum hunc, tuum, Scriv. iudicium, et versum hunc trajectum et ipse crediderim, adque præcedaneam stropham ita referendum: *Jussit Hyblæis tribunal stare Dira floribus: Præses ipso jura dicet, adsidebunt Gratia, Et recentibus virentes ducet umbras floribus. Hybla totos funde flores, quotquot Ennus adtulit, Hybla florum subde veste.* Ut scilicet Venus cum Gratiis et Nymphis in loco et luo umbroso adsidere valeat mollius et melius. Atque ita quoque in principio statim, *Cras Amorum copulatrix inter umbras arboribus Implicat casas virentes de flagello myrteo, Cras Dione jura dicet fulta sublini throno. Cras amet, qui numquam amarit; quique amarit, cras amet.* Atque ad eundem plane modum porro succedens hic strophæ elegantius et firminus cohærebit.

Cras amet, qui numquam amarit; quique amarit, cras amet. Cras erit, quo prius ather copulavit nuptias, Ut pater roris crearet vernus annum nubibus In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis, Utque factus mixtus omnes aleret magno corpore] P. Pith. hæc fere ad eam faciem posuit, et Lipsius, qui tamen vs. 61. ubi *fluctus* prius exstabat, substituit *fluxus*, veluti apud Lucanum, 'Æther delluxit in Austrum.' Atque hos versus 4. etiamnum mendosos citavit quoque Barth. Advers. xvi. 60. et ad illos Olympii Nemesiani Eclog. 1. 'Omniparens æther et rerum causa liquores, Corporis et genitrix tellus, vitalis et aër.' Illisque Noctiani nostri idem Barthius, non minus ac Pith. et Salm. adludi putavit illos Virgil. Georg. 11. vers. 324. 'Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt. Tum pater omnipotens sæcundis imbribus Æther Conjugis in gremium lætæ descendit,

et omnes Magnus alit, magno com-
 mistus corpore, fœtus.' Indeqne
 Lips. vidit, hujus Trochæi auctorem
 non Catullum, sed Virgilio quendam
 esse posteriorem, quem hic expresse
 fuerit imitatus. Quo, ut apud Ruti-
 lium, nihil aliud capi adjicit Barthius,
 vir omni laudē major, quam Deum
 summum omnium Patrem mundo
 quasi conjugio permixtum imperare.
 Proinde Valerius Soranus apud Var-
 ronem, e nostra quidem correctione
 et distinctione rectissime, 'Jupiter
 omnipotens, Regum, rerumque Deum-
 que Progenitor, genitrixque: Deum
 Deus unus et omnis.' Et Ennii Tro-
 chæici in Epicharmo apud eundem
 Varr. 'Isthic est is Jupiter, quem
 dico, quem Græci vocant Aërem,
 qui ventus est, et nubes, imber post-
 ea, Atque ex imbre frigu', ventus,
 post sit aër denuo: Hic quod omnes,
 et sub hoc sunt ista, quæ dico Jove,
 Quique mortales et arva belluasque
 omnes juvat.' Eadem Enrip. dixe-
 rat, αἰθέρα, τὴν γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς
 ἐν ἀγκάλαις, κ. τ. λ. Quæ Cic. de
 Nat. Deor. lib. II. et Pacuv. in Chryse
 fusius interpretatur, (quem et Lucret.
 lib. V. secutus,) 'Hoc vide circum
 supraque, quod complexu continet
 Terram, id nostri memorant cælum,
 Græci perhibent Æthera: Quicquid
 est hoc, omnia is animat, format, au-
 get, alit, serit, Sepelit, recipitque in
 sese omnia, omniumque idem est pa-
 ter. Indidemque eadem, quæ oriun-
 tur, de integro æque eodem occi-
 dunt.' Hinc et Petron. 'Ideo quales
 fudit de vertice flores, Terra parens,
 quem se confesso vinxit amori Jup-
 piter, et toto concepit pectore flam-
 mas: Emicuerunt rosæ, violæque et
 molle Cyperum, Albaque de viridi
 riderunt lilia prato. Talis humus
 Venerem molles clamavit in herbas.'
 Scriv. post Salm. in membranis non
 crearet, scriptum reperit; atque hæc
 ita rectius eodem combinari tempore
 judicavit, *copulavit nuptias, Et pater*

totis creavit vernus annum nubibus;
 laudatque hanc Pith. lectionem, qua
 Æther Vernus pater dicitur, ut Ju-
 venal. Sat. V. 'fremere sæva cum
 grandine vernus Jupiter.' Quod
 deinde Pith. eundem 'Patrem roris'
 dixerit, illud Weitz. recognovit, cum
 apud Pind. Olymp. XIII. ὕδατα ὑμβρία
 παῖδας νεφέλης, aquas pluvias nubis
 filias nominari invenisset. Salm. non
 roris, nec totis, sed totum in suo cod.
 vidit, et integrum hunc locum ita ex-
 planavit: Cras, inquit, erit dies, quo
 primus Æther copulavit nuptias, et
 ut Pater totum annum creavit, id
 est, totius anni sæcunditatem per
 vernas nubes auspicatus est: *annum*
 dixit, ut initio hujus Pervigilii, 'Vere
 natus,' aut 'renatus annus est,' et
 pro anni fertilitate, ut Græci annum
 plus facere, quam arum dicunt, ἔτος
 ποιεῖ, οὐχὶ ἄρουρα. Quanquam et 'totis
 nubibus creare' non insulse, sed ad
 illam formam dictum videri queat,
 qua Imperator Galienus sponso in
 Epithal. adhortatus erat, 'Ite, agite,
 o pueri: pariter sudate medullis Om-
 nibus inter vos: totis pro omnibus, ut
 Sidonius, 'Ambitiosus Hymen totas
 tibi contulit artes:' et Porphyr. Poë-
 ta Paneg. antea recitato, 'Urbesque
 flore grato Totis virent plateis.' Idem,
 'Fastigia tota.' Quod præterea 'in
 sinum maritus imber fluxisse' dicitur,
 illud ante Virgil. Lucretius jam
 tum lib. I. extulit, 'pereunt imbres,
 ubi eos pater Æther In gremium
 Matris Terræ præcipitavit.' Nec
 non Colum. lib. X. de Cultu Horto-
 rum vs. 204. 'Maximus ipse Deum,
 posito jam fulmine, fallax Acrisio-
 neos veteres imitatur amores, Inque
 sinu Matris violento depluit imbri.
 Nec Genetrix Nati nunc adspersatur
 amorem, Sed patitur nexus flammata
 Cupidine Tellus:' et Arnob. lib. V.
 'Vos Jovis et Cereris coitum imbrem
 dicitis, telluris in gremium lapsum,'
 &c. et iterum, 'An injuria gravior
 ulla potis est reperiri, quam terram

et pluviam Jovis et Cereris dicere atque adpellare concubitum? et cum Deorum criminibus labem imbris e cœlo, et telluris significare madorem.' Ex opinione quidem Scytharum, qui (ut Herod. lib. iv. testatur) pluviam nihil aliud esse, quam conjunctionem cœli et terræ credebant. Hinc Stat. Silv. lib. i. ' ipsum in connubia terræ Æthera, dum pluviis rarescunt nubi-
bula, solvo: ' et Alcimus lib. i. ' largo fœcundans germina potu, Lympha maritavit sitientis viscera terræ.' Citat etiam hoc Pervigilium sub nomine Vet. Lat. Poëtæ J. L. de la Cerda ad Georg. II. p. 337. additque Claud. Marium lib. III. ' Rura maritat aquis: ' et lib. II. ' Tum se decoctis tellus pinguissima glebis In fœtus movit varios, quos imbre marito, Parturiens putri dissolvit rura meatu.' Accinit Nonn. Dionys. lib. III. a quo Nilus dicitur *ὄρυψς ἀκολυτης*, maritus humidus: et Ennodius, ' Erigitur genio tellus tumefacta marito, Natura in thalamis orbe tepente sedet.' S. August. Confess. lib. I. cap. 13. ad Deum ipsum hæc traustulit, ' O virtus maritans mentem meam et sinum cogitationis meæ, non te amabam, sed fornicabar abs te, et fornicanti sonabat undique Euge! Enge! Cumque vitium proderet vs. 62. male ambulans, *Ut fletus, &c.* Lipsius rescripsit, *Utque fatus.* Sed conjunctio copulativa sententiam non absolvit; Salm. igitur, quod vetus cod. præferebat, veram lectionem hanc adseruit, *Unde fatus mixtus omnes aleret magno corpore.* Quod e versibus Virg. adlatis deductum et ipse voluit. *Cras erit, quo pr. æ. copulavit nuptias,* ad eum modum dicitur, quo apud Martial. ' Cras te Cæciliane non vocavi: ' et Varr. ' Cras credo, hodie nihil: ' ut et apud Pers. Sat. v. ' Jam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras.'

63 *Ipsa venus atque mentem permeante spiritu Intus occultis gubernat procrea-*

trix viribus, Perque cælum, perque terras, perque pontum subditum, Pervium sui tenorem seminali tramite Imbuat, jussitque mundum nosse nascendi vias] Seminali tramite venas permeans spiritus. Ita Claudian. de Raptu Proserp. lib. II. ' Compellat Zephyrum: pater o mitissime Veris, Qui mea lascivo regnas per prata meatu, Semper et adsiduis irroras flatibus annum, In venas disperge meas et flamine largo Rura fove. Et glebas fœcundo rore maritat, Quaque volat, vernus sequitur color: omnis in herbas Turget humus.' Quod spectat etiam ad ' maritans imbres ' et ad vs. 14. ubi idem Favonii spiritus papillas Veneris inflare et imprægnari titillationeque sua tumorem in iis ad fœtus educandos et educandos aptum excitare dicitur. Nam et Catullo, ' Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni.' Doccebat Empedocles, mentem sacram, id est, Deum per universa diffusum vegetare, atque movere omnia. Nam cum rejecisset eorum traditionem, qui Diis humanam naturam adfinxerant, ita deinceps canit, citante Ammonio ad Aristot. ' Ἄλλὰ φρὴν λερὴ καὶ ἀθέσφατος ἐπλετο μόνον, φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσοῦσα θεῶσι. Nec Aristoteli quoque de Philos. lib. I. temerarie loquutus, sed præ aliis sapuisse visus, qui mentem in animalibus, omni que natura, sed et causam fuisse mundi, totiusque ordinis dixerit, atque sic non modo principium rerum hanc causam statuerit, sed talem causam, unde motus exstiterit, vel existat rebus. Sicuti et Senecæ Deus ' Mens universi ' dicitur. Illa Mens hic Veneris nomine insignitur, et nimis molibus versiculis delicatissimo Auctori decantatur, ut vult ingeniosus Barth. ad Claudian. nisi potius mentem mentis illius dicere lubeat Venerem. Turneb. ad Lncr. Advers. lib. XIX. cap. 15. observavit, non temere Poëtam illum, cum de Rerum Natura carmen pangere vellet, a Venere procreatio-

nis præside illud auspicatum, quod eam Deam Veteres Vere ad originem rerum, et animalium libidinem incitandam solitam esse terras et maria revisere, et maritare quotannis crederent. Ex eo scripsit lib. 1. 'Te Diva tuumque Significant initum perculsa corda, tua vi.' Traductus autem est iste locus de mundi anima ex Plat. sententia, vel a Colum. l. c. 'Nunc sunt genitalia tempora mundi. Nunc amor ad coitus properat, nunc spiritus Orbis Bacchatus Veneri stimulisque Cupidinis actus, Ipse suas amat partes et fœtibz implet, &c. Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus Ver agit: hinc hominum, pecudum, volucrumque Cupido,' &c. Vel a Virgil. Æn. VI. vs. 724. 'Principio cælum ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra Spiritus intus alit, totanique infusa per artus Mens agitat molem, et magno se corpore miscet. Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum, Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus. Igneus est ollis vigor et cœlestis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.' Eam ad rem vide notas Serv. Arnob. Adv. Gent. lib. III. et Macrobi. lib. 1. in Somn. Scip. c. 14. ubi hic ait, quod Deus unus omnium Princeps ac origo superabundanti majestatis fecunditate de se mentem creavit, quæ Patrem si respiciat, plenam similitudinem servet auctoris, hæc animam vero de se creet, posteriora respiciens: quodque rursus hæc anima partem, quam intueatur, indnatur, ac panlatim ingrediente respectu in fabricam corporum, in corporea ipsa degeneret. Hanc, animam ait habere purissimam ex mente, de qua est nata, rationem, quod λογικὸν vocatur, et ex sua natura accipere præbendi sensus, præbendique incrementi seminarium, quorum unum αἰσθητικὸν, alterum φυσικὸν nuncupetur, quæ con-

venientia sint caducis, uti primum vere divinum, et solis divinis aptum. Hinc igitur est, quod a Jove summo ad Venerem tandem devoluta hæc divina sit sententia, ab hominibus puta terrestria potius incrementa, quam cœlestem vigorem adfectantibus, a quibus rerum natura parens et elementorum origo initialis, et orbis totius alma Venus salutatur, ut Apul. Met. lib. IV. p. 156. sicuti et Naso Met. XIII. vs. 758. mirabundus exclamat, 'proh quanta potentia regni Est Venus alma tui!' Quamquam nec inconveniens Salmasii adpareat emendatio et interpretatio, *Ipsa venas atque mentem permeantibus spiritus Intus occultis gubernat procreata viribus*: id est; Ipsa intus procreata gubernat occultis viribus spiritus permeantibus venas atque mentem. Scriverii autem frustranea fuit divinatio, *Ipsa venus æque amantum permeante spiritu Intus occultis gubernat procreatrix viribus*: Ipsa Venus, inquit, creatrix, ut creator æther, &c. Non displicet tamen, quod idem ibidem corrigens subjunxit, *perque pontum subditum Pervia, in sui tenorem seminali tra-cite Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias*. Ubi 'seminali tramite imbui' idem valet, ac si genitali rore conspersa cuncta generationi adaptari, et procreationis ordinem discere dixisset. Est enim 'via' hic instructio, doctrina, ratio, ut apud Prudent. 'Senex fidelis prima credendi via est:' et in Apotheosi, 'Majestas de patre summo Imo animus pairis, et ratio et via consiliorum.' Sedulius Junior, 'Via datur nobis intelligendi, quia his, qui legunt, et non intelligunt, litera sola est credita.' Vid. Nob. Barth. Adv. lib. XLIV. c. 7. 'Pervius tenor,' et 'permeans spiritus' autem sic accipiendus est, prout Amorem Stobæus ex Orpheo cap. 71. fingit, Diis et hominibus colludentem, πάντων κληθῆσας ἔχοντα Αἰθέρος οὐρανόλου, πόντου,

χθονός. Quoque pacto Anson. de Venere, quod sit 'Orta salo, suscepta solo, patre edita cælo.' Menander apud Plut. de Audiendis Poëtis p. 21. "Απανθ' ὄσα ζῆ, καὶ τὸν ἥλιον βλέπει, τὸν κοινὸν ἡμῖν, δοῦλα ταῦτ' ἔσθ' ἡδονῆς. Quocirca gentes illi tanquam undique bouæ atque beneficæ Servatrici aras et monumenta extruxere. Sicut inter alia Romæ in Quirinali ad Oratorium Neronis talis adhuc Statua Veneris cum Amore et arca, atque hac inscriptione visitur,

ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘῶΙ
ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΕΥΚΛΕΙΑ ΕΤΕΡ-
ΓΕΤΗΙ

ΟΙ ΜΑΡΩΝΙΤΑΙ ΑΝΕΘΗΚΑΝ.

Descripsit Boissardus Topogr. Rom. f. 116.

68 *Cras amet, qui nunquam amat; quique amat, cras amet*] Mirum profecto est, cur Auctor Pervigilii Veneri crastinum toties amorem inculcarit, et non potius hodierno manum injiciendam suaserit, qui vel ipse sit incertus. Nam ut Martialis Carmen paulatim mutatum huc detorqueamus: 'Cras an ames? hodie jam sermum est, Posthume, amare: Ille sapit, quisquis, Posthume, amavit heri.' Atque idem Epigrammatarius lib. 1. 15. dixit, 'Non bene distuleris, videas quæ posse negari, Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum. Expectant curæque, catenatique labores: Gaudia non remanent, sed fugitiva volant. Hæc utraque manu complexuque adserere toto, Sæpe flumnt imo sic quoque lapsa sinu. Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam: Sera nimis vita est crastina: vive hodie.' Sed tamen, ni fallor, procrastinandum paulisper amorem Noster putavit, ne pecudum more statim irruamus, quo libido traxerit. Valebit utique et hic illud, 'Differ, habent parvæ commoda magna moræ.' Alias enim juxta Plant. Pœnulo Act. III. Sc. 1. homo amans quicquid agit, properat omnia, imo præcipitat, at-

que vel ideo sæpissime 'Errat, et in nulla sede moratur Amor.' Ovid. de Art. Am. lib. III. Εἴη δὲ καὶ ἐρῶν καὶ Ἐρωτὶ χαρίζεσθαι κατὰ καιρὸν: Fas esto amare et Amori tempestive gratificari. Scitum Pind. est apud Athen. lib. v. Nec enim de nocte, et ubi vino forte aliquis oppressus, amor occipiendus, sed in crastinum differendus est. Nocte latent mendæ, omnesque vaccæ sunt nigrae, quæ postea multis penitentiam attraxere; contra de mane consilium. Id vero Cu. Mattius inter veteres eruditissimus in Mimiambis suis intimavit in Corp. Vet. Poët. p. 473. 'Jam jam albicasit Phœbus et recentatur Commune lumen omnibus voluptasque: Quapropter edulcare convenit vitam, Curasque acerbis sensibus gubernare, Sinuque amicam recipere frigidam caldo, Columbatinque conserere labris labra.'

69 *Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit*] Ita Pith. et Salm. cum prius in Latino legeretur. Posset quoque scribi, ni fallor, *Ipsa Trojanos penates*. Quod vero Venus coloniam Trojanam in Latium duxisse hic dicitur, id per filium Æneam fecisse intelligitur. De quo est Vetus Adoniæ Carmen apud Terent. Maur. et Mar. Victor. antiquos Gramm. edit. Putsch. pp. 2431. et 2564. 'Troius Heros, Perdita flammis Pergama linquens, Exsul in altum Vela resolvit: Sæpe repulsus Ausone terra Mœnia fessis Sera locavit: Unde Latinum Post genus ortum, Altaque magnæ Mœnia Trojæ.' Lege, *Romæ*. Desumpti namque sunt elegantes hi versiculi e principio statim Æneid. Virgil. ubi 'Arma virumque canit, Trojæ qui primus ab oris Italian, Fato profugus, Lavinæ venit Littora, multum ille et terris jactatus et alto Vi Superum, sævæ memorem Junonis ob iram. Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum, Albanique

patres, atque altæ mœnia Romæ.'

70 *Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit*] Id est: Venus suo Æneæ Laviniam, Laurentem Regis Latini et Amatæ filiam, deponavit. Consulatur postremi libri Æneid. vid. et Maphæus Vegins, qui Appendicæ Æneid. inter alia sic loquentem inducit Heroëm illum Trojanum: 'Jam finis adest, hic meta malorum Stabit, et optatam Latia cum gente quietem Jungemus. Dabit inde mihi Lavinia conjux, Bello acri defensa, Italo cum sanguine mistam Trojanam transferre æterna in secula gentem.'

71 *Moxque Marti de sacello dat pudicam Virginem*] Iliam, ut Dion. Hal. vocat, vel ut Liv. Sylviam Rheam Vestalem, Romuli matrem. Quam sive historiam sive fabulam hirsutis suis versibus Enn. Ann. proluxe deduxerat, veluti de eo quoque Naso Trist. lib. 11. hæc prodidit, 'Utque suo Martem cecinit gravis Ennius ore, Facta sit unde parens Ilia, nempe, leges.' Per somnum vero oppressam volunt plerique, ceu P. Merula Ennii quoque convasator ad Annal. 1. versus illos, quos apud Cic. de Divin. lib. 1. reliquos ceruimus, eo retulit: 'Excitata cum tremulis anus adtulit artubus lumen, Talia commemorat lacrimans, exterrita somno: Euridica prognata, Pater quam noster amavit, Vires vitæque corpori meum nunc describit omne. Nam me visus homo poleher per ancœna salicta Et ripas raptare, locosque novos. Ita sola Post illa, germana soror, errare videbar, Tardaque vestigare et quærere te, neque posse Corde capessere: semita nulla pedem stabilibat. Exin compellare Pater me voce videtur His verbis: O Gnata, tibi sunt ante gerundæ Ærumnæ, post ex fluvio Fortuna resistet. Hæc pater effatus, Germana, repente recessit, Nec sese dedit in conspectum corde cupitus. Quamquam multa manus ad cœli cærnula templa Tendebam lacrimans et blanda voce roga-

Delph. et Var. Clas.

bam. Vix ægro tum corde meo me somnu' reliquit.' Quod Carmen inter Antiquitatis rudera pluribus explicuimus e Porphyr. ad Horat. 1. Od. 2. Sed Ovid. Fast. III. amœnioribus versiculis eadem est exsecutus: 'Mars quoque inermis eras: cum te Romana sacerdos Cœpit, ut huic urbi semina magna dares. Silvia Vestalis (quid enim vetat inde moveri?) Sacra lavaturas mane petebat aquas. Ventum erat ad mollem declivo tramite ripam: Ponitur e summa fictilis urna coma. Fessa resedit humo: ventosque accepit aperto Pectore; turbatas restituitque comas. Dnum sedet, umbrosæ salices volucresque canoræ Fecerunt somnos et leve murmur aqua. Blanda quies furtim victis obrepit ocellis: Et cedit a mento languida facta manus. Mars videt hanc: visamque cupit; potiturque cupita, Et sua divina furta scellit ope. Somnus abit; jacet ipsa gravis: jam, scilicet, intra Viscera Romanæ conditor urbis erat.' Huc facit et Prudent. contra Symm. lib. 1. vs. 174. 'Etsi Rhea sacram lascivi Martis amore Lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva.' Quicquid vero Noster hic de sua Dea jactitet, recte tamen Valer. Max. lib. IV. c. 3. 'Ii decimum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido sibi vindicaverit.'

72 *Romuleus ipsa fecit eum Sabinis nuptias, Unde Rhannec, et Quirites, proque prole posterum Romuli, patrem crearet, et nepotem Cæsarem*] Ita Lipsius. Quorum versuum argumento eadem Belgica Siren Carmen hoc Trochaicum in imperio Augusti natum comperit, et quidem sub extrema ejusdem Imperatoris tempora, atque post Virgilium. Pater enim hic Cæsar D. Julius est, nepos Augustus. Quæ ipsæ tam quæsitæ blanditiæ quomodo convenient, (addit porro Lipsius,) nisi in hoc ævum? Venus,

Cutul.

3 E

inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarumque nuptiis, quas Romulo jam tum regnante, (unde Romuli mater nequaquam hinc nata dicitur, vel legetur,) junxit, ut ex iis Rhamnes et Quirites crearet, et in postera secla utrumque Cæsarem, patrem cum nepote, propagaret. Rhamnes quid sint, apud Commentt. Horat. Acronem præsertim, lege ad istud in Arte Poët. 'Celsi prætereunt austerâ poëinata Rhamnes.' Id est, Equites et Nobiles Romani, distincti a Quiritibus, quorum nomen vulgus etiam promiscuum complectebatur. Cum enim Romanorum et Sabinorum gens, quæ Curibus debebat, misceretur, uno nomine 'Quirites' omnes adpellari cœperunt. Liv. lib. L. Scriv. tametsi legeretur in omnibus, atque adeo in suo quoque Ms. *Romuleas*, nec damnare prorsus illud posset, ipsi tamen concinnior et potior visa hæc lectio, exigente ita sententia, *Moxque Marti de succello dat pudicam virginem Romulumque: cum Sabinis ipsa fecit nuptias. Unde sanguis et Quirites, perque prolem posteram Romuli, mater creavit et nepotem Cæsarem.* Id est, Venus Marti et de concubina et filio prospexit, atque huic iterum Romulo ejus populo de conjugibus: unde genus et stirps civium Romanorum non modo continuata, sed et eadem serie eadem benigna mater Venus Cæsarem quoque per posteritatem Romuli procreavit. Sed quum ipsemet Scriv. immane suum et vix immune futurum facinus fateatur, quodque hæc lectio licet verisimilis, non tamen vera sit: maneat igitur in statu suo pristino illi ipsi versiculi, vel sane Lipsii amplexanda erit emendatio. Romulæ quoque nuptiæ non veræ erant, sed innuptæ nuptiæ, quia nec velato capite nuptæ nuptialiter fuerant Sabinæ: sed commune istud olim fuit omnis coitus vocabulum, non tantum legitimi ac justii. Paulus ex Festo, 'Pellicem, quæ uxorem ha-

benti, nubebat.' Et supra vs. 3. 'vere nubunt alites.' Quemadmodum quidem Josias Mercerus Pervigilium hoc nostrum Venereum jam citavit et explicavit ad Non. p. 128. Sabinæ quoque a severitate et castitate celebres, non prostituti pudoris conciliavit Romanis suis Venus uxores. Qua de re Liv. inspicere poterit, et Juvenal. easdem quoque tangit, 'Sit formosa, decens, dives, læcunda, vetustos Porticibus disponat avos, in-tactior omni Crinibus effusis bellum dirimente Sabina:' et Martialis lib. 1. Epigr. 3. 'Casta nec antiquis cedens Lævina Sabinis,' quas et lib. 1x. Epigr. 41. 'castas,' et lib. xi. Epigr. 16. 'horribiles,' 'simplicesque' lib. x. Epigr. 35. vocavit. Quod vero tantopere Cæsaribus adulati fuerint Poëtæ, tam C. Julio, quam Augusto adoptato illius nepoti, ejus rei ansam prior ipsemet subministravit amplam. Sic enim Sueton. Vita Julii narrat, eum adhuc Quæstorem Juliam amatam suam defunctam pro more laudasse e rostris; in cujus laudatione de ejus ac patris sui utraque origine sic ait retulisse, veluti non ad verbum modo, sed et ad versum primus jam referam: 'Amatæ meæ maternum genus ab Regibus Ortum est: paternum cum Diis immortalibus Conjunctum. Ab Anco Martio sunt Martii Reges enim, quo nomine huic mater fuit; A Venere Juliæ hujus gentis familia est. Nostro ergo generi inest et Regum sanctitas, Qui plurimum inter homines pollent, et Deum Cærimonia, in quorum potestate hi regunt.' Quod postea alii adriperunt, et illum ipsum Julium post necem, cum statim Cometes adparnisset, inter sidera et Deos collocarunt, atque familiam Juliam consecrarunt. Sic Manil. lib. 1. 'Venerisque ab origine proles Julia descendit cælo cælumque replebit, Quod regit Augustus socio per signa Tonante.'

75 Cras amet, qui nunquam amavit;

quique amavit, cras amet] Multos quidem a connubio et amore legitimo absterret, quod nesciant, quid vesper serus crasque velat, quoque modo se cum familia alere debeant: Quibus Prudent. Psychom. vs. 615. regerit: 'Nec te sollicitet res crastina, ne cibus alvo Defugerit: redeunt escæ cum Sole diurnæ. Nonne vides, ut nulla avium cras cogitet, ac se Pascendam, præstante Deo, non anxia credat?' Id quod et sequens stropha significare videtur, ubi vere communis mater etatrix terra, Deo sic Jubente, omnes alere, fovere et educare, atque propagare quoque cernitur, non homines modo, sed et bruta animalia, atque lætum alitum genus, ceu ultima tandem stropha concluditur. Hinc Ovid. Fast. 1. 'Nunc fœcundus ager: pecoris nunc hora creandi, Nunc avis in ramo tecta Laremque parat.'

76 *Rura fœcundat voluptas: rura Venerem sentiunt*] Omnes quidem ita communiter præter Scriv. qui posuit, *Rura fœcundat voluptas, Venerem rura sentiunt*. Sed vel in ista regione *Venerem* relinquamus Anapæsto, aut filium ipsius justo Trochæo succenturiemus, *Rura Amorem sentiunt*. Utpote cum vel ipse Amor post terram conditam statim ex illa natus feratur, ut nutu suo prodit, qui imminet.

77 *Ipsè Amor puer Dionæ rure natus dicitur: Hunc ager, cum parturisset ipsa, suscepit sinu, Ipsa florum delicatis educavit oculis*] Legente ita et distinguente Lipsio; quasi de Venere puera Cupido statim a terra velut a nutrice exceptus esset, ut Bacchus a Nymphis. Quo ipso obiter instillaretur istud, quod in more priscis sæculis fuit positum, natos infantes protinus in terram statui, et quasi cadere opera obstetricum, ut cælum suspicere inciperent, et casu terrenæ calamitatis primordia libarent. Stat. Sylv. lib. 1. etiam *Venerem* ita fabulantem in Epithal. Stellæ introducitur

vers. 111. 'Tellure cadentem Accepi fovique sinu.' Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 12. Fatuam vocatam notat, quod infantes partu editi non prius vocem edant, quam terram adtigerint. Videatur Forcatulus in Cupidine *Jarisperito* cap. 21. Mihi tamen versus 78. lectio vulgata probatur magis, *Hunc ager cum parturiret, ipsa (Venus) suscepit sinu*. Ex illo namque Maroniano (cei vocavi) Archetypo expressum, 'Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus.' Quippe non Sappho modo Poëtria Cupidinem Cæli Terræque filium existimavit, sed et Hesiod. Theog. principio, atque Aristoph. Avibus eundem Deorum pulcherrimum et splendidissimum, statim post Chaos et terram, ex eadem, vel ab eadem posito Zephyrio ovo prognatum fuisse, ipsumque cum Chao mistum, omne Deorum genus ex illo excitasse tradiderunt. Quo de Cælius Rhodiginus lib. xvi. cap. 25. adde Plat. Conviv. pag. 1179. C. Themist. Orat. vii. pag. 176.

80 *Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet*] Ordine haud injucundo a genere ad speciem, et semper ad specialiora, atque tandem ad singula animalium genera, et tantum non ad individua, sceptrum Veneris et Amoris pronò capite adorantia, progreditur Auctor noster. A versu namque 61. ad sequentem stropham imperium cæli, terræ, et maris cum ipsi tribuisset; inde quantum in ipsa Orbis Domina Roma semper et singulis quasi temporibus, prisco, meliori, et augusto vel Augusteo valuisset Venus, disertissime nuccavit. Mox, urbe relicta, in stropha penultima rus se contulit, in primam Cupidinis incunabulis nobilem sedem et primariam semper aulam. In extrema vero parte hac, ab arvis ad prata et silvas iterum digrediens, summatim tandem Veneris atque Amoris potentiam per singula definire, atque illud Virgil. Georg. iii vers. 242. inculcare

voluit: 'Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque, Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres, In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.'

81 *Ecce jam super genistas explicant agni latus*] 'Aut ego me amo, aut Phœbus me amavit, cum sic correxi,' inquit Lipsius. Nec sane significantius exprimi potuit decubitus ille ovium in latus quasi apricantium. Id enim solent super genistas, myricas, et humiliores frutices. Salm. neque agnos, neque hædos hic recipit, quod verbum 'explicare' non convenire videatur minutis animalibus: addo, multo minus apricationi præviæ venereæ copulæ et conjugalis fœderis, de quo hic sermo. Vetus scriptura cum haberet TAONI vel TAORI, ceu N. et R. sæpe permutantur, TAURI utique legere visum Pith. impense quoque favente Salm. Scriverio tamen pro tauris præponderarunt vaccæ, juxta illud Calpurnii Ecl. 1. iisdem prorsus verbis, 'Cernis, ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ Molle sub hirsuta latus explicere genista.' Quæ ipsa genista frutex est, quem incubitu suo premere agnus et hædus haud in proclivi possit, notante quoque Salm. Barthius nihilominus ad Calpurnii locum postquam citasset et hunc Pervigilii versum, in lectione Lipsii nihil immutandum censuit, uti nec Tanbm. ad Culicem; utriusque AONI servati.

82 *Quisque cætus continetur conjugali fœdere*] Non placet hic Salm. illud, *Quisque tutus continetur*. Eoque minus Scriverii impurum *udus*, quod vel ipsum explicare puduit. Amplectimur igitur illud, quod hic Lips. iterum cum Pith. quorum posterior quum videret, singularem scqui enumerationem, et repetita particula *Ecce*, particularem indicationem, quinam cætus conjugali fœdere contineantur, taurorum et vaccarum, ovium et arietum &c. itaque paulo generaliore

hunc versiculum præponi, atque versus 81. et 82. ita permutari jussit, *Quisque cætus continetur conjugali fœdere: Ecce jam super genistas explicant tauri latus*. Et sic melius statim conjungetur cum sequenti.

83 *Subter umbras cum maritis ecce balantum gregem*] Virgil. Georg. 1. 'Balantumque gregem fluvio mersare salubri:' atque Idem Eclog. VII. eadem metaphora usus, 'Vir gregis ipse caper.' Qua et Theocr. τράγων ἀνέρα τῶν αἰγῶν, et Horat. 1. Od. 17. 'olentis mariti uxores' capras dixerat: et Maro Georg. 1. de admisso, 'Quem legere ducem pecori et dicere maritum.' Cæterum hic subjungi et connecti deberet triga illa Trochæorum, ab Hieronymo Groslotio Douzæ communicatorum: *Ecce passerces salaces, ecce rauci turtures Hac super virente myrto nos amoris admonent. Cum puellis dulce inire vesti-contubernium*. Nisi Salm. cum Scriv. manifestum mangonium prodidissent, et ab eo prociusum qui primus edidisset, pari modo, quo M. Ant. Muretus civis Romanus Josepho Scal. et exinde Rittershusio fragmentis duobus, Trabæ et Accio veterum Scenicorum adfectis, pridem imposuit. Et Trabæ quidem Comici nomine e Philemone, vel e Menandro secundum alios, Εἰ τὰ δάκρυ' ὑμῶν, κ. τ. λ. translatum ita habet: 'Here, si querelis, ejulatu, fletibus Medicina fieret miseriis mortalium, Auro parandæ lacrumæ contra forent. Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent, Quam nænia præficæ ad excitandos mortuos. Res turbidæ consilium, non fletum, expectunt.' Alterum Accio ex Cœnomao adfectum a Mureto: 'Nam si lamentis adlevaretur dolor, Longoque fletu minueretur miseria, Tum turpe lacrumis indulgere non foret, Fractaque voce Divum obtestari fidem, Tabifica donec pectore excesset lues. Nunc hæc neque hilum de dolore detrahunt, Potiusque cumulum miseriis adji-

ciunt mali, Et indecoram mentis molitiam arguunt.' Sed in orbitam et ad lychnos Nostri Vigilis.

84 *Et canorus non tacere Dixit jussit ulites*] Nam quod ad vers. 2. supra adduximus, meritis suo 'Ver canorum' et vocale propter aves loquaculas, superata elingui veluti hieme, indigitatur Venant. Fortun. Hymno Paschali, 'Ad cantus revocatur avis, quæ carmine clauso, Pigrior hiberno frigore, muta fuit.' Et Manil. lib. iii. sub finem, tempus hoc amœnissimum et ipse in theatrum producens, eundem hunc versum 81. et antegressos ita circumloquitur: 'Tunc pecudum volucrumque genus per pabula læta In Venerem partumque ruit, totumque canora Voce nemus loquitur, frondemque virescit in omnem. Viribus in tantum segnis natura movetur.' E quo loco percipitur quoque, quod jam sequitur.

85 *Jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepuunt.*] Quod tamen e Virgil. Æn. xi. vs. 458. ductum est, 'Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.' Ubi 'raucus' in bonam partem accipitur juxta Serv. et explicatur quoque a Camer. Ὑπομν. Dec. v. cap. 1. De cantu porro cynorum multi multa, cum primis Gentilis adeundus et audiendus ad Bucol. Virg. Quemadmodum vero Auctor hic noster, quando generatim cum Calpurnio Ecl. v. præmississet, 'Incipiant quod Vere novo timire volucres;' speciatim cynum, et philomelam cum sorore subdidit: ita Auctor Carm. de Vere fine lib. i. Anthol. Πάντη δ' ὀρνίθων γενεῇ λεγύφωρος αἰεῖδι, Ἀλκυόνες περὶ κῆμα, χελιδόνες ἀμφὶ μέλαθρα, Κύκνος ἐπ' ὄχθασιν ποταμοῦ, καὶ ὅπ' ἔλσος ἀηδών. Quod, Vincentio Opsopæo vertente, est, *Et modo dulcicantum resonat genus omne volucrum, Halcyones circum flumina curva vagæ. Garrula formosis sub tectis cantat hirundo, In ripis cygnus et philomela rubis.* Nullus hic corax procrastinator, aut quæ

moveat cornicula risus, aut similes nigræ et sinistrae aves audiuntur, quæ pessime apud Venerem audiunt, Λώπτερος κύκων μικρὸς θρόος, ἢ ἐ κολοῖων Κρωγμὸς ἐν εἰαριναῖς σκιόναμος νεφέλαις.

86 *Adsonant Terei puellæ subter umbram populi*] Ita Pith. eleganter Lipsii sententia. Id est, Luscinia et hirundines sub arborum tegmine per noctem, et præcipue mane cantillant. Non temere igitur ad hoc Pervigilium Veneris adducuntur. Nam ut hirundo ὀρθρογόη, mane lugens, Pandionis, Hesiodo nuncupatur; ita Luscinia, ut apud Ambrosium legere est, pervigil custos, cum ova quædam posita corporis gremio fovet, in somnne longæ noctis laborem cantilenæ suavitate solatur, quo possit non minus dulcibus modulis, quam fotu corporis ova animare. Id quod apud Pith. Auctor Philomelæ pedibus devinxit. Plut. item de Solertia Anim. quærit, quæ musica lusciniarum, quæ hirundinum industria (scil. matutina) comparari possit. Adsonant autem hæ aves prolectante verno tempore et Venere. Nam et Plato in Phæd. animadvertit, avem nullam canere, cum esurit, aut friget, aliove quopiam doloris genere adficitur; non ipsam lusciniam, non hirundinem, non urupam, quas aiunt præ dolore canere. Ex sunt Philomela, Progne, et Tereus. De quibus Paus. lib. i. historicam veritatem ex ipsa fabularum caligine eruens, et metamorphoseos rationem illustrius reddens scribit, quod Tereus, cui Progne Pandionis Athenarum Regis filia nuptui data fuerat regnarit Daulide supra Chæroneam, et post adlatam Philomelæ vim et interentum a mulieribus Ityn sibi manus intulerit, in ejusque tumulto primum Urupa visa sit: quodque mulieres, cum Athenas confugissent, præ luctu et mœrore, ob ea, quæ passæ fuerant, contabuerint. Unde vulgata de iis fuerit fabula, alteram in lusciniam, in hirundinem alteram mutatam, quod

avis utraque miserabiles et luctuosos cantus edat. Et coniunguntur sane hæc sorores a Sidonio quoque Apoll. lib. II. Epist. 2. pag. 33. diluculo autem Philomelam inter frutices sibilantem, Prognem inter asseres minurientem auribus insonare, quam volupe est! Quem ipsum tamen ob locum verior Salm. visa h. l. scriptura e vet. cod. *Adsonat Tereî puella subter umbram populi*. Eamque lectionem omnino recipiendam esse sequentia docere voluit Scriv. Tereî namque conjux Progne versu 88. succedit, sed hujus soror Philomela virgo, 'puella Tereî' quoque Martiali, ut jamjam sequetur, cognominata, ab eodem Barbaro incestuose vitata præmittitur. Utque illa hirundo *ὄπωρόρφιος* tectorum laquearibus et cameratis asseribus trabibusque et inter homines conversari gaudet: ita hæc Philomela, juxta Homer. *Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκνοῖσιν*, fruticum et arborum, cumprimis autem populi densis delectatur umbraculis. Quod et Virgilius, quem Noster semper sequitur, Georg. IV. observavit, 'Qualis populea mærens Philomela sub umbra Anissos queritur factus.' Et Vespas. Stroziius Erot. lib. VI. 'Æmula divini suavissima carminis ales, Fingis in adventu carmina mille meo. Nec procul hinc densis canis abdita frondibus altæ Ilieis in ramo, populeisve comis.' Quare Ovid. in ipsa fabulosa transmutatione lib. VI. Fab. 7. de istis Tereî extorribus femellis canit, 'Altera tecta siliit quarum, petit altera silvas.' Quod *ἀδελον* illud de Vere citato jam tum v. ad 82. comprobavit ex Rittershusii versione, 'Vaga tecta fatigat hirundo, Littora olor, silvæque umbras resonantis ædon.' Exinde et ego aliquando utriusque mythologiam Epigr. sic ludebam; cum Ovid. Met. emblematis hujusmodi includerem: 'Quod Pandionia Tereî feritate sorores Versæ in aves; et amant hæc

nemus, illa domos: His Oratorum latet ars, germanaque Vatum: Garrat ista foro, dum canat illa Diis.' In secreto, scil. et recessu aliquo silvestri sibi Musisque placens, habitant enim Dii quoque silvas, quæ Poëtæ et lusciniæ juxta gaudent. Unde Martial. lib. I. Epigr. 53. 'Sic ubi multisona fervet sacer Attide lucens, Improba Cæropias effundit pica querelas.'

87 *Ut putes motus Amoris ore dici mus[co]* Adhuc quidem de lusciniâ sola sermo est, nec enim hirundinina garrulitas tam musicalis, tamque amabili flexu mobilis videri cuiquam poterit. Ut vel hanc quoque lectio illa Salm. in præcedenti versiculo magis adseratur. Et quamvis illi lingua præsecta prius fuerit, tamen ore suo nunc adeo dicaacula est, ut vere de illa, nescio quis, cecinerit, 'Quam natura dedit linguam, Philomela, recisa est, Ast aliam illius Di tribuere loco. Nunc hominum dulcescit enim bene flexilis auri, Qua nihil in cantu dulcius Orbis habet.' Sed brevius et melius Mart. lib. XIV. Epigr. 75. 'Flet Philomela nefas incesti Tereos, et quæ Muta puella fuit, garrula fertur avis.' *Φθρηγὰς ἰέισα πάσας, ἔς ἀηθοῦς*, inquit Eurip. Hec. Actu II. et Vives: 'Quid mirum dulciter eam garrere, quæ sit Attica, ubi etiam fluctus maris non sine numero adliduntur littori?'

Tametsi vero non injucunde de Philomela hie legatur, eam motus Amoris seu adfectus amantium ore facundo edisserere, et varietate sonorum totius artis Musicæ, varietatem quoque humorum et perturbationum exprimere: ita ut nunc continuo spiritu in longum æquabiliter sine mutatione trahat, nunc inflectat vocem: jam minutius et concisius cantillet: nunc intorqueat et quasi crispet vocem: nunc extendat, jam revocet vocem: alias longos concinat versus quasi Heroicos; alias breves, ut Sapphicos; interdum brevissimos, ut A-

donicos, animadversore J. L. Vives Exerc. Lat. ling. Dial. Vest. Exinde tamen nescio profecto, annon longe suavius hi duo versiculi continuata allegoria ita combinari et corrigi debeant, *Adsonat Tereti puella subter umbram populi, Ut putes modos Amoris ore duci musico.* Quasi hæc unica avicula omnes Archiphonasci sui Cupidinis modulos adeo ducitet artificialiter, ut non tam voce illam, quam fragili quadam dulcedine crispantes sibilos corneis edere organulis cum Fulgentio Mythol. autumes: vel potius ab una hac perfectæ musicæ sciente ave modulatum edi sonum quemcumque, plenum, gravem, acutum, crebrum, extensum, vibrantem, summum, medium, inum, atque adeo præmonstratam omnem hominibus artis hujus suavitatem cum Plin. non dubites. Ἀρχίστροφον γὰρ τὴν βοὴν διαπλέκει, καὶ γαργαλισμοὺς ὄργανοῖ κεκλασμένους Ἐκ τῆς ἐν ἀκμῇ γλυκυθρόου μουσουργίας, scribit Philes de ædone, quod Bersmannus ita effatus est, 'Versatilem nam cantuum necit sonum, Fractasque titillationes fabricat Peritia artis singulari Musicæ.' Idem et Anonymus quidam, non inamœnus tamen Poëta, apud Pith. in Prætermisiss Collection. Epigr. Vet. p. 607. cum Lusciniæ colloquens sensit, 'Sum noctis socia et sum cantus dulcis amica, Nomen ab antiquo sic Philomela gero. Vox Philomela tua et citharas in carmine vincit, Et superat miris Musica flabra modis.' Nec ambigo, quin ab Auctore priore Philomelæ, qui falso creditus fuit Ovid. unum et alterum ille traxerit, quando hic ita incipit: 'Dulcis amica veni noctis solatia præstans: Inter aves etenim nulla tibi similis. Tu, Philomela, potes vocum discrimina mille, Mille potes varios ipsa referre sonos,' &c. J. Gruterus quoque lib. III. Eleg. eandem ivit vian: 'Tu quoque, tu voluerum princeps, Philomela, quod olim Innumeris numeris es meditata

melos.' Ut vero ita versum hunc S7. rescriberem, Paulinus in Natali Felicis VII. ante cæteros stimulavit, qui sic Philomelam commendat ex correctione maximi et amicissimi nostri Barthii Advers. lib. VI. cap. 18. 'Unicolor plumis ales, sed picta loquelis, Nunc teretes rotat illa modos, nunc sibila longis Ducit acuta sonis, rursum quasi flebile carmen Inchoat, et secto præciciens sine quærelam Attonitas rupto modulamine decipit aures.' Quos ipsos Philomelæ modulatissimos modulos omnibusque numeris absolutam Musicam ad vivum auribus nostris adsonantem repræsentavit Plin. Hist. Nat. lib. X. cap. 29. Quem legens, Erythræo ad Virgil. vade, ita lataberis, ut non Plinium, sed Lusciniam ipsam in Lusciniæ descriptione te audire existimes. Eamque carmine scentis Musis non invitis Nathan. Chytræus in Auctario Maii, et Janus Tagant. Gallic. Poët. Parte III. a Ranutio Gero, vel potius Jano Grutero collectorum. E quo posteriore quædam huc pertinentia exscribamus, 'Noctes atque dies arbusta quoque integra cantu Lusciniæ rumpunt: tam parvo in corpore tanta Vox sonat et grandi queritur tua crimina luctu, Barbare Thrax. Questus dedit hancque injuria vocem, Quam modo continuam lacrimoso guttore miserens In longum trahit, inflexam modo murmure lento Multiplici variam gemitu variatque rotatque Arguta: intortam sollers modo copulat, aut nunc Concisam premit, ac brevibus distinguit epodis: Nunc densum, nunc grande sonat, nunc tinnit acutum, Crebra gemens, nunc ad medias adsurgit ab imis Vocibus: hinc summas validis modo vibrat et urget Spiritibus. Mox deinde silens, similisque dolenti Infuscat vocem, tacitisque immurmurat umbris. Mox fractos inter gemitus, iterumque cadentes, Integrat et pleno revocat sua carmina questu; Prolixam intendens animosis vocibus au-

ram : Unaque tot lituos tormentaque Musica vincit Garrula nativisque modis et simplice voce.' Atque hæc eadem instrumenta, seu ut Plin. quoque vocavit, tormenta musica miris modis temperata, erranti quasi digito perculit Venant. Fortunat. Hymni toties commendati vers. 30. 'Hinc Philomela suis attemperat organa cannis,' sed et somnum quoque in aëre refractum, acute finxit : 'Fitque repercusso dulcior aura melo.' Quod ipsum proprie est 'adsonare,' ut Echo solet. Quo loco nec me, nec calamum continere possum, quin Petri Lotichii Solitariensis argutissimum de Philomelæ musico cum sui vocisque imagine inito certamine adscribam figentum, 'Dum sedet ac dulces iterat Philomela querelas, Pendula qua vitreas arbor opacat aquas ; Alitis effigiem subjectis spectat in undis, Blanda que vicinis vox redit icta jugis. Illaque dum queritur, simul ipsa videtur imago Æmula sub ramo dulce virente queri. Dum stupet et vere volucrem putat esse quod uubra est, Et sibi divini carminis arte parem, Perstat et invidia mærens tabescit inani, Certa, nisi vincat, victa dolore mori. Omnia depromit discrimina gutturis, omnes Elicit, innumeris flexibus usa, modos. Postremo multas frustra dum certat in horas, Seque repercusso decipit ipsa sono, Unguibus et rostro simulacrum invadit, et alis, Inque necaturas inscia fertur aquas. Vidit, et exanimem vicino cespite textit, Triste genus lethi commiseratus, Acon. Addidit et titulum : Falsus quam perdidit error, Danlias hic viridi conditur ales humo. Infelix fatum ! Quæ laudis tanta cupido est ? Fallor, an et miseris nos imitatur aves ?' Haud male quoque *motus Amoris duci ab ore musico* existimandum est, quod de Hercule et Orpheo tritum est. Ceu egregie quoque declarant pauci quidam veteris cujusdam Christiani versiculi, quos in calce

Ms. Climacis seu Scalæ Joannis Axiagasti (qui inde vulgo Climacus et Sinaïta, quod in eo monte Abbas fuisset, cognominatur) Librarius adscripserat, 'Ἡ Μουσική μὲν Ὀρφῆως πάλαι λύρα. Ἕλληγες ἦν ἔφησαν οἱ Μυθογράφοι Ἄπαντα τοῖσι κρούσμασιν ἔλκειν ἀθρόως, καὶ θαῦμα ταύτην μείζον εἶναι θαυμάτων.

88 *Et neqes queri sororem de marito barbaro*] Prognen, scil. Philomelæ sororem. Quamvis enim plurimum causæ habere videatur ejulandi et querulandi de conjuge tam immani, tam incestuoso, et vere barbarissima Thracum gente oriundo ; attamen lætari potius, et, quod elapsa sit, jubilare eam dixeris. Nisi quis et hic quoque de Philomela adhuc continuari putet sermonem, ut apud Stat. Papin. gravissimum Poëtam Silv. lib. II. inter aves humanum sermonem conantes, non hirundo, sed lusciniâ poni merita fuit, 'Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili.' Hoc certum est, non satis liquere ex Fabula, in quasnam aves hæc sorores mutatæ fuerint. Homer. Odyss. T. narrat, quod Aëdon Pandarei, quem Latini Pandionem vocant, filia, vere novo in arborum densis foliis sedens, atque frequenter vocem personantem versans, filium luceat Itylum, quem alii Ityn vocant : 'Ἦτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολήχεα φωνήν, Παῖδ' ὀλοφυρομένην Ἴτυλον φίλον. Cujus opinionem et Ovid. Epist. Sapphus suffragari aiunt, 'Sola virum non ultra pie mæstissima mater Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.' Atque Idem rursus ad Liviam, vel verius Peto Albinovanus de Morte Drusi, 'Deflet Threicium Daulias ales Ityn.' Probus quoque, non reprobus Virgiliti interpres, prodidit Prognen in Aëdona, id est, in lusciniâ, et Philomelam in Chelidona sive hirundinem fuisse mutatam : id quod Aristot. testimonio Rhet. lib. II. fulcitur, ubi hirundo e Philomela virgine facta narratur ; et a Varr.

lib. iv. de Lat. Lin. adfirmatur, ubi lusciniola luctuose canens, ex Attica Progne in luctu facta avis dicitur. Chelidoni quoque seu hirundini linguam exsectam a Tereo Anacreon carm. xii. meminit. Nec Virgil. ablusisse videtur in Sileno: 'Aut ut mutatos Terej narraverit artus; Quas illi Philomela dapos, quæ dona pararit, Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis.' 'Atqui hoc Progne fecit,' ait Serv. in Bucol. ubi Erythræus rectius quidem dixisset, 'Atqui hoc pariter cum Progne fecit;' nam et apud Ovid. lib. vi. Met. Fab. 7. 'Ense ferit Progne, jugulum Philomela resolvit:' et post, 'Ityosque caput Philomela cruentum Misit in ora patris.' Verisimilius tamen est, magisque receptum, Philomelam in sui nominis avem, hoc est, in lusciniam, cujus Musica nihil amabilius, versam fuisse, ut scribit Sabinus Interpres Ovid. addita ratione, quod hæc iuter canendum crebro has voces edat: ΤΗΡΕΤΣ ΓΑΩΤΤΑΝ, conque-rens de Tereo, quod amputarit linguam: sicuti Tereus in Upupam mutatus, fertur, uxorem cum sorore persequens, et quasi adhuc filium quærens: ΠΟΥ ΠΟΥ, ubi ubi sit clamitare. Progne vero filium lugens miserabiliter sonare, ΊΤΥ ΊΤΥ, (qui ΊΤΥΣ seu Phasianus est pollutarum mensarum juxta Pausaniam in Phoc. maledictum exordium.) Quæ ipsa Varius ex Schol. Aristoph. et postea Erythræus atque Sabinus transcripserunt.

Quicquid sit, maxima injuria Philomelæ illata est a Tereo, vere proprieque barbaro, quare et illa magis, quam Progne lugere auditur. Nam et sic Attius vetustissimus Poëta in Tereo apud Nonium, Merula emaculante, 'Tereus indomito more atque animo barbaro Conspexit in eam, amore vecors flammeo, et Depostus facinus pessimum ex dementia Con- fugit.' Linguam vero, antequam

præscinderet, ita apud eundem prius adfatus est, 'O suavem linguæ sonitum, et o dulcitas Conspirantis animæ.' Intelligatur sane per Terei puellam lusciniā, symphoniaca ales, et amatoria, tum profecto et hic versus 88. de eadem erit capiendus, et mea quidem sententia ita perscribendus, *Et nages queri* (eamdem scil. Philomelam) *Sororis de marito barbaro.* Nisi quis *Sorori* malit, quod et nobis potius visum, ad eam plane faciem, qua iterum Statius Epicedio Patris dixerat, 'Murmure trunco Quod gemit, et duræ queritur Philomela sorori.' Id enim Fabulæ magis et rei convenit, ac si lusciniā hirundini, æque matutinæ avi, et germanæ quasi, suum infortunium narret, et conqueratur. Unde Pallad. Anthol. lib. 1. tit. 60. et H. Megiserus, Τητε πανημέριος, Πανδιονί κάμμορε κούρη, Μυρομένη κελαδεῖς τραυλὰ διὰ στομάτων; Ἦτοι παρθενίης πόθος ἔκετο, τήν τοι ἀπήυρα Ὀρηίκιος Τηρεὺς αἰνὰ βιασσάμενος: *Cur totos, Philomela, dies, miseranda puella, Consumis tristes flens iterando sonos? Virginei an floris tantum te macerat ardor, Incestus Terei quem male carpsit amor?* De unica ergo ave tres illi præcedentes versiculi, non de avibus sororibus loquuntur, id quod vel hic, qui jam instat, docebit.

89 *Ille cantat, nos tacemus: quando ver venit meum? Quando faciam par, ædon, ut tacere desinam*] Sic equidem tentabam. Nam cum Lips. recte in præcedentibus duobus notam rogandi deleverit, in hoc tamen versuum pari relinquere illam cum Pithæo omnino debuerat. Nec enim plane præter causam toties signum illud irrupisse credendum est. Quærit ergo Pervigilii Scriptor: Numquid non et ipse aliquando ver suum pariter, ut cætera animalia, habiturus, ejusque adventum percepturus sit? cumque multis carmen Philomelæ commendasset, eam ipsam porro adloquutus interrogat: et quando tandem ipsi quoque,

vetero et torpore hiberno omni excusso, responsurus, et paria facturus esset, tam amœna præsertim anni tempestate. Atque sic quoque ille, quisquis fuit, Auctor Carm. de Philomela apud Pith. adfatu Luscinia illud conclusit, 'Porridge dulcisonas adtentis auribus odas; Nolo tacere velis, malo tacere chelyn.' Ubi mendose legebatur, 'Volo tacere cypis.' Mens autem ejus hæc videtur, quod cantor ille malit suam chelyn requiescere, quam Philomelam tacere. Contra Noster alternis Musicam avis et hominis, atque ita suam quoque audiri cuperet, saltem ne perpetuo tacere cogeretur, sed quoquo modo ipsemet avem quoque ageret et repræsentaret. Pari sane clausula finitur verni temporis descriptio in Anthol. lib. i. C. Rittershusio interprete, 'Cum cantu perstrepat ales; Quidni conveniat cantare hoc tempore vatem? Quis taceat, dum cuncta vigent, dum cuncta loquuntur?' Videtur autem ibi Græcus Anon. hos duos Vatem et avem ita voluisse contendere invicem: Πῶς οὐ χρὴ καὶ ἀηδὸν ἐν ἀέρι {ἀοιδὸν ἐν εἴαρι} καλὸν ἀεῖσαι; Nec de nihilo est, quod Dionys. quoque, sub imperio Augusti orbem habitabilem qui descripsit, de Cycladibus meminit, quod gratulatoria sacra Apollini choreas quotannis ducant universæ iacenti dulci primum vere, quando in montibus proenat ab hominibus fœtifficet dulcissima lusciniæ: Ῥύσια δ' Ἀπόλλωνι χοροῖς ἀνάγουσιν ἅπασαι Ἀρχομένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος, εὖ τ' ἐν ὕρσσειν Ἀνθρώπων ἀπάνευθε κύει λιγύφωνος ἀηδών. Quod si vero audax nimis alieni videatur nostra hæc emendatio, quod *chelidon* in *aëdona* mutata sit, illi adeo mirum videri non poterit, cum Philomela aliis quoque nunc in hirundinem, nunc in lusciniam, ut antea dictum, conversa perhibeatur. Nec etiam tam longe a scriptura priore secessum, cum in cod. Pithæo-Lipsiano ita legeretur, *Quando faciam*

ut celidon, ut taceret desinam: unde alii Petronii Editores fabricaverant, *Quando facit muta chelidon*. E quo Pith. ac Weitz. legendum duxere, *Quando fiet muta chelidon, et taceré desinam?* Quod τὸ *facit*, ceu Goldastus, Lotichius, &c. habebant, metri ratio non admitteret. Quasi vero in tertia regione pædia Dactylum æquiore animo toleraret. Quocirca vel hic quoque mallet: *Quando fiet muta aëdon?* Hæc enim cantum suum temporis aucto æstu finit, ubi hirundines hieme demum conticescant, ceu ipse quoque Weitz. animadvertit. Cur ergo Poëta noster tamdiu differre Carmen, et voluptatem suam debebat, qui post hiemem jam exactam, non quando iterum ea ventura esset, sed potius, quando ver sibi quoque jam venisset, inquirebat. Itaque optat, ut mature cessante Philomela, ipse quoque canat, nec semper taceat. Quorsum videbatur spectare, tametsi contrarium, Vetus Epigr. apud Pith. in clamosum et furiosum Pygmæum: 'Corpore par merulis, es par clamore cicadis. Hinc differs, quod te tempora nulla vetant. Dum loqueris, quærunt cuncti, vox cujus ab ore? Atque sonum alterius corporis esse putant. Miramur, tantum accipiant qui membra furorem, Ut sit forma levis, clamor et ira gravis?' Ita quidem Fr. Juretus, adplaudente Opitio, in primo versu pro 'querulis' reposuit. Sed ipse, ni syllaba secunda vetet, crederem scriptum fuisse, 'Corpore querquedulis es par, clamore cicadis.' Si qui tamen *chelidon* vocem mutari minime velint, sicuti et patriæ meæ decus Barth. Adv. lib. iv. integro ferme cap. 6. honoratum nomen hirundinum a multis adfectatum, Poëtisque præcipue tributum, e variis ostendit. Illi hanc fortean Pervigilatoris sententiam fuisse putaverint; quod cum cantillante artificiosissime Philomela ipse Poëta stupore quasi conticescat, propterea, quod illam

amulus nullo plane modo adsequi Carmine valeat, atque ideo alteram saltem ejus sororem Progenem vel hirundinem imitandam sibi proponat, quæ si non adeo dulciter, at diutius tamen cantet, quam lusciniæ, nec unquam fere taceat, sed semper trinset. Itaque facile versus e superioribus posset constitui, vel potius integre, unica saltem restituta postliminio literula, retineri, *Quando faciam {fium} uti chelidon, ut tacere desinam?* Quippe et Salm. cod. meliore lectitatum est, *Quando fiam ut celidon*: unde Salm. versui consulturus, integram vocem addendo fecerat, *Quando ego fiam ut chelidon*. Et ut tandem me expectorem, genio haud infausto, sed lubente dictatam puto hanc nobis emendationem, et ad mentem plane Auctoris cum præcedente versu revolutam jucundissimam recipiationem, *Illæ cantat: nos tacemus. Quando ver veniet meum? Quando fiet muta {facio mutuum} Aëdon: ut tacente te canam?* Ne quis vero in nobis accuset, quod nos in aliis reprehendimus, per nos sane legi posset *fiet mutuum Adon*, nam et apud Theocr. ἀδόνες pro ἀηδόνες, et apud Avicennæ Interpretem 'Audon' exstat.

Egregia vero et amœbæa avis et lyricinis permutatio! Nam et ipsæ lusciniæ audiunt aliquando intentione magna, et reddunt, vicibusque reticent. Visum quoque sæpe jussas canere cœpisse, et cum symphonia alternasse, narrante Plin. l. c. lib. x. cap. 29. Neque sufficiebat Poëtæ, optare modo, ut ipse tandem tacere desinat, nisi Phæbo quoque benigne adspiciente, Musisque adspirantibus modulate simul canat. Quare et nostræ huic ultimi verbi emendationi aperte et vocalissime favet.

91 *Perdidi Musam tacendo, nec me Apollo respicit*] Sic quidem malim, ut Apollo quinta regione exstet, quam Spondæus cum Phæbo: cujus rei mo-

nitor nobis fuit politissimus et literatissimus juvenis M. Jac. Thomasius. Nam et sic Ennius Thyeste, 'Et me Apollo ipse delectat:' et Pind. Od. Nem. v. ἢν φιλῆσ' Ἀπόλλων.

Duobus vero præsidii facultas illa Poëtica, uti acquiritur, bonitate igneæ naturæ et artis exercitio, ceu Horat. quoque inter alios censuit, 'Natura fieri laudabile carmen et arte,' &c. ita vicissim totidem modis contrariis inusu atque socordia et ingenio effæcto atque frigido amittitur. Quare Pervigilium quoque et hic et Venusina Juvenalis, vel Aratæa Cinnæ Incerna requiritur: sicut hic posterior cecinit, 'Hæc tibi Aratæis multum invigilata lucernis Carmina, quæ ignes novimus æthereos.' Præcipue tamen obtinet hic illud Cic. pro Archia, quod a summis hominibus et eruditissimis acceperat; cæterarum rerum studia et doctrina et præceptis et arte constare; Poëtam natura ipsa valere et mentis viribus excitari, ac quasi divino quodam spiritu adflari. Quod idem elequentiæ parens de Orat. lib. II. explicatius repetiit: 'Audi Poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse, et sine adflatu quodam furoris. Utrumque vero a Phæbo est.' Quare optime Stat. lib. XII. 'Vix novus ista furor, veniensque impleisset Apollo.' Avienus Poëta grandis, 'Deus en Deus intrat Apollo Pectora, fatidicæ quatiens penetralia Cyrrhæ.' Sic Lucan. lib. VI. 'artus Phæbados irrupit Pæan, mentemque priorem Expulit, atque hominem tota sibi cedere jussit.' Et Claudian. de Raptu Proserp. lib. I. 'Jam furor humanos nostro de pectore sensus Expulit et totum spirant præcordia Phæbum.' Item, 'Quis Musis, ipsoque licet Pæane recepto, Enarrare queat?' Rursus de Bello Getico vers. 598. Hinc et in tali ἐνθουσιασμῶ constituti Hesiod. et reliqui antiquissimi Poëtæ a Musis sua se Carmina accipere con-

menti sunt, inquit Barth. ad Claudian. jubens evolvere Lucian. Ita Virgil. Ecl. ix. 'Et me fecere Poëtam Pierides.' Persius contra, ut eo liberinis Poëtas ambituosos et jactabundos perstringeret, de se ait, 'Nec fonte labra prolui caballino, Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini.' Quod idem est, ac si cum Nostro dixisset, 'Quod nec Musas teneret, nec a Phœbo respiceretur.' Nam ut verba Scholiast. Pers. a Pithœo hic quoque ommissa, sonant, 'Dicitur, Pegasum equum alatum, ad Heliconis montem errando pervenisse, ibique sibi oppressum ungula fodisse: ex quo loco fons editus Musis fuit consecratus. Dicit autem de illis se non esse, qui egregii Musarum animi sunt, Nec somniasse in Parnasso bicipiti; Libero sacra Nisa et Cyrrha Apollini.' Unde Lucan. 'Cardine Parnassus gemino petit æthera colle, Mons Phœbo Bromioque sacer,' &c. Emphaticum quoque est verbum 'respicere,' et numinibus proprium, quæ respicientia fingeantur, cum favor eorum indicatur. Ut: 'Dii nos respiciunt,' Terent. Phorm. id est, diligunt: et in Andr. 'nisi quid Dii respiciunt, me et te perdidit.' Virg. Æn. iii. 'Si qua pios respectant numina, id est, propitia sunt. Cic. ad Attic. 'Nisi quis nos Deus Rempublicam respexerit.' Vates vero cumprimis desiderant, ut ipsos Phœbus respiciat. Quamobrem Calpurn. vovet Ecl. iv. 'Te quoque facundo comitatus Apolline Cæsar Respiciat:' et iterum, 'Scimus enim, quam te non adspernetur Apollo:' contra idem, 'Te diversus Apollo despicit.'

92 *Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium*] Desid. Erasm. Roterodamus Adag. Chil. i. Cent. 9. 1. Amyclas silentium perdidit, versum hunc a se dilaudatum, probante quoque Scaligero, ita protulit, hoc superaddens, 'Meminit et Catullus (nisi fal-

lit inscriptio carminis) 'De Vere,' quod nuper nobis Aldus Manutius noster exhibuit in antiquissima quadam Galliæ Bibliotheca repertum.' Plura, qui velit, adeat Serv. ad ista Virgil. Æn. x. vers. 564. 'Tacitis regnavit Amyclis,' ubi historicam rationem hujus proverbii et duplicem quidem reperiet. Adlusit et Sil. Ital. 'Quasque evertere silentia Amyclas.' Item Lucil. 'Mihi necesse est loqui, nam scio Anyclas tacendo periisse.' Vide et Jan. Parrhas. ad Claudian. de Rapt. Proserp. lib. i. p. 48. Rader. ad Martial. lib. xiii. n. 110. Dalechamp. ad Plin. lib. iii. c. 5. Carol. Steph. in Diction. Hist. et Conr. Gesner. in Onomast. Haud inscite quoque Noster, postquam se ab Apolline non respici jam dixisset, exemplum Amyclarum subjecit, nam et illæ ab eodem Deo desertæ, cum antea in tutela ejus Numinis fuissent. Hiuc enim Stat. Papin. Theb. lib. i. 'Hujus Apollinæ currum comitantur Amyclæ:' et Claudian. de Rapt. Proserp. lib. i. 'Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas.'

93 *Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet*] Quum magnam partem felicitatis et sapientiæ in eo ponerent Veteres, ut quantum possent viri ab amore sibi temperarent; et vel penitus abstinerent, vel mature se inde retraherent: e diverso utrumque Noster Veneris Calator evincere cupit, ut et qui nunquam amavit, nunc amet, quique amavit, semper amet. Eadem mens est Sentii Augurini de Plin. Jun. in ejus Epist. 'Dum quærit, quod amet, probatque amari Ille Plinius, ille quot Catones? I nunc, quisquis amas, amare noli!' Quæ lectio quoque D. Barth. defensa lib. xxxv. c. 20. et totum Carmen paraphrasi donatum. Idem alius vetus Epigrammaticus apud Scal. in Catal. Virgil. lib. i. p. 20. sentit, 'Insanus vobis videor, nec deprecor ipse, Quominus hoc videar.

Cur tamen hoc videor? Dicite nunc :
 Quod semper amas, quod semper
 amasti: Hic furor? hic, Superi, sit
 mihi perpetuum.' Qui vero num-
 quam prius amarunt, illud Nasonis
 audiant, ' Venit amor gravius quo
 serius: ' et Soph. Ἐρωτι μὲν νῦν ὄστις
 ἀνταγίσταται Πύκτης ὄπως ἐς χεῖρας, οὐ
 καλῶς φρονεῖ. Ita in Varr. Epist. ad
 Fuffium suspicor legendum apud No-
 mium, ' Si hodie nænum venis, cras
 quidem adsis Veneris Pervigilio, ho-
 die natalis Fortis Fortunæ,' ut apud
 Arnob. lib. v. ' Lavatio Deum matris
 est hodie, Jovis epulum cras est.' Et
 statim, ' Telluris natalis est.'

Quumque supra p. 772. Carmen hoc
 Veri pariter et Veneri sacratum os-
 tenderimus, propterea quod Ver Ve-
 neris esset tempus, et hæc sine illo
 parum aut nihil esset; comparere hic
 volumus Cl. Barthii, idem plane
 nobiscum et honorificentissime de
 hoc Pervigilio censentis, imitationem,
 quam ad T. Calpurnii Ecl. v. versus
 illos protulit: ' Tunc etiam tota ver-
 nanti gramine silva Pubet et æstivas
 reparabilis inchoat umbras, Tunc flo-
 rent silvæ viridisque renascitur an-
 nus, Tunc Venus et calidi scintillat
 fervor Amoris.' Vide, inquit, elegan-
 tissimum Carmen, quod Pervigilium
 autumatur. Quem auctorem delicati
 Poëmatii nos aliquando æmulantes, in
 lib. x. Amabilium ita cantillavimus.
 Unde non saltem Pernocinator noster
 magis explanabitur, sed et lectionem
 mentemque illustris viri, quam secu-
 tus sit, edocebimur:

' Speculum Leporis alnum,
 Ver, pande humum rigentem.

Sine Vere nil Diona est.

Vere ingruente vita

Rediviva luce Olympi est.

Sine Vere nil Diona est.

Longo sepulta somno

Natura jam resurgit.

Sine Vere nil Diona est.

Genitabiles Favonii

Rerum excitant calores.

Sine Vere nil Diona est.

Aprilibus sub auris

Rosa mundus omnis una est.

Sine Vere nil Diona est.

Emortua ante florum

Nunc germina intumescunt.

Sine Vere nil Diona est.

Speculum Leporis almi

Ver Lusum dioptra est.

Sine Vere nil Diona est.

Ver Ludii chorea est,

Ver saltuum Iubido est.

Sine Vere nil Diona est.

Ver prata cum coronat,

Charites redire certant.

Sine Vere nil Diona est.

Amabiles Favonii,

Roscos rigate campos.

Sine Vere nil Diona est.

Reducite eleganti

Pede, Gratia, choreas.

Sine Vere nil Diona est.

Salisubsuli Lepores,

Speculum polite vestrum.

Sine Vere nil Diona est.

Labella saviorum

Sitiunt modo duella.

Sine Vere nil Diona est.

Papillula arrogantes

Oppressiunculas vult.

Sine Vere nil Diona est.

Tunicæ suopte motu

Jam subsilire pugnant.

Sine Vere nil Diona est.

Oculisque delicatum

Monstrare mox rosetum.

Sine Vere nil Diona est.

Et illud, illud, illud

Sed pulchra subticendum est.

Sine Vere nil Diona est.

Hebe rotunda ventre

Sitit Heremlem maritum.

Sine Vere nil Diona est.

Juventa virginalis

Phæbum expetit glabellæ.

Sine Vere nil Diona est.

Pandunt sinus papillæ,

Et ambiunt puellos.

Sine Vere nil Diona est.

Hortus tuus, Cythera,

Vult irrigari Amore.
 Sine Vere nil Diona est.
 Nemus maritum in imbrem
 Comam arborum resolvit.
 Sine Vere nil Diona est.
 Rosa vinculum resignat,
 Unguemque vult superbum.
 Sine Vere nil Diona est.
 Cupido prætor est: jus
 Edisserit juventæ.
 Sine Vere nil Diona est.
 Taurus, Leo, Tigrisque
 Agit suas choreas.
 Sine Vere nil Diona est.
 Cedat Diana silvis,
 Jam regnat has Cythera.
 Sine Vere nil Diona est.
 Cedat Salacia undis,
 Jam regnat has Cythera.
 Sine Vere nil Diona est.
 Cedat Jovisque Olympo,
 Jam regnat hunc Cythera.
 Sine Vere nil Diona est.
 Pan montibus, Palesque

Agris severa cedit;
 Et Faunus et Deorum
 Quod uspiam est honorum.
 Diona ubique regnat.
 Nullum Diona numen
 Regnare vult, nisi unum,
 Amabilem Priapum.
 Sine Vere nil Diona est.
 In Vere cuncta, cuncta
 In Vere jam Diona est.
 Atque hæc ipsa Barthiana Imitatio
 calcet mihi et ansam præbuit, ut sal-
 vis quorumvis judiciis et lectionibus,
 meam quoque mentem libere nunc pro-
 feram, et quo quidem modo totum hoc
 Poëmatum scriptum fuisse vel putem,
 vel optem: ita ut etiam post tertium
 plerumque versum intercalaris jucun-
 dissime intercurrat, raro post quar-
 tum aut quintum, et nihilominus ta-
 men singulis tam paucorum versuum
 strophis sententia quælibet argute
 absolvatur, quemadmodum ὑφθαλω-
 φανῶς ex sequentibus adparebit.

Ver novum, ver jam canorum, ver renatus orbis est:
 Vere concordant Amores, vere nubunt alites,
 Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
 Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, eras amet.
 Cras Amorum copulatrix inter umbras arborum
 Implicat casas virentes de flagello myrteo:
 Cras Dione jura dicit, fulta sublimi throno.
 Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, eras amet.
 Tuncque viro de superno, spumeo pontus globo,
 Cæculas inter catervas, inter et bipedes equos,
 Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.
 Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, eras amet.
 Facta Cypris de cruore, deque amoris flosculis,
 Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.
 Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus.
 Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, eras amet.
 Ipsa turgentes papillas de Favoni spiritu
 Mulget in fœtus latentes; ipsa roris lactei,
 Noctis aura quem reliquit, spargit humentis aquas.
 Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, eras amet.
 Emicant lacrumæ tremantes decidivo pondere;
 Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos,
 Et recentibus vegentes ducit umbras floribus.
 Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, eras amet.

Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ :
 Humor algens, quem serenis astra rorant noctibus,
 Mane virgineas papillas solvit umenti peplo.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Ipsa jussit mane ut udæ virgines nubant rosæ :
 Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
 Unico, marita, nodo non pudebit solvere.
 Cras anret, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Ipsa Nymphas Diva luco jussit ire myrteo ;
 It puer comes puellis : nec tamen credi potest
 Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
 Ite Nymphæ : posuit arma, feriatum est Amor.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est :
 Nen quid arcu, nen sagitta, neu quid igne læderet.
 Sed tamen cavete Nymphæ, quod Cupido pulcer est :
 Totus haud inermis idem, quando nudus est Amor.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Compari Venus pudore mittit ad te virgines :
 Una res est, quam rogamus, cede, Virgo Delia :
 Ut nemus sit incrementum de ferinis stragibus.
 Ipsa vellet, ut vexires, si deceret virginem.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Jam tribus choros videres feriatos noctibus,
 Congreges inter catervas ire per saltus tuos,
 Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus.
 Decinent, et tota vox est pervigilata cantibus :
 Regnet in silvis Dione, tu recede Delia !
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Jussit Hyblæis tribunal stare Diva floribus :
 Hybla totos funde flores, quantus Ennæ campus est ;
 Hybla florum prome vestes, quotquot annus adtulit.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Præses ipsa jura dicet, adsidebunt Gratia ;
 Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
 Quæque silvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.
 Jussit omneis adsidere pueri mater alitis ;
 Jussit et nudo puellas nil Amori credere.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Cras erit, quo primus æther copulavit nuptias,
 Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
 In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis ;
 Unde fœtus mixtus omneis aleret magno corpore.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Ipsa venas atque mentem permeantis spiritus

Intus occultis gubernat procreatrix viribus ;
 Perque cœlum, perque terras, perque pontum subditum,
 Pervium sui tenorem seminali tramite
 Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit :
 Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit :
 Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias :
 Unde Rhamnes et Quirites, proque prole posterum
 Romuli, Patrem crearet et nepotem Cæsarem.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Rura fecundat voluptas ; rura Venerem sentiunt.
 Ipse Amor, puer Dionæ, rure natus dicitur :
 Hunc ager, cum parturiret ipsa, suscepit sinu,
 Ipse florum delicatis educavit osculis.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Quisque cœtus continetur conjugali fœdere.
 Ecce jam super genistas explicant tauri latus !
 Subter umbras cum maritis ecce balantum gregem !
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 En canoras non tacere Diva jussit alites.
 Jam loquaces ore rauco stagna Cygni perstrepunt :
 Adsonat Terei puella subter umbram populi,
 Ut putes motus Amoris ore duci musico,
 Et neges queri sorori de marito barbaro.
 Cras amet, qui numquam amavit ; quique amavit, cras amet.
 Illa cantat, nos tacemus : quando ver veniet meum ?
 Quando fies muta, Aëdon, ut tacente te canam ?
 Perdidi Musam tacendo, nec me Apollo respicit.
 Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium.
 Caste amet, qui nondum amavit ; quique amavit, caste amet.

FINIS NOTARUM VARIORUM.

RECENSUS EDITIONUM

C. VALERII CATULLI†

IN SEX ÆTATES DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1798.]

ÆTAS I. NATALIS.

1472 Editio princeps. Valerii Catulli Veronensis, poetæ clarissimi, carmina. Albi Tibulli Equitis Romani poetæ elegiæ. Aurelii Propertii Umbri Mevani carmina. P. Papinii Statii Surculi Sylvarum liber ad Stellam. Fol. Hæc editio, Broukhusio nondum visa, Vulpio primum cognita, extat in bibliotheca Laurentiana Florentiæ; v. Montefalc. Bibl. Mss. T. I. pag. 309, et in Museo Britann. e biblioth. Askew. Memoratur a Maittair. T. I. P. I. (sive T. IV.) p. 320. In ea Propertius primum excusus est. Nondum editionem hanc critico acumine exploratam esse ægre fert Ill. Heyne. Ex iis tamen, quæ Vulpus commemorat, tum aliis argumentis probabile fit, alteram anni 1481. ex ea esse descriptam, adeoque lectionem nos ejus jam enotatam habere, dum hujus varietatem Broukhusius dederit.

1473 Catullus per Steph. Corallum editus Parmæ, fol.

1475 Catulli, Tibulli, Propertii Aurelii nautæ poetæ, et Statii Papinii Sylvarum liber. Impressus opera et impensa Jo. de Colonia et Jo. Manthen de Gheretzen, qui una vivunt feliciter. Venetiis, fol. Vid. Maittaire h. l. p. 350. Est hæc editio, quam Broukhusius principem esse putabat, et ex qua lectionem apposuit sub lit. D.

1481 Catull. Regii, fol.

— Catulli, Tibulli, Propert. et Statii Sylvæ. Actum Vincentiæ per magistrum Jo. Renensem et Dionysium Berthochum. Tum in trinis foliis subjicitur Carmen Jo. Calphurnii, poetæ clarissimi, ad Jo. Inderbachium Pontificem Tridentinum de laudibus ejus, et

[†Editiones, in quibus Catullus postponitur Tibullo, in hujus Editionum Recensu infra memorantur.]

de Interitu beati Simonis infantis a Judæis mactati. Fol. Contigit Ill. Heynio versare eam manibus, cum bibliothecæ Georgiæ Augustæ ea illata sit. Præfatur breviter Jo. Calphurnius ad Hermodolum Jctum, et memorat, se ab adolescentibus studiosis rogatum, ut Propertium aut Statii Sylvas iis interpretaretur, editionem Venetam percurrere cœpisse, tot autem mendis refertam eam deprehendisse, ut longe plura essent vitiosa et depravata, quam quæ emendata; convenisse itaque se nonnullos impressores, et tradidisse iis exemplar correctum; nec tamen eos partibus suis satis omnino fecisse conqueritur. Manifestum adeo cum ex his tum ex ipsa exemplaris tractatione fit, esse illud ex Veneta pr. descriptum, sed paulo emendatius. Cum impressionis nota non sub extremam calcem, sed Statii Sylvis subjecta sit, memoratur aliquoties hæc editio sub titulo veteris editionis sine anno; v. c. in Cat. Bibl. Reg. Paris. n. 778.

1485 Catullus, Tibullus, Propertius, cum comment. ant. Venetiis, fol. Memoratur a Maittario T. I. P. I. p. 469, sed perperam, cum de editione 1475 excusa agere vellet.

— Val. Catulli poemata cum Scholiis Ant. Parthenii Laciscii. Brixiae, fol. Quæ editio anno seq. juncta videtur Tibullo et Propertio. 1486 Catullus cum commentariis Parthenii (XI Kalend. Maii) Tibullus cum commentariis (XVIII Febr.) Propertius cum brevibus elucubrationibus (XVII Kal. April.) Brixiae per Bonium de Boninis de Ragusia, fol. Laudatur vulgo: Catull. Tibull. Propert. cum elucubratt. Domitii Calderini et aliorum. (v. Bibl. Reg. Paris. p. 287, n. 779.) Sed Domitii Calderini tantum sunt in Prop. Vidit exemplaria Ill. Heyne, in quibus diverso ordine se exciperent particulæ; in aliis, quod et in ceteris antiquis edd. sæpe factum, Propertius deerat. Hæc editio jam excussa fuit a Broukhusio. Convenit ejus lectio fere cum Romana, ut tantum non ex ea descripta videri possit.

1496 Catullus c. commentario Palladii Fuscii. Venetiis, ap. Tacuinum, fol.

1497 Cat. Tib. Prop. repet. ed. 1491.

ÆTAS II. ALDINA.

1502 Aldina I. Catullus, Tibullus, Propertius, in ædibus Aldi, Venetiis, 8. Hæc eadem editio, ut in aliis Aldinis factum, sine

anni et loci nota prostat. Est autem hæc inter classicas editiones habenda, quandoquidem multarum illa sequentium quasi parens, atque earum quoque, quæ emendatiores prodire, fundus fuit. Expressam eam esse ex superiore Veneta 1500. liquido constat, pluribus lectionibus comparatis, correctiones tamen viri docti seu Avantii seu Aldi experta est, in Catullo utique Avantii, id quod in præfatione ipse Aldus testatur. Idem ait, nonnulla asterisco notata 'in fine operis aliter atque aliter legi excudenda curasse:' quod tamen præstitum ab Aldo non videtur. Nam quæ sub Catulli calcem subjectæ sunt Avantii emendationes, Lucretium respiciunt. Exierant prelo Aldi ad tria millia exemplaria hujus libri, ut mirandum sit, eum non frequentius reperiri.

1503 Cat. Tib. Prop. impressi opera et impensa Philippi bibliopolæ Giuntæ T. Florentini anno MDIII. Nonis August. Petro Sotlenno Vexillifero felicissimo. 8. Etiam hæc Aldinæ repetitio est; ut tot alia exempla Aldina a Junta repetita sunt.

1515 Aldina II. Cat. Tib. Prop. in ædibus Aldi et Andrea socieri, Venet. 8. Primo intuitu nihil habet hæc editio, quo a priore magnopere discrepet. Sed pro nova prorsus recensione habenda est, adeo correctæ et emendatæ illa est, in Tibullo utique, a viro docto, etsi ejus nomen proditum non est. Secutus ille videtur in primis rationem criticam, tum vero veteres editiones alterius sectæ passim inspexisse, Italicos quoque Codices aut excerpta ex iis ante oculos habuisse. Merito itaque illa facta est plerarumque, quæ secutæ sunt, editionum fons et fundus, in primis autem Muretinæ 1558.

1518 Cat. Tib. Propert. Lugd. sumtu Barthol. Trot, millesimo quinquagesimo XVIII. die XX Sept. 8.

1524 Alexandri Guarini Ferrariensis in C. V. Catullum Veronensem per Baptistam Patrem emendatum Expositiones cum Indice, et Catulli textu. Venetiis, per Georgium de Rusconibus, MDXXI die XI Maii, 4.

1529 Cat. Tib. Prop. apud Sim. Colinæum, Paris. 8. Novo characteris literarum genere, quod ad calligraphiæ elegantiam propius accedit, exarata est hæc editio, ex I. Aldina expressa.

